UNIVERSITÉ DE LORRAINE

PULSAR
BIBLIOTHÈQUES UNIVERSITAIRES
Patrimoine Universitaire Lorrain des Savoirs ARchivés

Présentation du corpus

Le projet de numérisation et de valorisation des collections anciennes, présenté par la Bibliothèque Universitaire de Lettres et Sciences Humaines de Nancy et porté par l'Université de Lorraine, concerne un programme de numérisation en Arts, Lettres, Sciences Humaines et Sociales.

Ce projet, piloté par la Direction de la Documentation et de l'Edition de l'Université de Lorraine, présente un ensemble d'ouvrages édités aux XIXème et XXème siècles, en relation avec l'histoire, la littérature et les sciences humaines.

Plus qu'un simple catalogue d'ouvrages anciens et intéressants à plus d'un titre, c'est une véritable démarche scientifique que la Bibliothèque Universitaire de Lettres et Sciences Humaines de Nancy met en œuvre.

L'Université de Lorraine prend ainsi pleinement part à un vaste projet national de constitution d'une bibliothèque numérique patrimoniale et encyclopédique.



HISTORIA ECCLESIASTICA

GENTIS SCOTORUM.

THOMAE DEMPSTERI

ISTORIA ECCLESIASTICA

GENTIS SCOTORUM:

SIVE,

DE SCRIPTORIBUS SCOTIS.

EDITIO ALTERA.

TOM. I.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ANDREAS BALFOUR CUM SOCIIS.

M.DCCC.XXIX.

PRESENTED

TO THE MEMBERS OF THE

BANNATYNE CLUB,

BY

COUNT M. DE FLAHAULT,

THE HON. LORD FULLERTON,

DAVID IRVING,

WILLIAM MURRAY,

JAMES KEAY,

JAMES CAMPBELL,

ANDREW SKENE,

ANDREW RUTHERFURD,

WILLIAM GIBSON CRAIG.

THE BANNATYNE CLUB.

M.DCCC.XXIX.

SIR WALTER SCOTT, Baronet,

[PRESIDENT.]

THE EARL OF ABERDEEN, K.T.
RIGHT HON. WILLIAM ADAM, LORD CHIEF COMMISSIONER OF THE JURY COURT.
SIR WILLIAM ARBUTHNOT, BART.
JAMES BALLANTYNE, ESQ.
SIR WILLIAM MACLEOD BANNATYNE.
LORD BELHAVEN AND STENTON.
GEORGE JOSEPH BELL, ESQ.
ROBERT BELL, ESQ.
WILLIAM BELL, ESQ.
JOHN BORTHWICK, ESQ.
WILLIAM BLAIR, ESQ.
REV. PHILIP BLISS, D.C.L.
GEORGE BRODIE, ESQ.
THE DUKE OF BUCCLEUCH AND QUEENSBERRY.
JOHN CALEY, ESQ.
JAMES CAMPBELL, ESQ.
HON. JOHN CLERK, LORD ELDIN.
WILLIAM CLERK, ESQ.

THE BANNATYNE CLUB

HENRY COCKBURN, ESQ.
DAVID CONSTABLE, ESQ.
ANDREW COVENTRY, ESQ.
JAMES T. GIBSON CRAIG, ESQ.
WILLIAM GIBSON CRAIG, ESQ.
HON. GEORGE CRANSTOUN, LORD COREHOUSE.
THE EARL OF DALHOUSIE.
JAMES DENNISTOUN, ESQ.
ROBERT DUNDAS, ESQ.
RIGHT HON. WILLIAM DUNDAS, LORD CLERK REGISTER.
HENRY ELLIS, ESQ.
CHARLES FERGUSSON, ESQ.
ROBERT FERGUSON, ESQ.
LIEUT.-GENERAL SIR RONALD C. FERGUSON.
THE COUNT DE FLAHAULT.
HON. JOHN FULLERTON, LORD FULLERTON.
LORD GLENORCHY.
THE DUKE OF GORDON.
WILLIAM GOTT, ESQ.
SIR JAMES R. G. GRAHAM, BART.
ROBERT GRAHAM, ESQ.
LORD GRAY.
RIGHT HON. THOMAS GRENVILLE.
THE EARL OF HADDINGTON.
THE DUKE OF HAMILTON AND BRANDON.
E. W. A. DRUMMOND HAY, ESQ.
JAMES M. HOG, ESQ.

THE BANNATYNE CLUB.

JOHN HOPE, ESQ. SOLICITOR-GENERAL.
COSMO INNES, ESQ.
DAVID IRVING, LL.D.
JAMES IVORY, ESQ.
REV. JOHN JAMIESON, D.D.
ROBERT JAMESON, ESQ.
SIR HENRY JARDINE.
FRANCIS JEFFREY, ESQ.
JAMES KEAY, ESQ.
JOHN G. KINNEAR, ESQ.
THOMAS KINNEAR, ESQ. [TREASURER.]
THE EARL OF KINNOULL.
DAVID LAING, ESQ. [SECRETARY.]
THE EARL OF LAUDERDALE, K.T.
REV. JOHN LEE, D.D.
THE MARQUIS OF LOTHIAN.
COLIN MACKENZIE, ESQ.
HON. J. H. MACKENZIE, LORD MACKENZIE.
JAMES MACKENZIE, ESQ.
JAMES MAIDMENT, ESQ.
THOMAS MAITLAND, ESQ.
GILBERT LAING MEASON, ESQ.
THE VISCOUNT MELVILLE, K.T.
WILLIAM HENRY MILLER, ESQ.
THE EARL OF MINTO.
HON. SIR J. W. MONCREIFF, LORD MONCREIFF.
JOHN ARCHIBALD MURRAY, ESQ.
WILLIAM MURRAY, ESQ.

75 JAMES NAIRNE, ESQ.
MACVEY NAPIER, ESQ.
FRANCIS PALGRAVE, ESQ.
HENRY PETRIE, ESQ.
ROBERT PITCAIRN, ESQ.
80 JOHN RICHARDSON, ESQ.
THE EARL OF ROSSLYN.
ANDREW RUTHERFURD, ESQ.
THE EARL OF SELKIRK.
RIGHT HON. SIR SAMUEL SHEPHERD, LORD CHIEF BARON OF SCOTLAND.
85 ANDREW SKENE, ESQ.
JAMES SKENE, ESQ.
GEORGE SMYTHE, ESQ.
THE EARL SPENCER, K.G.
JOHN SPOTTISWOODE, ESQ.
90 THE MARQUIS OF STAFFORD, K.G.
MAJOR-GENERAL STRATON.
SIR JOHN ARCHIBALD STEWART, BART.
HON. CHARLES FRANCIS STUART.
ALEXANDER THOMSON, ESQ.
95 THOMAS THOMSON, ESQ. [VICE-PRESIDENT.]
W. C. TREVELYAN, ESQ.
PATRICK FRASER TYTLER, ESQ.
ADAM URQUHART, ESQ.
RIGHT HON. SIR GEORGE WARRENDER, BART.
100 THE VENERABLE ARCHDEACON WRANGHAM.

D. IRVINUS LECTORI S.

INTER eos qui, ineunte seculo decimo septimo, eruditionis fama claruere, tantum non principem obtinet locum Thomas Dempsterus, homo Scotus, et Scotici nominis vindex acerrimus. Utriusque linguae fuit doctissimus, ad jurisprudentiae laudem humaniorum literarum decus adjecerat, et, quod caput est, patriae semper fuit amantissimus. Erat illi fervidum ingenium, insolita memoriae vis, sed deerat acre subactumque judicium; et dictioni ejus, satis illi quidem copiosae, nescio quid antiquae elegantiae non raro abest.

At vero qualis quantusque vir fuerit, tu facile discas ab Angelo Fabronio, Historiae Academiae Pisanae tom. ii. p. 234. " Ex eo tempore siluit Pandectarum cathedra ad annum usque 1616, quo illam occupavit Thomas Dempsterus. Hominis dignitas atque fama admonent nos, ut in illius vita explicanda paullulum immoremur.—Natus est in Scotia nobili, ut fertur, genere, quod plures homines pacis et belli artibus clari illustraverant. Noli putare quidquam illum vel a prima aetate maluisse, quam ut eos gloria aequaret, ac sedulam adeo operam Lutetiae Parisiorum navavit juris prudentiae studio, ut non modo, cum ageret XVII. aetatis annum, laurea decoratus fuerit, sed et non multos post annos disciplinae illius publice docendae onus susceperit, in Davidis Sincleri locum succedens. Vel ante hoc

tempus Tornaci et Tolosae humaniores litteras docuerat, cum ejus prima aetas his mirum in modum dedita, in iisdemque a Justo Lipsio institutus fuisset. Caussa vero deserendae Galliae fuit, quod concitus ad rixam gravissimas inimicitias cum potentioribus quibusdam susceperat, quodque a Magnae Britanniae rege patriae historiae conscribendae mandatum acceperat. Plura hac de re reliquit, nihil tamen, quod sciam, in vulgus edidit. Venerat in Italiam vel ante illud tempus, quo a Cosmo II. factus est Pisanus magister, et Romae tum fuisse ex eo conjici potest, quod per Petrum Stroctium, praesulem amplissimum, Paullus V. summus pontifex, ipsum, ut praemio aliquo afficeretur ob ejuratam haeresim, de meliore nota Magno Duci commendavit. Paucos post menses quam in Etruriam venerat, petiit ut sibi potestas daretur redeundi ad suos, ac secum Pisas uxorem et familiam devehendi, quod ei facile concessum est, dataque pecunia non solum ad iter conficiendum, sed etiam ad emendos libros, quibus se egere affirmabat ad contexendum opus de Etruria Regali, quod, ipso Magno Duce auctore, susceperat. Rediit in Etruriam ad constitutum tempus, et tum illius stipendium auctum fuit ad cccc. usque centusses. Sane nihil non sperare poterat a Magni Ducis liberalitate, sed ob inconstantiam quamdam naturae, et ob illatam a discipulis sibi, uxorique eximia pulchritudine injuriam (nam, cum gymnasio domum rediret, arcam captam ac mulierem ab se abductam reperit) academiam Pisanam deseruit tres post annos quam in ea Pandectas explicaverat, et ad Bononiensem migravit humaniores litteras in illa traditurus. Antequam Pisis discederet, Cosmo munus misit libri de Etruria Regali, et mirum sane omnibus videri debet ipsum brevi adeo tempore tantum opus, quamvis in illo multa sint imperfecta, conficere potuisse. Sed

nemo illi par erat diligentia in studiis (quotidie enim ad XIV. saltem horas in his versabatur) memoria vero tanta, ut se nescire diceret quid esset oblivisci, doctus denique adeo Graecis, Hebraicis et Latinis litteris, ut nihil in his esset, quod ipsi esset incognitum. Ex illius operum indice, quem ipse contexuit, ut rem gratam faceret amico cuidam Bononiensi, cognosci poterit qui quantusque vir fuerit, quantisque in laboribus se exercuerit. Nihilo tamen minus non multa adeo conficere potuisset, si quae litteris mandabat, politius limasset. Ut moribus, sic oratione durus erat, et cum minime intelligeret quae resecari oporteret tum in verbis, tum in rebus, ejus interdum scripta loquacem, ut ajebat Horatius, delassare valent Fabium. Reprehenditur et in eo quod temperare nescivisset animi motus, et linguam adversus eos, quibus se infensum esse aut noverat, aut suspicabatur. Simulandi nescius, sive amore sive odio quempiam prosequeretur, utrumque palam faciebat. In exercendo suo munere apud Bononienses diligentissimus judicatus est, et nonnullorum, in quibus summa auctoritas erat et amplitudo, sibi studia conciliavit. Floruisse etiam dicitur nobilitate discipulorum, quanquam scribendi elegantia nullo modo cum iis esset comparandus, qui antea in ea ipsa academia humaniores litteras professi fuerant. Vitam finivit non. Septembris an. 1625, sepultusque ad S. Dominici. Est in manibus hominum funebris oratio, quam de illius laudibus habuit Ovidius Montalbanius, vir inter Bononienses doctrina clarus. Plures extitere alii, qui de illius eruditione et doctrina, et vi ingenii, summa et mira prorsus praedicarunt, quos commemorare minime necessarium arbitramur."

Hactenus Angelus ille Fabronius, qui historiam Italiae literariam pluribus libris, elegantia haud vulgari conscriptis, non ita pridem illustravit. Paulo tamen liberius ho-

minis mores repraesentavit Janus Nicius Erythraeus, Pinacothecae Imaginum illustrium Doctrinae vel Ingenii Laude Virorum tom. i. p. 24. " Fuit haec semper constans omnium fere hominum opinio, eum esse ad literarum studia aptissimum, qui sit quietissimus, et ab omnium certaminum contentione remotissimus; quod mitissima Musarum natio non audeat ad eum accedere, cui immane ac ferox ingenium a natura contigerit. Sed, nescio quo pacto, hac nostra aetate, mansuetissimae illae sorores, summa animi voluntate, complexae sunt Thomam Dempsterum Scotum, hominem factum ad bella et contentiones; quippe qui leviter re vel verbo lacessitus, continuo ad arma rixasque decurreret; nullum ferme diem, a concertationibus vacuum, praeterire sinebat; quin videlicet, cum aliquo vel ferro decerneret, vel, si ferrum minus suppeteret, pugnis rem ageret; quo fiebat, ut esset paedagogis omnibus formidabilis. Sed tum in primis saevum et impavidum suum animum declaravit, cum a Grangerio, Collegio Bellovassensi praefecto, quem negotia domestica Parisiis discedere alioque proficisci cogebant, muneris sui vicarius constitutus est. Nam adolescenti, qui socium ad singulare certamen provocaverat, demissis ad calces femoralibus, robustique hominis humeris elato, in omnium conspectu, multas plagas imposuit; quam ille contumeliam cum ferre non posset, ac propterea vindicare constituisset, die quodam tres viros nobiles, cognatos suos, ex regis corporis custodibus, in collegii aedes introduxit, a quibus Dempster cum vim sibi parari intellexisset, vocavit socios ad arma, omnesque collegii famulos jussit cum telis accurrere. Sed antea illorum equos, prae foribus aedium relictos, trucidaverat: at servorum multitudo armata ita illos, qui jam irae furorisque pleni in peristylium irruperant, circumstetit, itaque formidine complevit, ut cogerentur

salutem ac vitam in beneficii gratiaeque loco deposcere; qua impetrata, nihilominus obtorta gula abrepti sunt in turrim campanariam, ibique aliquandiu in vinculis habiti; sed ex iis tandem exempti, de hominis vita et moribus, testes idoneos interrogandos, eorumque dicta in publicas tabulas referenda curarunt. Quam exortam in se tempestatem ut evitaret, in Angliam, tanquam in portum, confugit. Ubi non modo tutum ab insectatoribus suis perfugium, verum etiam mulierem nactus est, forma et vultu adeo liberali, adeo venusto, ut nihil supra, quam in uxoris habuit loco. Quae mulier, cum, luce quadam, Parisiis, quo rursus Thomas cum ea se receperat, conspecta esset, et quia forma praestabat, ut diximus, et quia habitu erat dementissimo; nam et pectus et scapulas, nive ipsa candidiores, omnium oculis expositas habebat; tantus, visendi gratia, hominum concursus factus est, ut nisi se in domum cujusdam una cum viro recepisset, nihil propius factum esset, quam ut ambo a multitudine opprimerentur. Verum mulier omnino, ut dicitur, mala merx est; non enim potest ita arcte subjecta custodiis omnibus haberi, quin custodibus verba det, atque ad hostes tuto transfugiat. Nam Pisis, ubi elegantissimas literas non tenui stipendio docebat, dum e gymnasio revertitur domum, introductos hostes, arcem captam, ac mulierem ab se abductam, discipulorum suorum insidiis, reperit; quam ille jacturam, sicut olim rei familiaris damnum, aequissimo animo tulit. Etenim, Catholicae religionis causa, ut ajunt, fortunis omnibus, quae satis amplae erant, eversus, domoque profugus, Lutetiam Parisiorum venit, ibique, rerum omnium egentissimus, quamvis se nobili genere ortum praedicaret, rem, et multo magis gloriam, humanioribus disciplinis juventuti tradendis, invenit; quam illi gloriam multiplex rerum scientia, reconditae exquisitae-

que literae, et incredibilis memoriae magnitudo confecerat." Et paucis interpositis: "Qui quidem, si aetatis ratio habeatur, celeriter vita spoliatus interiit; si gloriae, quam adeptus est, magnitudo spectetur, diutissime vixit; immo, nunquam moriturus, per omnium vivorum ora volitabit."

Plurima quidem scripserat Dempsterus, vir scilicet reconditae eruditionis, et indefessae diligentiae: quaedam ejus opera, quippe quae nunquam typis mandata, vel temporis injuria perierunt, vel in Italorum bibliothecis adhuc delitescunt, alia autem multa in ore versantur eruditorum, et nomen ejus posteritati commendant. Musas amoeniores non segniter colebat; et eo quidem seculo nemo fere doctiorum fuit qui carmina Latina non pangeret; neque ei, judice Borrichio, defuit dives satis vena. Nempe professor iste Hafniensis, Dissertationum Academicarum de Poetis p. 151. "Plus tamen genii poetici amoenitatisque elucet in heroicis Thomae Dempsteri Scoti. Jam enim nuptiis Perthani comitis praeludit, jam panegyrin Jacobo regi molitur, jam vatis induit personam; est ubi funebria curat, est ubi genethliaca, ubi protreptica: aliquando deorum gentilium multiplicitatem acri stylo confodit. Sed et extemporali in rectoratum Vassorii metro satis docet et natum se esse his studiis, et innutritum. Praetereo Muscam ejus, lepidum carmen, sed non indoctum, et in quo eas Dempsterus signavit lineas, quae manum Appelleam clare testentur." Leguntur aliquot ejus carmina inter Delitias Poetarum Scotorum, tom. i. p. 306, sed alia multa quoque scripsit. Latine vertit Cerasum et Silvestre Prunum, venustum Mongomerii carmen, quod semper in deliciis habuit. Poetas veteres sibi illustrandos quoque sumpsit. Claudianum semel atque iterum tractavit; nam in librorum propri-

orum catalogo, Hist. Ecclesiast. p. 679, haec habet: "In Claudianum Notae lib. I. Flexiae. In Claudianum Commentarius lib. I. Lugduni, et alibi." Prodierunt "Cl. Claudiani quae extant, cum notis Thomae Dempsteri Scoti," Flexiae, 1607, 16to. Commentarium nunquam vidi, neque viderat Petrus Burmannus Secundus. Sed de ejus annotationibus ita censet doctus ille Belga, Praef. in Claudianum p. xi. "In illis certe, ut et aliis Demsteri scriptis, multiplicem lectionis eruditae copiam magis quam dijudicandi vim et limam laudandam esse agnoscimus, unde Demsterum in illa copiosa lectione hominem judicii perpusilli fuisse judicat Broukhusius ad Tibull. lib. i. el. 7. 53. quem tamen defectum saepe conpensat, praesertim in Antiquitatum Paralipomenis et in Etruria Regali, emendatione aut inlustratione auctorum veterum, quorum loca vel corrupta circumferebantur aut perperam intelligebantur." Poetam alium, longe obscuriorem, enarravit Dempsterus. "Corippi Africani Grammatici de Laudibus Justini Minoris Augusti libri quatuor: Thomas Dempsterus a Muresk, J. C. recensuit, lacunas supplevit, mendis expurgavit, commentarium adjecit, quo historia et antiquarii ritus elucidantur, variique scriptores explicantur, restituuntur." Parisiis, 1610, 8vo. "Bene de Corippo meritum eruditissimum virum Thomam Demsterum, nulla aetas negabit," inquit Barthius, Adversariorum lib. xxi. cap. xiii. p. 1046. Sed de ipso poeta, qui vixit tempore Justini minoris, sexto jam vertente seculo, videnda est Polycarpi Leyseri Historia Poetarum Medii Aevi, p. 172. Barthio est ultimus fere poetarum, scilicet poetarum veterum Latinorum.

De philologia et historia cum jurisprudentia conjungenda, multi verba fecere. Orationem de literarum studio, in primis Graecarum, cum jurisprudentia conjungendo, tredecim

abhinc annis habuit amicus meus Adr. Cath. Holtius, juris civilis in academia Lovaniensi professor doctissimus. Orationem de studio poetices conjungendo cum studio juris Romani, anno 1693 Franequerae habuerat Cornelius van Eck. Utique sordet sine literis jurisprudentia; ita et tibi jurisconsultus, omnis paene eruditionis expers atque ignarus, nihil est nisi leguleius. At Dempsterus, omnibus fere praesidiis instructus, antiquitatis eruditae studium ad veterum jurisperitorum intelligentiam referebat. Rosini Antiquitates Romanas non parum locupletavit, ejusque editio, quae Lutetiae Parisiorum prodiit anno 1613, saepius est repetita, elegantissime vero Amstelodami anno 1743: quo quidem opere plurima juris civilis capita expenduntur. Ejus quoque libellus est, "Κεφάννὸς καὶ Ὀξελὸς in libros IV. Institutionum." Bononiae, 1622, 8vo. Et, teste Petro de Ludewig in Vita Justiniani p. 45, "meretur libellus recudi, cum totus sit in antiquitatibus Romanis, et notandis erroribus in jure Justinianeo." Edidit denique Dempsterus "De Juramento lib. III. Locus ex Antiq. Rom. retractatus. Satisfactum Famae Illmi B. M. Cardinalis Bellarmini, qui falso insimulabatur, theologice, juridice, historice, antiquarie, ex utriusque linguae, omnium gentium, omnis aetatis monimentis." Bononiae, 1623, 8vo.

Sed praestantissimum Dempsteri opus sine controversia illud est quod inscripsit, *De Etruria Regali;* opus, ut ille ait, ex tribus auctorum millibus collectum. Susceptum est et jam ad umbilicum perductum cum in academia Pisana jus civile doceret, id est, intra tres tantum annos, et, si omnibus suis numeris non expletum, egregium certe monumentum ingenii est et eruditionis. Centesimo fere anno post praematuram Dempsteri mortem, prodiit tandem in lucem cura et sumptibus splendidissimi et ornatissimi viri Thomae

Coke, Comitis postea Leicestriensis. Laute ornatus est liber iste, Florentiae forma majore editus, primum quidem volumen anno 1723, secundum anno insequente. Cui comes postea datus est Jo. Baptistae Passerii liber, "In Thomae Dempsteri libros de Etruria Regali Paralipomena, quibus Tabulae eidem Operi additae illustrantur. Accedunt Dissertationes de Re Nummaria Etruscorum, de Nominibus Etruscorum, et Notae in Tabulas Eugubinas." Lucae, 1767, fol.

Neque hic praetereundam puto editionem Dempsterianam libri de bello sacro quem exaraverat Benedictus Accoltus, jurisconsultus Italus, exstinctus anno reparatae salutis 1466: frater ejus fuit Franciscus Accoltus, cognomento Aretinus, qui, teste Pancirolo de Claris Legum Interpretibus, p. 201, omnium sui seculi jurisconsultorum longe princeps habitus est. "Benedicti Accolti de Bello a Christianis contra Barbaros gesto, pro Christi Sepulcro et Judaea recuperandis, libri IIII. Thomas Dempsterus, J. C. Baro a Muresk Scotus, cum aliis scriptoribus collatos, et mendis expurgavit, et notis non vulgaribus illustravit." Florentiae, 1623, 4to. Haec editio centum abhinc annis repetita est apud Belgas:—"Nunc denuo ad exemplar Florentinum CIↃIↃCXXIII. ab innumeris et foedissimis mendis expurgatum, emaculatius recudendos curavit Henricus Hofsnider, cum indice satis luculento." Groningae, 1731, 8vo. Hunc autem commentarium, ut praestantissimum Dempsteri opus, nuper laudavit Joannes Pinkertonus, lepidum sane caput, qui nimis sibi placuit. *Periochas* quatuor librorum carmine scripsit Georgius Conaeus Scotus.

Patriam quoque historiam aggressus est Dempsterus noster, ac de rebus Scoticis varios edidit libellos, alios plures editurus, nisi longiorem ei vitam Deus denegasset. Opera

fere tumultuaria sunt, ad historiamque ecclesiasticam et literariam plerumque spectant. Omnia nunc recensere nihil attinet; eorum tantum nomina apponam, et alius fortasse erit de libris ipsis disputandi locus. "Scotia illustrior, seu Mendicabula repressa, modesta Parecbasi; qua Libelli famosi impudentia detegitur, mendacia ridicula confutantur, Scotiae Sancti sui vindicantur, ac bona fide asseruntur." Lugduni, 1620, 8vo. Nullus in fronte libri annus, sed epistola ad F. Barberinum data est Romae 4 non. Octobris anno 1620. "Asserti Scotiae Cives sui, S. Bonifacius Rationibus IX. Joannes Duns Rationibus XII. Excerptum e libris de Scriptoribus Scotis." Bononiae, 1621, 4to. "Apparatus ad Historiam Scoticam lib. II. Accesserunt Martyrologium Scoticum Sanctorum DCLXXIX. Scriptorum Scotorum MDCIII. Nomenclatura. Opus e peregrinis omnium gentium historiis collectum, omnia orbis regna pio studio lustrantur, religiosae S. R. E. familiae nobilitantur, historia patria augetur, sectarii admonentur, catholica veritas contra hostes Dei et Scotiae firmatur. Justi et parati operis praenuntia." Bononiae, 1622, 4to. Et separatim nonnunquam veneunt Martyrologium et Nomenclatura. "Menologium Scotorum; in quo nullus nisi Scotus gente aut conversatione, quod ex omnium gentium monimentis, pio studio Dei Gloriae, Sanctorum Honori, Patriae Ornamento, colligit, publicat, et inscribit illustriss. Principi, Moecaenati suo, D. Maphaeo S. R. E. Card. Barberino, Scotorum Protectori. Opus ecclesiasticae hierarchiae ac monasticae vitae dignitati augendae, haeresi in Scotia vigenti confundendae, operose utile." Bononiae, 1622, 4to. "Scotorum Scriptorum Nomenclatura, quartum aucta. Sancti DCLXXIX. Beati LXXXI. Papae V. Cardinales XIV. Patriarchae IV. Reges aut Regum liberi XLVIII. Apostoli Gentium LXIII. Monasteriorum extra Scotiam Fundatores, Archiepiscopi, et

Episc. CCLVII. Abbates extra Scotiam CXCII. Academiarum Fundatores XII. viri domi et tota passim Europa omnium scientiarum genere illustrissimi. Haeretici pauculi confutantur. Ex suis Historiarum lib. XIX. excerpsit." Bononiae, 1622, 4to.

Aliquo tamen numero est Dempsteri Historia Ecclesiastica Gentis Scotorum, sive potius, de Scriptoribus Scotis libri undeviginti. Non est profecto historia, sed historica fragmenta quamplurima continet, omnia vero ad res ecclesiasticas minime spectantia. Res gestas, vel saltem nomina, mille et ducentorum, si diis placet, scriptorum, recenset. Scotorum complures, si fides Dempstero habenda, multa literis mandarunt sexcentis ferme annis ante literas in Scotiam invectas. Nempe, rex optimus Fergusius, cognomento Illustris, qui diem obiit supremum anno ante Christi adventum 318, "quo firmum esset, et successoribus validum imperium, edidit Leges Politicas." Et "Bundevicam quandam, Amazonio ritu bellicosam, inter nostrates eruditione et scriptis insignes referunt. Haec Scotorum regis filia, Britannorum, qui nunc sunt Angli, regina, multa contra Romanos strenue gessit, coloniamque delevit. Tacitus, Dio, Xiphilinus. Quam scripsisse volunt varia, et in his Conciones Militares libro uno," aliosque quinque libellos, quorum ultimus est de exercitu pedestri ducendo. Bardi, vates antiquissimi, "scripserunt Carmina varia lib. i. Heroum Laudes lib. i. de Fortitudine bellica Patriae Caritati debita (Lucanus) lib. i. Floruerunt paene a condito regno." Culdei, sacerdotes antiquissimi, "scripserunt Institutiones ad Clerum et Populum Scoticum lib. i. Floruerunt ab initio fidei a Scotis receptae." Tam portentosam sibi bibliothecam adornaverat Thomas ille noster; veruntamen quotusquisque librorum ex hac lautissima supellectile jam superest?

Meras saepissime nugas retulit, et operam pueriliter lusit: quocunque ferunt pedes, scriptores invenit ille Scotos. Recte igitur Jacobus Waraeus de Scriptoribus Hiberniae, p. 119. " In suum scriptorum Scotiae catalogum, pro libidine sua, Anglos, Wallos, et Hibernos passim retulit, et ad assertiones suas firmandas, finxit saepissime authores, opera, locos, et tempora." Eandem ejus libidinem non uno loco coercuit Hibernorum longe doctissimus, Jacobus Usserius, mitissimi caeteroquin vir ingenii.

De scriptoribus Britannicis ante Dempsterum egerant nonnulli Anglorum, et in primis Joannes Lelandus, elegantioris vir eruditionis, et inter auctores humaniorum literarum in Anglia instaurandarum plane ponendus. Hunc secutus est Joannes Baleus, homo item Anglus, sed Ossoriensis apud Hibernos episcopus, qui regnante Maria solum vertere coactus, immani odio in purioris religionis hostes unice flagrabat. Praesulem Ossoriensem excepit Joannes Pitseus, doctor theologus, et Liverdunensis apud Lotharingos decanus: Baleum suo more exagitat, Catholicos omni laude cumulat, et commentaria ejus plena sunt futilitatis summaeque levitatis. Parum nobis profecerunt hi tres Joannes: in omnibus limatum judicium desideramus, eademque omnibus inanis de patria jactantia. Post hos, rem literariam aggressus Dempsterus, omnia ad criticam severitatem minime exegit, sed multa futilia undique corrasit; et quo fidem suam sacrificulis Romanis probaret, non potuit non religionis et libertatis vindices identidem latrare.

Nec tamen sua laude fraudandus est. De meliore nota multa congessit, de iis praesertim scriptoribus qui, exules patriae, interiores et reconditas literas in academiis Gallorum, Italorumque et Germanorum, non sine gloria docuerunt. Alii literas humaniores, mathematicas disciplinas alii

jurisprudentiamve colentes, laudem haud mediocrem adepti sunt; professores vel etiam gymnasiorum praesides sunt facti, nomenque Scoticum late per orbem terrarum propagarunt. Viderat ipse Dempsterus multos, quorum meminit, sacerdotes, professores, milites, et interdum mores hominum notat. Sed maxime elucet narratio ejus de tristi Hakerstoni fato, qui, et miles fortis et vir eruditus, turmas in Suevia, Gallia, ac Belgio varia fortuna duxerat, sed tandem Comitis Boduelii partes contra Joannem Metellanum secutus, ad extremam inopiam est redactus. Neque hic, si mentem tuam mortalia tangunt, tu gravabere paululum intueri tam miseram rerum conversionem. " Tantus vir nuper dicitur Londini inedia periisse, fato haud dubie illa indole indigno. Sub annum MDCXV. obviam mihi factus paulo ante obitum ad aedes regias Westmonasterii, quae Cardinalis Vollsei fuerunt, cumque nomine proprio appellassem, tantum in vestitu squalorem, et in vultu maciem misertus, ille ad me: ' Quid facis,' inquit, ' hic, coelo soloque Musis et virtuti aversis? *Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.*' Inter haec et similia pervenimus ad Janum geminum; mercatorum ea statio, ibi quidem Cambium dicta, a Gallis Bursa: instante meridie ad prandium ei condixi, sed ille laeto et renitenti vultu, ' Conditionem,' inquit, ' accipere non possum, teneor enim sacramento nullius unquam nisi meas mensas aditurum; sed si non erit tibi ingratum, hospitiolum meum in vicinia est, quo, si placet, concedamus.' E vestigio illum secutus, venimus in gurgustium illiberale, et ipse mihi sellam humilem et stramineam porrexit, et, ut sederem, invitavit; ipse sibi cadurci titubantis ac male firmi spondam assumpsit, tum ad me stupore defixum conversus, ' Haec mea sunt,' inquit, ' et est ista sedes senectuti et hisce canis reservata:' explicavit deinde mantile rusticum, ac ex

parietina arcula protulit panem secundum et cepe: 'Haec sunt,' ait, 'fercula quibus te, et carum et veterem amicum, accipio; non quia tu alia non merearis, sed ego meliora non habeo. His ego multis jam annis vitae reliquias protraho, et sunt sane dulciora quam magnatum mensae parasitica arte conciliatae.' Post haec surrexit, et aquam fictili exemptam, poculo fagino propinavit: non refero reliqua, quae ille mira vultus gravitate protulit, et ego intentus non sine lacrymis excepi. Qui legit haec, clarissimi viri memoriam mecum honorabit, et quantum iniquitati temporum in virtutem liceat, secum perpendet, et mirari desinet Socratis parsimoniam, aut Epicuri abstinentiam. Pecunias aliquot mutui nomine accipere recusavit, quod se solvendo nunquam futurum prae fortunae acerbitate intelligeret; dono tamen aliquas sibi concedi passus est." Tom. ii. p. 365. Nimirum, haec qui legit, honestissimi viri memoriam tecum honorabit. Pro *Joannes* legendum censeo *Jacobus*. Inter ejus opera recenset Dempsterus " Epigrammata acutissima libris tribus;" et Jacobi Hacarstonii, tribuni militum, Epigrammata, pauca quidem illa, extant inter Delitias Poetarum Scotorum, tom. i. p. 376.

De vita et scriptis suorum, multa Dempsterum docuerunt peregrinantes errantesque Scoti, adeo ut rumoribus et auditionibus non raro sit permotus: multa itaque in commentarium retulit, quae nullo satis idoneo auctore nituntur. Viderat autem plurimos libros, a civibus suis ubique gentium editos, qui nunc inter rarissimos sunt habendi; in hisque rebus fides ejus nonnunquam suspecta, propter nostram tantum inscitiam. Citat identidem auctores nondum in vulgus editos; velut, Forduni Scotichronicon, Millii Vitas Episcoporum Dunkeldensium, Neutoni Vitas Episcoporum Dunblanensium, Bruni Collectanea, sive Historiam

labentis in Scotia Religionis Catholicae. De Forduno, quem semper Fordanum vocat, haec memoriae tradidit, tom. i. p. 288.* Historia ejus est " ingens volumen MS. in bibliotheca Collegii S. Benedicti Cantabrigiae in Anglia, quam diligentissime, sociis juratis, cancellis clathrisque custodiunt: ejus ego lectione multum adjutus optavi, sed incassum, luce donaretur." Millii liber, satis quidem notus sociis nostris Bannatyniensibus, jam pridem in lucem prodiit. Erat Georgius Neutonus, teste Dempstero, archidiaconus Dunblanensis, " vir magnae pietatis, nec minoris eruditionis, eo seculo non vulgariter facundus;" et florebat anno millesimo quingentesimo quinto. Dolendum sane est, in tanta penuria illiusmodi scriptorum, talem libellum penitus periisse. Gilbertus Brunus, Coenobii Novi apud Gallovidienses dictus abbas, mortuus est Lutetiae anno 1612.

In hac nostra editione libri longe rarissimi ita versati sumus, ut paginam pagina fere referat, versum versus non item. Paginarum, sicut et scriptorum, numerus saepissime turbatus est: omnia tamen menda ejusmodi non corrigenda curavimus, quo scilicet facilior aditus pateat ad loca ex editione priore passim citata. Errorem gravissimum sub libri finem erravit typographus, ponendo 3179 pro 1179; sed, per duodecim posteriores paginas, scriptorum numerum restituimus. Liber iste, in lucem editus altero post Dempsteri mortem anno, foedissimis scatet erroribus; et opus quidem aggressi sumus taedii plenum et molestiarum. Hunc tamen mihi laborem non mediocriter levavit amicus meus optimus Ninianus Little, vir in hisce studiis diu multumque versatus. Plagulas ille omnes mira sedulitate legit atque relegit. Primo trepidantius timidiusque rem gessimus, sed, usu et experientia edocti, aliqua fiducia opus esse comperimus, si quis librum ejusmodi tractare velit; nam tantum non

omnia turbata sunt ab hominibus non minus grammaticorum, quam rerum nostrarum, ignaris. Siqua vocabula supplevimus, uncis sunt inclusa. Hic autem monendus es, lector, tria loca, tom. i. p. 134. 176. seq. sic inclusa [ ], potius distinguenda esse hoc modo ( ), quippe quae ab auctore profecta. Sexcenta loca emendavimus, vel levi literarum, vel audaciore interpunctionum mutatione; ratio enim interpungendi prope nulla erat.

Tom. i. p. 78. "Boeanus quidem in patria substitit, Fursaeo cum fratribus in Galliam *tendentibus*." Scripsimus *tendente*. P. 91. "Hinc habent Scoti, quod antea nesciebant, fidem Christi apostolorum temporibus, et ab ipsis *epistolis*, sibi communicatam." Pro *epistolis* scripsimus *apostolis*. Ibid. "Ab eo comites Cathenesiae, dicti Barri, quorum frequens cum regibus nostris affinitas, ad atavorum, licet minore gradu, tempora *descendit*." Manifesto errore, pro *descenderunt*. P. 110. "Joannis Posthii, archiatri Palatini, Latinum epigramma, et duo Graeca Joannis Lundorpii Graecam, editioni ultimae operum Buchanani praefixa, videantur, tam felicem, et tam sublimis ingenii poetam." Delenda est vox *Graecam*, deinde scribendum, "tam felicis, et tam sublimis ingenii poetae;" nisi tu malis, "tam felicem, et tam sublimis ingenii poetam [summis laudibus efferentia]." P. 130. "Nec ea vox usurpata Sedulii aevo cultissimo, sed postea ad distinguendos Scotos silvestres seu montanos a mediterraneis et inferiores regiones *habitantes* excogitata." Emendavimus *habitantibus*. P. 201. "S. Dimaus, S. Sigenii discipulus, unus ex illis episcopis Scotis habetur, qui per totum regnum nulli certae ecclesiae *alligatus* populum praedicatione *erudivit*." Scripsimus *alligati* et *eruditerunt*. P. 228. "Si perpendas quam ridiculum argumentum docti habeant, a scriptionis loco necessitatem inferre nationis; sic enim fieret ut D. Augustin. affert, haberetur

Italus." Hic legimus certissima emendatione, "Augustinus Afer haberetur Italus." P. 250. "S. Eloquius ex illorum est numero qui inter sanctos *relatus*, Martyrologii Romani non *est ascriptus* tabulis." Ejusmodi mendum non adeo infrequens, non solum apud Dempsterum, sed etiam apud alios scriptores. Emendavimus autem, "inter sanctos *relati* —non *sunt ascripti.*"

Tom. ii. p. 351. "S. Hermannus unus ex iis est patribus, qui Pelagii insanientis audaciam eo in regno *repressit.*" Similis iterum iterumque error; sed emendavimus *represserunt.* P. 356. "Scripsit Dialogum in Controversia Fidei, quem Th. Smetonus apostata impugnavit contra Catholicam causam, alia patri Tyrio edenda reliquit: An prodierint ignoro. lib. 1." Hic omnia minus recte sunt disposita. Procul dubio legendum, sicut et nos legimus, "Scripsit Dialogum in Controversia Fidei, quem Th. Smetonus apostata impugnavit contra Catholicam causam, lib. i. Alia Patri Tyrio edenda reliquit; an prodierint ignoro." P. 363. "In Ausonium Commentarios uberes, post Vinetum, et Scaligerum, ac criticos, lib. i. dicitur emittere." Quis non videt, sic legendum? "In Ausonium Commentarios uberes ac criticos, post Vinetum et Scaligerum, lib. i. dicitur emittere." P. 439. "Et incassum Rauae Hirlandicae tanti viri laudibus ob eo axant in libello famoso suo, vili, indocto, ab ecclesia proscripto." Quid sibi velit *ob eo axant*, non in promptu est. Legendum autem censeo, "ranae Hirlandicae tanti viri laudibus detrahant." Vel, si mavis, tu legas, "ob ea detrahant." Sunt autem ranae Hirlandicae, the Irish croakers. P. 587. "Novellae Constitutiones Latinitate donatae lib. i. Antea transtulerat. Henricus Agylaeus Buscouiduensis Corradus Ritterhusius prooemio Jur. Justinianei cap. iv. Plutarchi omnia Opera lib. i. cum MSS. contulit Eduardo

Heruisono Scoto autore in notis ad Plutarchi Commentarium de Contrariis Stoicorum. Notae uberiores in easdem Constitutiones lib. i. ipse promittit, an extent, nescio." Haec tradidit de operibus Henrici Scrimgeri, juris civilis in academia Genevensi professor eruditissimi. Sed Dempsteri verba misere sunt truncata; quae sic emendanda ego quidem censeo: " Novellae Constitutiones Latinitate donatae lib. i. Antea transtulerat Henricus Agylaeus Buscoviducensis. Conradus Rittershusius prooemio Juris Justinianei cap. iv. Notas uberiores in easdem Constitutiones lib. i. ipse promittit; an extent, nescio. Plutarchi omnia Opera lib. i. cum MSS. contulit, Eduardo Henrysono auctore in notis ad Plutarchi Commentarium de Contrariis Stoicorum." Nempe, Agylaeus easdem Constitutiones Latine ediderat, de quo viro doctissimum Rittershusium adhibet in consilium; et annotationes in easdem promiserat ipse Scrimgerus, qui tamen, ut hoc quoque moneam, Latinitate nunquam donavit. Editio Scrimgeriana, Graece tantum, prodiit in lucem anno 1558 ex officina Henrici Stephani. Pro *Heruisono* legendum omnino *Henrysono.* Doctus erat jurisconsultus Eduardus Henrysonus nostras; jus civile in academia Biturícensi docuerat, et ejus nonnulla extant opera typis vulgata. P. 590. " Consecratus ingelrannus astantibus pomposis Clericis, et procuratoribus, ut polychronicon loquitur, Eboracensis." Locus foede corruptus, quem sic restituendum arbitror: " Consecratus Ingelrannus, astantibus pomposis clericis, et procuratoribus Eboracensibus, ut Scotichronicon loquitur." P. 598. " Vivebat anno M. Diualius est Petrus Aquilanus theologus." Scripsimus, " Vivebat anno MDIV. Alius est Petrus Aquilanus theologus." Locus tamen vexatissimus; nam de Petro vel Aquilano alio, ne verbum quidem. " Scotellus in Indice

anonymi est, et docuit Andegavi jus civile. Scripsit de Jurisconsultorum Successione lib. i. Vivebat anno MDIV. Alius est Petrus Aquilanus theologus." Lepida sane historia! P. 648. " S. Vigianus Monachus Christi Dogmatis egregius concionator, ait Hect. Boeth. lib. xi. histor. Scot. p. CCXXXIV. Episcopum Brechinensem facit Scotichronicon. Claruit cum Moveano, Medano, Blano, &c. meminit, et Fordanus, et Arnold. Uvion." Pessime habita sunt haec verba, quae omnia sic ordinanda: " S. Vigianus monachus, Christi dogmatis egregius concionator, ait Hect. Boeth. lib. xi. Histor. Scot. p. CCXXXIV. claruit cum Moveano, &c. Episcopum Brechinensem facit Scotichronico Fordunus. Meminit et Arnoldus Uvion." Vocabula quaedam, in margine codicis scripta, in alienum locum migrasse videntur.

Haec et non absimilia Dempsteri loca, usi praesertim conjectura, emendavimus, vel saltem emendare conati sumus; plurima autem scriptorum, quos ipse laudaverat, loca contulimus, et hinc multa, si non omnia, restituimus. Varia fortassis incuriae pristinae adhuc manent vestigia; et haec menda, aliud agentes, jam nos vidimus. Tom. i. p. 89. " Scripsit, magistro *superstite*, de Brandani Rebus." Legendum, ut in editione principe, *superstes*. Scilicet exstincto Brandano, scripsit Barvitus. Tom. ii. p. 448. " Recte haud *dubio*;" pro quo, utique legendum *dubie*. Laborant saepe versus quos citaverat noster; interdum numeris suis, sine codicum ope, non facile restituendi. Tom. i. p. 72. e Metelli Quirinalibus proferuntur haec verba, ne versus dicam:

> Recitantur super haec sua scripta,
> Data quondam tibi, Bonifacie, Scote, martyr.

Versus Metelli, monachi Tergersensis, constant Ionicis a

minore, et sic constituendi sunt e Canisii Lectionibus Antiquis, tom. iii. part. ii. p. 137. edit. Basnage.

> Recitantur super hac re sua scripta,
> Data quondam tibi, praesul Bonifaci, pie martyr.

Turpiter apud Dempsterum sunt lacerati; et, ad Bonifacium civem suum vindicandum, *pie* in *Scote* non pie mutavit. Hic stare nequit *Scote*, cujus prima est producta syllaba, sicut apud Claudianum de Laudibus Stilichonis lib. ii. v. 251.

> Me juvit Stilicho, totam cum Scotus Iernen
> Movit.

Verum enimvero suspicor male habitam esse hanc postumam Dempsteri prolem. Nec dubium est quaedam ejus verba insigniter mutata esse p. 57. Folium substitutum nos exscribendum duximus; libri autem exemplar, in Advocatorum Bibliotheca servatum, idem sine mutationibus folium continet. De poeta quodam anonymo haec retulit ipse Dempsterus: " Lanienam Parisiensem detestatus anonymus quidam Scotus, sed, ut videtur, Catholicus: elegans sane et vividum carmen est sub titulo *Furiae Francicae*. Initium acerbum est, totumque poema affectibus plenissimum:

> Impie rex, mater truculenta, invisaque coelo,
> Guisiadum soboles.

Anno MDLXX. deflet Catholicos occisos."—Et mox: " Auctor ille, sive Jacobus Cadanus, sive Adamus Blacvodaeus, sive Andreas Melvinus, Scotorum rebellium furores, clandestinos Germanorum haereticorum conatus," &c. Et folio verso desunt haec verba: " is fuit Adamus Blacvodaeus."

De editione autem operis, haec memoriae tradidit Lud.

Boncompagnus in epistola ad lectorem: " Quod vero praematura morte nobis ereptus ille non potuit, in extrema his vigiliis imponenda manu, in limandis, novoque ex intima et recondita antiquitate observationum auctario locupletandis, sedulo et gnaviter desudant Dempsteri cives, viri in hac literarum palaestra exercitatissimi." Et sub finem ejusdem epistolae: " Si quid hoc in libro, aliisve Dempsteri lucubrationibus, sanctae Romanae ecclesiae, cujus ille decretorum vixit et mortuus est observantissimus, minus placens invenietur, *id omne expunctum iri pollicentur Scoti.*" Qua igitur fide versati sint in hoc opere absolvendo, non satis nobis liquet. Lanienam Parisiensem detestari, minime arriserit " tyrannis mitratis, unctis, et rasis;" nam quinquaginta abhinc annis orationem Romae habuerat Marcus Antonius Muretus, in qua homo flagitiosissimus tam detestandum et execrabile facinus summe laudaverat. Sed leniore Dempsterus ingenio, teterrimam hanc lanienam detestatus est, ideo notatus ab his Romanae curiae mancipiis. Dabam Edinburgi non. Decembris anno MDCCCXXIX.




HISTORIA ECCLESIASTICA
GENTIS SCOTORVM LIB.XIX.
Qua Viri Sanctitate, literis, dignitatib.q toto Orbe Illustres, & Familiæ, et Scotiæ in varias Vrbes transmissæ & præcipue Placentiâ Recensentur.
Illustrissimo Viro
FABIO SCOTO PLACq
Miceni Com. Dicata.
Auctore Thoma Dempstero Scoto I.C. Baron. de Muresck, Eq. Aur. Bonon. Prof. eminente, et in Academia Nostis Euantio
Superiorum permissu. Bononiæ Typis Nicolai Thebaldini 1627
Oliuiero Gatti fecit

ILLUSTRISSIMO VIRO

FABIO SCOTO PLACENTINO,

MICINI COMITI,

D. BASSIANUS GATUS PLACEN. MONACHUS HIERONYMIANUS, F.

THOMAE DEMPSTERI, hominis certe hac aetate admirandi, VIR illustrissime, de Historia Ecclesiastica Gentis Scotorum dedicanda TIBI, et offerenda, mentem fuisse non ignoras; quam tamen, ne ad optatum perduceret exitum, mors vetuit praematura, typosque, qui tuis properabant sumptibus, in medio cursu est remorata. Factum nihilominus Dei beneficio, ut aliquot ante diebus per literas ad me Bononiam Vicentia datas, quod haec testantur verba, " interim Historiam tuam magis quam meam arctius tuae curae commendo, haec enim deinceps pro liberis erit," de sua mente me certiorem fecerit, uti jam saepius mihi tu et ille commiseratis; ex quo nemini mirum videri debet, si ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τίθημι. Quam provinciam eo mihi liben-

tius assumo, ne dicam, ardentius arrogo, quod in eo operam curamque figere me et collocare probe sciam, unde non exigua laudis et gloriae in communem patriam fiat accessio. Huc accedit mea in TE et in Dempsterum observantia, devotum utrique obsequium, non solum ob innumera ab utroque in me derivata officia, verum etiam ob illas quae in utroque eximie collucent animi dotes, omnibus cum conspiciendas, tum omni officiorum genere prosequendas. Jam quis adeo irreligiosus, qui ultimam et justissimam demortui voluntatem non exsequatur? quae gens tam barbara, aut quis tam efferus, et a moribus alienus, qui vitam alicujus si putet per se restitui posse, nolit? quis denique tanto operi tamque digno diem, quo Dempsterus reviviscat, negare velit, aut prohibere? Cui ego alias nisi obtulero inferias, saltem hoc unum persolvere mihi fas sit officium, non magnum quidem, sed quod huic Historiae praefixum, et nomini inscriptum tuo, averruncandae invidiae et oblivionis causa, immortale sit futurum. Nunc vero inter alia quae illum adhortarentur, ut te ad novam hanc, et meliorem forte Scotiam advocarent illustrandam, caput illud esse mihi visum est, si reponeret apud aliquem, apud quem sciret, apud quem non nesciretur. Et certe, si quid Virum illustrem aut Principem commendet, id totum in prudentia, exquisita rerum cognitione, et animi magnitudine situm existimo; norat enim te esse eum apud quem bene mererentur, aut qui huic seculo adornando, et praesertim tuae patriae extollendae gentique Scotorum, ex quibus regiam plane ducis originem, inter fastos recensendae operam navarent diligentem, aut saltem qui de Musis ac literis humanioris eruditionis totos consecrarent, ex quibus aliquam Majores et Posteri referrent commendationem. Non retexo hic quanti sis apud

Placentiae ac Parmae Ducem, qui penes te omnia quasi sua reposuit; neque quanti fueris apud magnum illum Alphonsum, quondam Ferrariensium Ducem, apud Caesarem, caeterosque illius invictae domus Estensis Principes, adeo ut tibi uni summa omnium rerum committeretur ab ipso Duce Mutinensi, a quo quoties missus ad S. Pontificem, ad Imperatorem, ad Duces Sabaudiae, Mantuae, Parmae, Urbini, aliosque summos Viros Legatus, nunquam spe tua frustratus iveris: praetermitto, ne tuam in hoc munere diligentiam, fidem, ac peritiam elevare magis dicendo quam exornare videar recensendo. Taceo tua ope lites gravissimas inter Mutinae Ducem et Pium S. R. E. Cardinalem compositas: sileo dissidia inter Mutinenses, Mantuanos, et Guastallenses, quasi jam spirantia, divina quadam, vel tua moderatione temperata. Quid dicam armatas copias, in bello contra Lucenses, rebus omnibus quam affluentissime a te sustentatas? Quid referam tuas inter abruptos illius regionis et asperrimos montes, non sine maximis laboribus, vigilias, quibus prospiciebas, quibus consulebas, ne quid detrimenti tuae prudentiae commissi paterentur? Quid denique de annona loquar, quam tanta celeritate tantaque copia, publico Mutinensium et sociorum beneficio, in difficillimis et angustissimis temporibus procurasti, ut omnibus statim quasi ad miraculum fieret satis. Haec sunt aliqua ex innumeris quae Dempsterum non modo excitarunt ut te ad Scotiam hanc illustrandam accerseret, sed etiam Magnates et Principes Viros, qui tuam prudentiam, fidem, diligentiam, et animi magnitudinem vehementer demirati, opera tua uti expetunt, frui enixe cupiunt. Quare et haec et aliae de te loquentur Historiae, alia ingenia, aliae ingentes et praeclarae animae, quas tamen haud dubie aeternitati tuae semper habebis

vectigales, cum minorem famam accepturus sis a quoquam, quam daturus. Ego vero, Vir illustrissime, qui et Thomae Dempsteri nomine obstrictus tibi sum, et meo, utriusque hoc tibi, quod debetur, persolvo, quod tuum est offero, in quo, ut illius ingenium et industriam, ita meam erga utrumque voluntatem hac, quantulacunque est, opera testatam, uti spero, probabis. Vale, decus patriae, et Scotae gentis deliciae. Bononiae, ex D. Barbatiani aedibus, pridie idus Maias, ipso die quo celebratur Romae Assumptio Innocentii I. Scoti ad Pontificatum Maximum, 1627.

AD LECTOREM

LUD. BONCOMPAGNUS V. A.

Quin Thomas Dempsterus, cum aliis multis excellentis ingenii monumentis, tum isto de Scriptoribus Scotis volumine, quod vivo auctore coeptum edi, nunc ad umbilicum perductum tibi damus, amice lector, postumum, de patria deque literis optime sit meritus, neminem, nisi ab omni humanitate alienum, dubitaturum puto. Nihilominus prout est nostrum seculum ferax hominum petulanti et indomita, quod in aliis praeclarum taciti coguntur admirari, in semet desiderari agnoscunt, insectandi libidine ferocientium, valde suspicor fore malevolos, qui aegris oculis Scotiae splendorem intuentes, secundamque Dempsteri famam minus propitia aure excipientes, inficetis obtrectationibus illum obscurare, hanc mendaci calumniarum et coenosa congerie contaminare conentur. Quare effrenatae improbitati occurrere omnino necessarium fuit, ut malis os obturaretur, bonique, de fraudibus et offuciis ante moniti, veritati et virtuti testimonium et applausum non denegarent. Fuit Dempsterus acri vir ingenio, inflammato ad omnes disciplinas perdiscendas studio, facili et cerea ad comprehendendum, tenacique et fideli ad retinendum quicquid legisset, memoria. Cum vero publicatis in omni eleganti et amoena literatura compluribus libris abunde nomini suo celebritatis conciliasse visus esset, Scotorum autem in fortitudine bellica, in literis, in pura Catholicae religionis professione antiquitatem et constantiam non satis pro rerum magnitudine notas, sive temporum injuria, sive popularium incuria, alio meditationes deflectentium, jacere animadverteret, ingemuit, et animum ad Scotiae suae laudes illustrandas pulcherrimo facinore appulit. Publica itaque luce donavit syllabum librorum aliquot a

se his de rebus feliciter inchoatorum, in quo nuda clarorum Scotorum imprimisque SS. nomina perscripta continebantur: quas primas operis lineas rudi penicillo, sed ut artifice manu ductas scires, spectandas proposuit, cum ut doctorum de universo conatu sententiam eliceret, tum ut civium suorum in patria ornanda symbolas extorqueret, et studium accenderet. Ussit vehementer, et male habuit ista lucubratiuncula vicinam gentem, quae inverecunde orbem alienis plumis ornata obambulare, et principum benevolentiae ac liberalitati obrepere, Scoticae eruditionis et sanctitatis titulo, non erubescebat. Hinc derepente detonuit in Dempsteri caput horrenda tempestas, scriptique inhumano et inclementi stylo, tanquam in plagiarium aut alieni fundi depopulatorem, famosi libelli, insulsis in omnes Scotos probris pleni. Sed impune non tulit rustica manus temerariam provocationem, non levi brachio a Dempstero castigata, et eruditissimo et mordaci aceto perfricta. Utriusque libelli, cum Dempsteriani tum Hiberni conviciatoris, ab illustrissimis qui sacram indicis librorum congregationem moderantur cardinalibus vetita lectio, imperato in posterum conviciandi termino. Non destiterunt tamen aemuli novis et fictilibus scriptiunculis Dempsterum lacerare, arcanis accusationibus vexare, nunquam ausi palam congredi, imbecillitatis suae conscii, et caussae diffisi. Dempsterus, ut generosus leo, minutorum istorum catulorum contemptis latratibus, silere etiam cum aliqua nominis jactura maluit, quam ecclesiae matris sanctionibus videri non auscultare; atque adeo pergere in pertexenda, quam jam paene confecerat, De Sanctis et Scriptoribus Scotis Historia, vocatis ad testimonii dictionem ab omni antiquitate, ab omni natione, quae literarum professione censeretur, omni exceptione majoribus auctoribus, doctis dictis, non maledictis, pugnandum esse arbitratus. Si quid tamen inter scribendum incalescenti excidisset acerbius aut inurbanius, id justo dolori

condonandum rebatur, qui fero barbaroque more provocatus, inhiberi et sisti difficile se patiebatur, quin in voces acceptarum injuriarum indices prorumperet aliquando; quas si amariores senserint adversarii, desinant maledicere, ne male audiant; aut si porro insanire, et in mortuum saevire volent, nolim sibi blandiantur, aut inani opinione illudant, sperantes defuturos, qui suam Scotiae gloriam sartam tectam conservent et tueantur, postumam Dempsteri famam asserant ab invidiae morsu illibatam. Cogitent nihil esse magis in proclivi, quam calamum sepiae veneno imbutum apud prurientes temporum nostrorum aures deonerare, facillimumque laesae eruditioni ex alieni hallucinationibus voluminum moles exstruere, et ex illo novorum annalium fecundo incertarum narrationum dictionisque illuvie horrido campo uberem ad carpendum segetem demetere. Nec quisquam eorum, qui scribendo inclarescendi prurigine flagrant et agitantur, ita omni ex parte inventus est beatus, ut ab errandi periculo immunem se ausit polliceri; sic nec usquequaque Dempsterum a naevis libero; immo ut hominem natum multa peccare potuisse fatendum est, at peccata, si diuturnior vita contigisset, ut Christianum et doctum, aut sua sponte, aut candide ab aliis monitum, fuisse correcturum. Quod vero praematura morte nobis ereptus ille non potuit, in extrema his vigiliis imponenda manu, in limandis, novoque ex intima et recondita antiquitate observationum auctario locupletandis, sedulo et gnaviter desudant Dempsteri cives, viri in hac literarum palaestra exercitatissimi. Opus cur Historiae Ecclesiasticae titulo proscriberet, has habuit caussas Dempsterus. Maximam partem labor omnis in eo consumitur, ut ne oblivionis tenebris involuta Scotiae sanctorum memoria exarescat, desintve illustria et domestica exempla, quibus Scoti, qui hodie a majorum in religionis veritate, moribus, et institutis recesserunt, deviique a prima puritate aber-

rarunt in Calvini errorum praecipitia, ad sinceram Dei colendi rationem revocentur, relictisque et contemptis novitiis, profanis illis, impiis, imperitis, nec integrae famae homuncionibus, pessimis et caecis ad sequendum ducibus, dum resipiscendi tempus et locus est, mature in Ecclesiae Catholicae et Romanae, extra quam certissimum naufragium, portum se recipiant. Merito itaque Ecclesiasticam Scotorum Historiam nominavit, in qua, tanquam in speculo, veteris pietatis cum Romana Ecclesia in religione conspiratio et consensus perpetua serie narratus legitur, novorum autem dogmatum foeditas et pravitas luculente ad detestationem et horrorem suis coloribus proditur. Quare nec haeretici, quorum nondum est conclamata sanitas, et vita desperata, fuerunt ingenii et eruditionis, quam merentur, laude fraudandi, sed excitandi, ut, quas Deus dedit, animi dotibus in quaerenda aeterna salute uterentur; nec qui Catholici inter haereticos Deo et sacerdotibus cogniti delitescunt, persecutionis serenitatem exspectantes, ullo fuerunt indicio detegendi, ne innocentibus ab haeretico magistratu periculum vitae aut fortunarum crearetur, supervacaneo et intempestivo divulgatae virtutis elogio. Hujus classis in hoc opere multos invenies, quos rerum fortassis Scoticarum ignarus, et iniquus censor, haereticorum albo audacior ascripserit. Sed ut paucis te absolvam, benevole lector, si quid hoc in libro aliisve Dempsteri lucubrationibus S. R. E. cujus ille decretorum vixit et mortuus est observantissimus, minus placens invenietur, id omne expunctum iri pollicentur Scoti. Vale, XII. cal. Sept. CICDCXXVII.

AD THOMAM DEMPSTERUM,

PERILLUSTR. AC REVERENDISS.

D. BALTHASSARIS BONIFACII RHODIGINI, ARCHIDIACONI TARVISII,

EPIGRAMMATA.

Barbaries dominam delevit funditus urbem,
  Nunc vexat Scotiam, proh superi! impietas:
Tu qui Romanas potes instaurare ruinas,
  Debueras patriae conditor esse tuae,
Quique recentasti Latium, vir magne, vetustum,
  Antiquare novam debueras Scotiam.

EJUSDEM.

Ut Paralipomenis, Thoma, prius edita cedant,
  Ut meliora cibis sint analecta, facis.
Esse racemator cupiat jam vinitor ipse,
  Ipseque jam messor spicilego invideat.
Nunc ex historiae pratis rapis omnia, nilque
  Foenisecae superest, quod sicilire queat.

EJUSDEM.

Seu tenebrae Scotiae, seu dant oblivia nomen,
  Horruit auspicium nominis illa sui.
Inclytus, atque omni semper memorabilis aevo
  Scriptor, ab hac terra tollit utramque notam.
Est, ignominiam Thomas qui nominis aufert,
  Lux patriae, Scotiae gloria, gentis honos.

THOMAE DEMPSTERO SCOTO,

Academiae NOCTIS Bononiae ascripto,

Viros Patriae suae illust. jam antea descriptos in lucem nunc edente

ADMOD. R. P. BASSIANO GATTO,

Monacho Eremitano S. Hieronymi,

EPIGRAMMA.

Sidera quot summo sol nocte colorat Olympo,
NOCTE Thomas coelo tot Scotiae accumulat,
Nube dein frustra cupit atra oblivio coelum
Obruere, ut pereant tot monumenta viri.
Ast illi rediviva typis nova lumina surgent,
Ut sint perpetua in NOCTE habitura diem.
Dempster Apollineus, sic cum Jove junctus amico,
Influet in vitam, ut vernet ab eloquio.

Honoris ergo posuit OVIDIUS MONTALBANUS,
Rugiadosus Academicus Noctis.

ROBERTI BODII ABREDONENSIS SCOTI.

Heroos animos, aevique aeterna Britanni
Dum tu gesta canis, Dempstere, potentibus impar
Tantum coelicolis, queis mors velocibus horis
Jam jubet esse parem, nescit tua Scotia laudes
Cui tribuat veras, tantae praeconia famae,
Si tibi sive sibi, sic secum gloria certat;
Sed nato debere suo mea Scotia gaudet,
Et gaudes, care, tu tollere gesta parentis.
Mortales sua busta fleant: patriaeque tibique
Tu vivis post fata; tui novus incola coeli,
Despicis aethereo mortales vertice curas.
Aut tua jam dicat genuisse Britannia numen,
Aut genuisse suum fateantur numina Scotum.

SIMONIS RODERISII HARLENI BATAVI,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS.

Non minus augusto genio quam nomine magnus,
Pelleus juvenis, cum bellipotentis Achillis
Aspiceret cineres, totum se fudit amaras
In lachrymas, imo ducens has pectore voces:
Felix Pelides, aeterno carmine magnus
Quem canit, Aoniaque tuba coelo aequat Homerus:
Ast ego, totius mundi domitorque tremorque,
Destituor digno laudum praecone mearum:
Sic mea cum vita Stygias migrabit ad undas,
Fama brevi nomenque meum mox excidet aevo,
Ut qui consenuit patriis inglorius arvis.
Sic moriar, reliquumque nihil post busta tenebo?
Nequicquam magnus, nil debellasse tot urbes,
Nil orbis vasti populos fraenasse juvabit.
Scilicet haud minor est virtus quaesita tueri
Nomina, praeclaris quam famam quaerere factis.
Quas, Dempstere, igitur tibi Martia Scotia grates,
Quas referent heroum animae, quorum inclyta gesta,
Foeda tecta situ, densisque sepulta tenebris,
Eruis in lucem, meritaque ad sidera laude
Evehis, historiaeque tuba super aethera tollis?

VIRO INCOMPARABILI,
AMICO, HEU QUONDAM! RARO,
M. S.
JOANNES RHODIUS DANUS.

Aras, arma, focos, leges, sociosque Quiritum,
Invidia inscitiae nube tegebat avis.
Alma Themis, priscae stirpis memor, axe Trion
Dempstero calamum vindiciasque dedit.
Ille deum atque urbis Latio sermone nitorem
Restituit vobis, historiaeque fidem.

Ast animo coeptus magno divinior ausus,
Numina Scotigenae prodere gentis erat.
Ruperit infelix telam licet Atropos orsam,
Sera tamen sacrum fama loquetur opus.

IN EJUSDEM PRAEMATURUM OBITUM.

Non erat a nostro tam distans orbis ab orbe,
Quem non Dempsteri nosceret ingenium:
Non erat in nostro tam dissitus angulus orbe,
Quem non repleret didita fama viri:
Restabat coelum, mentem praemiserat illuc;
Incola ut ipse foret, mors inopina facit.
Mortuus at non est, nec quamvis pressus acerba,
Hunc moriendo mori tot monumenta vetant.
Dempsteri nomen nunquam musea tacebunt,
Hujus tot scriptis nobilitata libris.

Joannes Thuilius Mariaemont. Titolens. Humanitatis Patavii Primarius Interpres, m. p.

LUDOVICUS BONCOMPAGNUS VIRD. AUSTRASIUS,

OBSEQUII ERGO, P. IN TRES CLARISSIMOS VIROS,

HUJUS OPERIS EDITORES.

Tres unus olim vidit in coelo dies
Fulgere soles, grande naturae decus,
Magnaeque forsan grande prodigium rei.
Miraris, atque majus hoc monstro putas?
Quid tres in una nocte si videas solo
Lucere Phoebos clarius Phoebes poli?
En cerne FABIUM, maximum Scotae decus,
Gentisque lumen: cerne Dempsterium Σοφὸν
Orbis relucentem orbe in externo Scoti:
Et BASSIANUM cerne, quo fulget sacer
Ordo decoro sidere, et gaudet suo.
Hi tres in uno jam nitent Phoebi libro.

Tres imo in una nocte jam Scotiae vides
Splendere soles, lumen et vitam sibi
Impertientes mutuam ; fallor, simul
Tres dant Scoto orbi lumen et vitam : et, quod est
(Utinam !) futurae grande prodigium rei,
Hoc Scotia melior lumine, hac vita sapit,
Et Scotia surgit melior, et melior nitet.

EJUSDEM.

Innumeros, Thoma, foetus producis in auras,
  Quos tulit in gremio Scotica terra suo.
Qui fiet, qui, si genuit te Scotia? Forsan
  Et lucem, et vitam quam dedit, ipse refers.
O laus, O pietas ! lucem cum laude refundis,
  Et vitam gratus cum pietate refers.

ΑΥΤΟΥ

ΕΙΣ ΑΥΤΟΝ.

Εἷς, Θωμᾶ, Σκότος, οὐδὲ σκότος, μᾶλλα δ' ἐν σκοτέεσσι
  Ἐν πάτρᾳ σοῦ, καὶ πάντοθι φωτοδότης.

Dell' Illustriss. Sig. Ottavio Accorombono, Abbate di S. Andrea.

O cari, che sembrate afflitti, e mesti
Del mio partir da quella oscura vita,
Piena di mali, à quelli sol gradita,
Che dietro al mondo van veloci e presti;
Non più languir, non più voci funesti,
L' anima tranquillate sbigottita,
Poiche la giù mia lutta è già finita,
E mi godo trà i cori alti e celesti.
Mi fece il mondo sempre horribil guerra,
Hor mi da il ciel una perpetua pace,
Da gli affanni lontana de la terra.
Non turbate però mio ben verace
Col dolor, che si rio nel cor si serra,
Ch' al Signor, ed à me molto dispiace.

Dell' Illustriss. Sig. Marchese Canossa al suo Precettore.

Quell' arca di dottrina, e quella luce,
Ch' illustrò con la penna il mondo, hor giace
In freddo marmo, ma qual nobil face
Frà gli altri chiari heroi nel ciel riluce.
A la via del saper fù sommo duce,
Insegnando à ritrare il piè fugace
Dal volgo, per trovar quel ben verace,
Ch' à l' eterno goder l' animo adduce.
Havea quà giù del grand' oprar goduto
La gloria, e sol mancava la corona,
Che Dio per ara à la virtù comparte;
Ond' hora stà d' un tanto dono à parte,
E' l nome del Dempster per tutto suona,
E frà i più chiari sia sempre tenuto.

Del Sig. Gasparo Bombaci, il TARDO *Acad. della* NOTTE.

Chi sia già mai, che sorvolando saglia
De le tue lodi, O gran Dempstero, al segno?
De Smirna ò Manto ogni sonoro legno
De la tua Musa il dolce plettro agguaglia.
Roma per tè le sue grandezze abbaglia,
Si come à l' hor ch' il mondo hebbe per regno.
Dal tuo facondo dir preso, ogni ingegno
Teme l' arti di Ponto e di Tessalia.
Per tè di Scotia ogni valor rimbomba,
Per tè l' humana vita in van non brama
Per cuna haver nel tuo morir la tomba.
Che mentre da i sepolcri à viver chiama
Schiera d' Eroi con la famosa tromba,
Può sol le penne tue spiegar la fama.

Del Sig. Guiglielmo Tolbotto Inglese.

Nobil Dempster, che tutto il mondo honori,
E frà le stelle à tè componi il nido,
Mentre tù furi altrui da lete infido,
Nato à costanti, e non caduchi allori,
Debite à tè le palme, à tè gli honori
Sono, e con glorioso, eterno grido
Cantano à gara, e' l canto ode ogni lido,
Dolci Sirene, e quei cigni canori.
T' ergono con divoto animo e pio
Augusto Mausoleo saggi architetti,
De l' invitto tuo cor premio, e de l' armi.
Ma don più caro ti comparte Dio,
Che vani son questi terreni effetti,
Vani i trofei, le palme, i bronzi, e i marmi.

Del Sig. Gio. Ligio d'Urbino, Dottor di Legge.

AL' inclito valor, à i fatti egregi
Del cor invitto, e del sublime ingegno,
Potean Dempstero guiderdon condegno
Render con larga mano i duci e i regi.

Mà la pietà, con cui tù inllustri e fregi
L' alme del tuo famoso e nobil regno,
Non sò chi giunga di lodarla al segno,
Ne chi tua penna degnamente pregi.
Quinc' è, ch' il ciel nel suo stellato chiostro
Ti richiamò, per darti eterno honore
D' altro che di caduco alloro, ed ostro.
Troppo per tempo, ohime ! di Palla il fiore
La Scotia perde, il perde il secol nostro;
Mà vive assai, chi glorioso more.

Del Sig. Henrico Suetono Scozzese.

Ne la dura tempesta
De l' immatura morte, anima bella,
Il morir lampi sono,
Folgor l' essequie, e' l tuono,
Doglie le nubi, e i minaciosi venti,
Pene, cruci, e lamenti,
L' onde tumide e nere,
De la Morte le voglie acerbe e fiere,
Il pianto pioggia, hor la gragnuola sia,
Mentre scrive di tè la penna mia.

Del Padre D. Bassiano Gatti.

Mentre di velo corrottibil cinto
N' andasti, gran Dempstero, il secol nostro
Chiaro rendesti col famoso inchiostro,
Dal tempo rimanendo il tempo vinto,
Il nome, c' havea già lograto e spinto
Di tanti incliti heroi di lete il mostro,
Ravvivando portasti al sommo chiostro,
Ond' anco vi rimase il tuo dipinto.
Hor quegli in premio de l' oprar tuo grande
T' han preparato in quei beati seni
Serto à cui non può far Atropo guerra.
O vertù, quanto il tuo valor si spande,
Poiche chi gusta i tuo' celesti beni,
Fai ricco in cielo, e glorioso in terra.

SYLLABUS RERUM MEMORABILIUM:

A quo si nomina propria abfuerint, ea ordine alphabetico in suis quaeque libris requirito.

i. AIDANUS episcopus, missus ad instituendos Anglos . . pag. 8
i. Aemilianus, episcopus Faventinus, et ejus miracula 10
i. Alcuinus, magni Caroli praeceptor, fundat Academiam Parisiensem . 13
i. Adrianus martyr, Siciliae princeps, S. Geresinae reginae fil. S. Ursulae consobrinus, S. Dariae nepos, ibi de eo multa digna 22
. Aurea, virg. et martyr, soror dicti S. Adriani 23
rgobastus, magnum Scotiae lumen . 25
. Albuinus, abb. Monasterii Hii, quod est caput omnium coenobiorum Scotiae 29
. Antonina, virgo Ursulana . . 30
. Aurelia, virgo Ursulana, non passa cum aliis, sed postea . . . 31
. Anatolius, vide ibi de eo multa fol. 31
drianus IV. Pontifex Max. a nonnullis creditur Scotus natione . . 34
viellus, Henricus, Bonon. publice medicinam docuit 36
chaius rex Scotiae cum regibus Galliae perpetuum foedus pepigit . 36
o. Adam Dominicanus primus lauream doctoralem percepit . . 37
dda presbyter Anglos ad fidem perducit 37
denulphus ab. et cardinalis . . 39
rnulphus ab. missus ad Lucium papam 40
lexander, ducis Albaniae frater, et Abb. Scotiae, Julio II. carus . 40
eneas Sylvius, Pontif. Max. sub nomine Pii II. scriptor rerum Scoticarum 38
Arthuri regis Anglorum nugae fabulosae 313
Arbores in Scotia producentes anseres 321
Accursius, Bartolus, Jason, et Baldus legum corpus coinquinaverunt . 417
S. Agatha, S. Salomonis fil. S. Margaretae reginae mater, monialis . 47
An Scoti et Hiberni re differant . 48
Anonymus historicus fecundissimae memoriae 52
Anonymus poeta eleganti carmine deplorat luctuosum obitum Mariae Stuartae reginae . . . 57
Vide etiam 58
Andreas Aidaeus, commilito Dempsteri 62
Angli reguli, missis ad reges Scotos legatis, obtinent doctores ad erudiendos populos 153
Alexander Setonus, scriptor optimus, et vir egregius 592
Andreas Marianus, vir eruditus . 175

S. BALDREDUS episcopus, et ejus miracula 65
S. Babila, virgo Ursulana, regis Siciliae filia 68
S. Beda venerabilis, an Scotus, vel Anglus, vide ibi multa . . . 69
S. Bonifacius Queritinus, an fuerit Pontifex Romanus . . . 74
S. Blanus episcopus, quando natus, et quae miracula in ejus ortu . . 77
S. Bronus episcopus miraculo S. Brigidae a calumnia liberatur . . 79
S. Brendanus trium millium monachorum pater 81

S. Brigida, filia Dabothi principis . 82
David Betonus card. ab haeret. strangulatus 88
S. Barnabas apost. in Scotia Evangelium praedicat 91
Gulielmus Bailze, Rector Academiae Bononiensis 94
Hector Boethius hist. scripsit res Scoticas 97
Bundevica reg. armis, literis clar. . 108
Bassianus Gattus, monachus Dempstero carus . . . 295 et 320

S. Columbanus, monachus Bened. fundator monasterii Bobien. et aliorum, vide multa digna de illo . 142
S. Constantinus tertius, Scotorum rex, monachum induit . . . 148
Caius Sedulius, in divinis ac humanis literis versatissimus . . . 128
S. Columbus, multorum monachorum pater, ac regum educator . . 149
B. Claudia, Graece ac Latine doctis. 173
SS. Christiancia, Cleomata, Constantia, Cordula, omnes virgines Ursulanae 165, 166, 168
S. Cyriacus cardinalis, concivis S. Ursulae, et martyrii socius . . 167
Georgius Conaeus doctissimus, nunc agit in obsequium illustrissimi Card. Barberini 170
Georgius Camerarius, doctrina clarus 172
Thomas Carnigillus, Dempsteri praeceptor 173
Clemens VI. pontifex descendit linealiter de Maria comitissa Bononiae, filia S. Margaretae reginae, et Malcolmi regis Scotorum . . 176
Culdei quid significent . . . 180
S. Clemens operam dedit in erigendis Academiis Parisien. et Ticinensi 175
Jacobus Crichtonius, Scotus doctiss. dicebatur orbis miraculum: a principe Mantuano noctu occiditur . . 188
Jacobus Cadanus, prodigiosae memoriae 193
Cuperus quidam haereticus cum Dempstero triduo certamen habuit de articulis fidei. Dempsterus eum superavit 195
Cognomina nulla jam erant, nisi a praediis seu a patribus, aut a colore corporis 219
Carmina suavissima S. Hildeberti de Roma 354

Danorum barbaries in Christianos . 20
S. Donevaldi septem filiae omnes inter divos relatae 21
S. Dympna, virgo et martyr, regis Hiberniae filia 203
S. David, Scotorum rex, fil. Malcolmi III. et S. Margaretae . . . 204
S. Daria, S. Mauri principis Scoti uxor, ac S. Ursulae mater . . . 211
S. Deicola abb. et ejus miracula . 211
S. Duffus, rex Scotorum 78, martyr, et ejus miracula 213
David Duglasius, ab impia regina Anglicana ob fidem Catholicam necatus 215
Guliel. Douglasius abb. scriptor vetustissimus suae familiae . . 218
Jo. Duns Scotus, Doctor Subtilis, Franciscanorum gloria, vide ibi de illo multa 227
Gulielm. Dempsterus, ex quo prodiit in Scotia familia Dempsterorum . 235
Dempsterus quid significet . . 235
Thomas Dempsterus, auctor hujus ope-

ris, eruditiss. in omni genere scientiarum, 237. ejus scripta, vita, et mors 672
Destinantur diversi episcopi ad diversas sedes 448*
Donaldus rex petiit a Victore pont. doct. ad docendam Scotiam . . 536

S. Erentrudis vir. abb. traxit orig. a regib. Franciae et Scotiae . 246
S. Elifius mar. fil. Fincormaci regis, et ejus prodigia 247
S. Ebba monialis, vide ibi miranda de ea, et suis monialibus . . . 248
S. Edmundus monachus, fil. Malcolmi regis ex S. Margareta . . . 256
S. Eucharius, episcopus et mart. regis Scotiae filius 256
S. Ediltrudis reg. monialis inclyta . 257
S. Eugenius, S. Petri apost. discipulus, vide ibi multa scitu digna . . 258
Robertus Ellis, vir insignis, vide ibi nonnulla scitu digna . . . 261
Evenus III. rex flagitiosus, fert leges spurcissimas 268
Guliel. Elphinstonus episcopus, vide ibi multa praeclara de illo . . 268
Epis. multi, nulli certae sedi astricti *453
Episcopi in Scotia ordinabantur, et in Angl. eccles. recturi mittebantur 274
Eduardus rex Angl. Scotiam invadit . 226
Epitaphium Venantii Fortunati . 513

S. Florentinus, regis Scotorum fil. miraculis clarissimus . . . 276
S. Fiacrius monachus, fil. regis Eugenii IV. vir admirabilis . . . 278
Franciscus, monachus S. Trinitatis, ab haereticis mactatus . . . 289
Fergusius, Hiberniae regis fil. fundador Scotiae monarchiae: regnarunt in Scotia non interrupto ordine usque in hunc diem 108 reges . . 291
Fergusius II. rex interfuit Romae direptioni, Alarico regi Gothorum auxiliatus 291
Flaccus Albinus, Caroli Magni praeceptor 292
Franciscus Barberinus, S. R. E. card. legatus a latere in Galliis . . 171
Faventia a Longobardis capta . 11
S. Fulcus Scotus, episcopus Placentiae, vir summae probitatis . . . 294*
Fabulae Jo. papissae quis fuerit auctor 453
Fabius Scotus, comes Placen. ab auctore summopere commendatus . 219
Familia Scotorum Narniae in Umbria originem ducit a Scotia . . . 297

S. Gualterus, Davidis regis filius, factus monachus 305
S. Geresina martyr, regina Siciliae, soror S. Dariae, matertera S. Ursulae, et mater S. Adriani principis 312
S. Gonora, uxor Arthuri regis, cujus sepulchrum mulieres calcantes credunt sterilescere 313
S. Guthagonus, Findochi regis fil. . 314
S. Grata, ex Ursulanis una . . 316
S. Gregoria, socia S. Ursulae . . 316
Galdus, rex 21 Scotiae . . . 318
Donatus Grantus Scotus, Bethleemita eremita S. Hieronymi . . 319
Th. Graius, Franciscanus doctus . 324
Galeottus Picus, Mirand. princeps . 164
Guliel. Setonus, vir omni eruditione clariss. et omnibus literatis cariss. . 591

Henricus Canisius laudatus . . 8
Jo. Hakerstonus, miles et doctor illustris: mi lector non graveris vitam ejus percurrere 365
Haereticorum rebellio et proditio contra reg. Galliae de anno 1570 . 170

S. Innocentius, pont. Rom. et ejus acta 370
S. Jo. cognomento Magister, vir fe-

stivissimo ac acutissimo ingenio . 371
Jacobus I. Roberti III. fil. ejus vita, carceres, et mors . . . 380
Jacobus IV. rex in bello occisus . 381
S. Jo. Erigena, monach. Bened. jubente Carolo Mag. Ticin. scholam fund. . 42
S. Jacob. patr. Antioch. mart. . . 386
S. Jotha mart. virgo Ursulana . . 386
S. Julia, ex praedictis virginibus . 386
Imperii Rom. divisio per Theodosium Hispanum 387
Incertus poeta luxit martyrium Augustissimae Mariae Stuartae . . 389
Jacob. Curlaeus, Societatis Jesu, Reginae Mariae a secretis fuit . . 170

S. Kentigernus F. Eug. reg. Scot. 398
S. Kilianus, monach. et mar. . . 407
Kenneira, S. Ursulae socia . . 412
SS. Virg. pro servanda virg. exustae 412
Kilianus Scotus scientiam juris civilis Bononiae emortuam excitavit . 417
S. Kunegundis, virgo Ursulana . . 420
S. Kunera, virgo Ursulana . . 421
Petr. Kyntyre scripsit gesta B. Gregorii X. 422

S. Lucia, regis Scotiae filius . . 426
S. Levinus mart. ejus signa . . 427
S. Lucia alia, virgo Ursulana . . 432
Epiphanius Lindsay Capucinus contra haereticos [scripsit] . . . 434
Th. Lauder epis. vide de eo multa 441

S. Macra, mart. regis Scot. fil. . 447
S. Machutes, epis. et ejus vita . 448
S. Margareta, heres regni Angl. . 450
S. Malcolmus, Virgo dictus ob vitae puritatem 452
S. Marianus monachus, vide ibi . 453
S. Mansuetus episcopus, S. Petri discipulus, S. Menildis reg. Scot. F. *447
S. Mathilda, S. Malcolmi et S. Margaretae regum filia . . . *451
S. Maglastianus, socius Alcuini . *453
S. Maxentia, Soluathii reg. Scot. fil. 458
Maria Stuarta, Jacobi V. unica, Jacobi VI. mater, Francisci II. reg. Galliae uxor, vita ejus, et martyrium, epitaphium ad ejus tumulum Maphaei Barberini, nunc Pont. Max. . . 461
S. Margarita, regis Daniae F. . . 468
S. Macririus episc. comes S. Urs. : 469
S. Maurus, rex Scotiae, pater S. Urs. 470
S. Menna, virgo regia, et martyr . 472
Jo. Mailrosius scholam Parisien. et Ticinen. fundat 476
Franc. Mayronis Franciscanus, scriptor praestantissimus 478
Monachus S. Hieronymi deportat in Scotiam imaginem B. V. Lauret. 261
S. Mellanius episc. et ejus mirac. . 487
Merlinus, de quo multa fabulantur, fuit Scotus 488
Maria, Jacobi quinti vidua regina, laudata 493
Mogallus, rex 23, bellum gessit cum Romanis 494
Michael Scotus, de eo multa fabulosa 494
Monasterium D. Jacobi desolat. . 536

S. Nennius, ex primis qui in Scotia labores pro Christi causa subierunt 500
Nicolaus Alidosius, hist. Bonon. . 223
S. Nicolaus episcopus, miraculis claruit 501
S. Ninianus episcopus, miraculis ac sanguine clarus 502
S. Novatus, vide ibi multa digna . 503
S. Nervus monachus, miraculorum patrator 506

S. Odda virgo, Eugenii V. filia, monialis clarissima 509
Jo. Ogilby, [e] Societate Jesu, ab haereticis mactatus 510
Odo deportat in Scotiam habitum

Franciscani tempore S. Francisci 511
Origo familiae Scotorum Placentiae ex Mordaco rege de anno 767 in Scotia incepit, postea in d. civitate propagata per Gulielmum, regis Archaii fratrem, qui cum Carolo Magno in Italiam venit: vide totam historiam . . 218, 219, 220
Ordo S. Benedicti nullibi sanctius, quam apud Scotos . . . 455
S. Odilia mar. virgo Ursulana . 517
S. Osmana, virgo regia . . . *511

S. Pandiona v. reg. Scotiae fil. . *515
S. Patricius et ejus Purgatorium . 520
S. Peregrinus, de stirpe regia . . 530
Primivius monachus unico signo crucis innumeros serpentes profligavit 539
Pius Rubeus, monachus Placentinus Hieron. scriptor laudatiss. . . 320
Petrus Maria Campus, canonicus Placent. historicus laudatus . . 295
Privilegia Scotis a summis pontificib. concessa deperdita . . . 323
Pons labore X. annorum per Carolum Magnum fabricatus, spatio trium horarum conflagravit . . . 414
Placentia civitas, ac ejus dotes . . 295

S. Rabanus monachus fundat scholam Parisiensem 545
S. Rumold. eremit. fil. reg. mar. . 556
Beatus Richardus a S. Victore mon. 567
S. Richarda, Gregorii reg. Scot. fil. 555
Riarii Marchiones Bonon. originem ducunt a gente Scota, fol.
Richardus a Media Villa Scotus . 482
Robert. Bodius, doctiss. Scot. . . 320
Robert. Stuartus praedicit mortem Reg. Mariae 582

Jo. Scotus, mirabilis in jejunio . 578*
Jo. a Sacrobosco Scotus . . 579
Sidonius Scotus faciebat ex aere aurum purissimum . . . 603
Scoti interfuerunt bello sacro . . 102
S. Sco. patroni nonnullarum civitatum Italiae. Scoti de robore secto construebant ecclesias . . . 274
Sylvester Scotus eques laudat. . 297

S. Tervanus cultores idolorum ad fidem perduxit 607
S. Triduana virgo, ut amatoribus obstaret, oculos sibi effodit . . 612
Taillerus Dominic. correxit cantus ecclesiasticos 617
B. Walterus Treill eximius . . 619
Jacob. Tyrius, Jesuita egregius . 626
Tyrol rex Scot. vide ibi multa . 624

S. Wendelinus, Mord. regis fil. . 636
S. Walpurga, vir. reg. et mar. . 644
S. Ursula, virgo et martyr . . 653
S. Wilhelmus, vide ibi . . . 656
Robertus Venantius egregius . . 669

FINIS.

Advertat Lector numerum paginarum, a numero 287 *usque ad numerum* 295 *exclusive, esse duplicatum.*

Alia errata remittuntur ad benignitatem legentis.

D. Homobonus Poenit. pro Illustriss. Card. Archiepisc.

Imprimatur.

F. Hieronym. Onuphr. pro Reverendiss. P. Inq. Bonon.

HISTORIA ECCLESIASTICA

GENTIS SCOTORUM:

SIVE

DE SCRIPTORIBUS SCOTIS.

LIBER I.

S. ABEL. 1.

S. ABEL, inter praecipua Scotiae meae ornamenta habendus, Benedictinus monachus, S. Bonifacii socius, et peregrinationis et sanctorum pro fide apud gentes Germanicas et Gallicas stabilienda laborum particeps, Rhemensis archiepiscopus, incertum sponte an praecepto pontificis, an vero impotente principis alicujus injuria exactus, sedem reliquit, ut majore cura convertendis infidelibus vacaret, et jure Belgii vicinorumque tractuum apostolus habetur. Natione Scotum v. CL. Georgius Colvenereus, theologus Duacensis doctissimus, ad Flodoardi Historiam scripsit, et consentiunt auctores alii. Molan. Natalib. SS. Belgii, qui non ad manum; et ex eo Constantinus Ghinius Natal. SS. Canonicorum pag. LIII.

" Laubiis natali S. Abelis, episcopi et confessoris, natione Scoti :" error, nam nec episcopus, sed archiepiscopus, et abbas. Catalog. Archiepiscoporum Rhemensium ex MS. Democharе, et alii, incerto auctore. "Mortuo Martello anno DCCXLI. censuris Zachariae papae dictus Milo expulsus est a praedicta sede Rhemensi, et S. Rigoberto jungitur coepiscopus a Bonifacio Germanorum apostolo, Zacharia papa jubente, S. Abel Scotus." Pro coepiscopo censeo reponendum chorepiscopus, nam χώρα regio est: iis, qui in laboris evangelici subsidium vocabantur, regio quaepiam assignabatur invisenda, administranda, quod episcopus omnia ditionis suae loca circumire non posset, vocatique illi Vicarii Episcopi. Hincmarus apud Flodoardum lib. III. cap. XXII. Quare Gallice locum hunc vertens Nicolaus Chesneau *doyen rural*, quasi ruralem diaconum, vocat. Praestat verba Flodoardi de ejus electione audire, ita enim lib. II. Histor. Rhemens. cap. XVI. " Beatum Rigobertum secutus Abel in episcopatus ordine reperitur: quamvis eum quidam chorepiscopum tantum fuisse tradant, pontificem tamen illum diversis assertionibus invenimus extitisse." Profert deinde duas epistolas Zachariae papae quibus diserte id probatur: una harum est num. IV. inter editas, altera est LXXXV. tom. III. Concilior. ait deinde, " Chartas reperiri ipsius episcopi nomine titulatas;" tum concludit verum esse, sedem eam rexisse illum, ex epistola Hadriani I. ad Tilpinum, seu, ut aliis visum, Turpinum archiepiscopum Rhemensem. Addo Catalogum laudatum, in quo sic scriptum reperio: " S. Abel Scotus residet in ecclesia Rhemensi, sed ab eadem quoque depellitur, tandemque obiit in monasterio Laubiensi dioecesis Cameracensis: hunc quidam non numerant, et secundum hoc Hincmarus in epitaphio S. Remigii se vocat XXXI. episcopum Rhemensem, et XVI. a S. Remigio." Sed contra hanc Hincmari opinionem stat veritas ipsa, ut abunde verba Catalogi istius ecclesiae fideliter scripta et relata probant, praeter Flodoardi textum evidentissimum: addo et Laurentii Surii fidem, qui in vita S. Rigoberti tom. I. die IV. Januarii Hincmarum ponit quintum a S. Rigoberto Rhemorum episcopum, quod verum non esset, nisi archiepiscopus numeretur S. Abel, nam eo praetermisso reperiuntur tantum quatuor isti, Tilpinus, seu Joannes Turpinus, cujus nomen fabulosae de Carolo Magno et Rolando Historiae praefigitur, Vulfarius Ludovici Pii can-

cellarius, et Ebbo patria Germanus, Hincmarus post hunc. Sed haec fatalis carae meae Scotiae calamitas est, viros magnos aut aliis donari, aut vilipendi, minoresque vero haberi. Nec injuriam sanctissimae meae patriae ab Hincmaro illatam queror, qui ipsi S. R. E. et apostolicae sedi injurius fuit. Porro de nostro adeundus Joannes Trithemius, lib. III. de Vir. illustr. Ord. S. Benedicti, cap. CCXCVIII. et lib. IV. cap. CXVIII. Recolitur sacra ejus memoria die V. Augusti. Usuardus, Galesinius, Arnoldus Uvion libr. III. Lign. Vitae pag. CCLXIII. qui omnes pro dignitate S. Abel contra invidiam, et Hincmari contumelias viriliter stant, et archiepiscopi eum titulo honorant, quorum auctoritas apud me, ut esse debet, jure merito maxima est. Non placet tamen Uvionis sententia, qui in Rhemensi metropoli vult titularem archiepiscopum ad infidelium conversionem fuisse, quod nunquam dixisset si vel Catalogum citatum vel Flodoardi Presbyteri Historiam legisset. Adjungo his succedaneum Joannis Molani gravissimum in Natalibus Sanctorum Belgii testimonium, qui archiepiscopum Rhemensem legitime a pontificibus summis electum et confirmatum facit. Acta ejus ad me non pervenerunt. Scripsit

Epistolas ad Zachariam et Adrianum,	
Pontifices Romanos,	lib. I.
Ad Rhemensem Ecclesiam	lib. I.
Ad Bonifacium Legatum	lib. I.
Ad Lobienses Fratres	lib. I.
Ad nuper conversos	lib. I.
De Mysteriis Fidei	lib. I.

Scotia cum S. Bonifacio excessit, et aliquandiu illi in praedicatione adhaesit, sed sub annum DCCXLII. cum obiisset Sanct. Rigobertus, DCCXLIX. an. S. Abel ei successor datus, sub annum vero DCCL. factus est abbas Laubiensis, vel Lobiensis, anno DCCLVIII. sede sua depulsus est: denique sanctissimam mortem obiit, diemque natalem habuit anno DCCLXIV. die V. Augusti, ut praemonui.

S. ADAM. 2.

S. ADAM, a provincia quam episcopus rexit Cathenesius vocatus, abbas Mailrosensis, deinde episcopus, Arnoldus Uvion lib. II.

Lign. Vit. cap. XXXIX. quod more vetere decimas exigeret, a furente plebe domi comprehensus, ac in propria culina exustus. Sed hanc immanitatem Alexander II. rex digne vindicavit CCCC. supplicio affectis, filiis eorum memorabili pietatis exemplo exsectis, comite regionis, quod laboranti non succurrerit, nobilitatis gradu dejecto. Quare Coelestinus IV. pontifex per epistolam gratias egit, quod ecclesiasticam dignitatem tam egregie propugnasset, misso Aegidio legato. Anton. Dauroultius par. I. Flor. Exempl. cap. IV. tit. XIV. sect. IX. Joan. Major lib. IV. Scripsit

Historiam Scotiae	lib. III.
Epistolas ad Regem contra Comitem de Cathenes	lib. I.
Epistolas ad Alexandrum Papam	lib. I.
Excerpta Biblica	lib. I.
Insularum Descriptiones	lib. I.

Exstinctus est anno MCCLV. vel MCCXXII. Uvion loco laudato. Colitur sanctus. Scotichron. lib. IX. cap. XXXVIII. Passus est Dominica infra oct. nat. B. Mariae. Simile referunt de B. Bellino a Thoma Capivaccio martyrio sublato, sub annum MCXLIX. Bern. Scardeon. lib. XIII. class. III. et ex eo Molan. ad Usuar. die XXVI. Novemb.

S. ADAMANNUS. 3.

" S. ADAMANNUS Coludius, divinarum literarum callentissimus, nec saecularium ignarus, vita ac conversatione praeclarus," ait Trithem. Bibliotheca Minorum Patrum in Chronico Chronicorum Joannis Gualterii pag. DCCCCXCIII. " Adamannus Coludius Scotus, monachus ordinis apostolici." Cognomentum ei Coludius, ab urbe Scotiae in Maeatis, seu Merchia, Ptolomaeo Colana, Bedae Coldana, et Coludi, hodie vero est Coldinghame, et non sine sanctitatis opinione multorum monachorum pater. S. Kiliani discipulum, et in Galliis claruisse docet Sigebertus. Anno DCXCV. peregrinatione instituta, tempestate in Franciam est delatus, ubi cum Arnulpho episcopo familiaritatem contraxit: in Terram Sanctam abiit, reversusque Huensis in Anglia coenobii abbas, ad Aelfridum orator desig-

natus, in Hiberniam navigans paene omnes ad legitimam Paschae observationem induxit. Westmonast. ad annum DCCI. Erat ea disceptatio magni tum momenti, an ipso Martii plenilunio, an prima most plenilunium Dominica, Pascha esset celebrandum, orta anno DCLXIV. Sigebert. Ab ipso multa Bedam mutuatum Angli fatentur; ipse Beda, lib. IV. cap. XVI. Scripsit multa, quae omnia Trithemius non viderat, ait Anton. Possevin. Appar. tom. I. Celebriora habentur ejus opera:

De Loco Dominicae Nativitatis, Passionis, et Ascensionis, lib. I. Westmonast. Opus collectum ex colloquiis Arnulphi episcopi, seu Arculphi, ait Sixt. Senens. lib. IV. Bibliothec. Fuit is Metensis antistes. Vita ab anonymo scripta. P. Warnefrid. lib. VI. Gest. Longobar. cap. V. Et forte Scotus; vide infra hoc opere.

De Locis Terrae Sanctae — lib. I. forte idem opus.

De Statu Hierusalem — lib. I.

De Paschate legitimo — lib. I.

Epistolae — lib. I. Balaeus.

De Sancto Columbo Scoto, Presbytero et Confessore, lib. III. Edidit Henr. Canisius tom. ult. Antiquarum Lectionum.

Obiit anno DCCXCVII. sedente in Petri cathedra Sergio, Eugenio VI. in Scotia pacifice regnante. De mira continentia Beda lib. IV. capit. XXV. Colitur XXXI. Jan. Fordun.

S. ADAMANNUS. 4.

S. ADAMANNUS, alius a Coludio, abbas scilicet S. Columbani in Insula Huensi, sive, ut ait Hieronymus Platus, lib. II. de Statu Religioso, cap. XXX. in Scotia abbas. Sunt qui hos confundant; separat tamen Arnoldus Uvion lib. III. Lign. Vitae pag. CCCCVI. et ex Trithemio, Beda, Sixtoque Senensi, hunc vocat virum admirabilis doctrinae et sanctitatis. Scripsit

De Paschate rite celebrando.

Florebat anno DCLXX. Colitur XXXI. Jan. et XXIII. Septemb.

S. ADALBERTUS. 5.

S. ADALBERTUS, aliis Adelbertus, Belgis sanctam operam navavit, quem Scotum Natales Molani ostendunt. Bonifacii Scoti discipulus, ac SS. albo ascriptus. Trithem. lib. III. de Vir. illustr. Ordin. S. Benedicti cap. CCXXVIII. et lib. IV. cap. CCVI. Relicta sede sua Hierosolymas cogitavit, sed divinitus admonitus Roma rediit, et pro fide ab infidelibus caesus, Benedicto VI. pontifice, et Othone III. Augusto, Culeno rem Scoticam administrante. Meminit ejus Leo Marsicanus cardinalis lib. II. Hist. Casin. cap. XVII. Scotum fuisse declarat opusculum MS. in bibliotheca Pauli Petavii senatoris Parisiensis:

De divina Misericordia Adelberti Scoti lib. I.

Floruit anno DCCLV. Praeterea S. Hieronis concivis dicitur a Renero Snoo lib. V. Rer. Batavicar. pag. LVI. Vide lib. VIII. infra hic. Colitur in Egmonda XXV. Junii. Uvion.

S. ADELMUS. 6.

S. ADELMUS, sive Adhelmus, sive Anthelmus, sed et Althelmus, cognomento Bladuinus, aut, ut nonnullis visum, Durobellus. "Sanctissimus et eruditissimus Saxonum praesul." Joan. a Chokier lib. IV. Thesaur. Polit. cap. II. Jac. Lectius Notis ad Epigrammat. et Poemat. vetera pag. CXCIX. "Aldhelmi Scoti Aenigmata non putavimus edenda." Graece Latineque supra eam aetatem eruditus. S. Kiliani discipulus in Anglia florebat, ait Sigebertus, anno DCXCIV. Coenobium hic Malmesburiense in Anglia pie abbas, Maldulphi Scoti successor, rexit: Maildulbense vocat, et in Scotia collocat Trithem. lib. de Script. Ecclesiast. pag. CCXLVII. Nam cum in Italia, Germania, Galliaque ab ineunte aetate optimis artibus incubuisset, ita musices et poetices studia exercuit, ut non minus inter celebratissimos sui aevi theologos haberetur. Quare Inas occidentalium Saxonum rex eum magno loco habuit; cujus filium facit impudenter, ut solet, et nullo auctore, Joannes Capgravius, aliique ejus farinae haeretici: imo e Scotia cum S. Maidulpho egressus, discipulorum ipsius

potissimus habebatur, (Vita Maidulphi, et Scotichronicon,) et in ejus gratiam Sherbornensem episcopatum, quae postea Sarisburiensis dicta dioecesis, instituit, postquam annis XXXIV. abbas fuisset.

Non induit habitum in Anglia, ut apostata Balaeus contendit, sed in Maildubensi coenobio Benedictino in Scotia, quod etiam abbas sancte administravit, ut praeter nostrates Conradus Gesnerus in Bibliotheca correcta prodidit.

Beda eum lib. v. Hist. Angl. cap. IX. effuse laudat. De scriptis etiam Joan. Meursius Mantisa cap. I. "Elegans sane scriptor Adhelmus, et dignus clariore luce, nunc quasi in latibulum aliquod compactus, a paucis legitur: stylus etsi non ornatus, amoenus tamen est, et capit lectorem eruditum ob insertas melioris literaturae non paucas gemmas. De me equidem profiteor, supra modum delectatum fuisse stylo in illa temporum inamoenitate tam grato, et tam docto in ista barbarie."

Scripsit multa, sed haec fere eminent cum adhuc abbas esset jubente synodo gentis Anglicae, insigne et utile opus,

Adversus Errorem Britonum	lib. I.
De Celebratione Paschae	lib. I.

Saepe hoc opere memoravi, et plene Gabriel Prateolus Marcossius, vir doctus, Elenchi Haereticorum lib. XI. in voce *Montanistae*, lib. XII. in *Novatiani*, lib. XIV. in *Paschatitae*, lib. XV. in *Quatuordecimani*, lib. XVII. in *Sabbathini*, lib. XVIII. in *Tessaresdecatitae*, Hosius lib. de Caerimoniis cap. XCI. Nicephor. lib. IV. cap. XXXV. Socrat. lib. XII. cap. XXXII. Philastrius Brixiensis, S. Leo. Epist. LXII. S. Epiphanius Haeres. XX. et Haeres. LI. et alii.

De Virginitate SS.	lib. I. versu.
De eadem Re	lib. I. prosa.
Epistolae ad diversos	lib. I.
De Vita Monachorum	lib. I.
De Laude SS.	lib. I.
De Septenarii Dignitate	lib. I.
De octo Vitiis principalibus	lib. I.
De Arithmetica	lib. I.
De Astrologia	lib. I.
De Philosophorum Disciplinis	lib. I.
Flores utriusque Testamenti	lib. II.

Cantiones Saxonicae	lib. I.
Hymni	lib. I.
Odae	lib. I.
Carmina varia	lib. I.

Haec et Trithem. enumerat, et nonnulla Henr. Canisius, vir bono rei literariae natus, pridem publicavit: praeterea a R. P. Martino Delrio prodierunt

Aenigmaton versus mille. Ei etiam ascribunt docti, et in his Joan. Chokier, lib. III. Polit. cap. XVII. Disticha moralia lib. I. quae constat esse Valerii Catonis.

Florebat anno DCXCIV. ut vult Sigebert. DCLXXX. vel DCC. Obiit vero anno DCCVII. et SS. albo die XXV. Maii ascriptum Martyrolog. Romanum recolit. Cardinalis Caesar Baronius tom. VIII. et IX. Annal. Vitam tanti antistitis certatim scripserunt Eguinus, seu Eugenius, Wigorniae episcopus, et S. Osmundus Neustrius, qui obiit anno MXCIX. et Faritius Tuscus, et Guilielmus Malmesburiensis. Obiisse eum diem suum vult Baronius ad Martyrologium anno DCCXIX. Et sane quicquid laudati auctores Sigebertus, Lectius, et alii sentiant, ego magis inducor ut Anglum ortu, Scotum vero tantum incolatu aestimem.

S. AIDANUS. 7.

"S. AIDANUS episcopus," inquit Sigebertus Gemblacensis ad annum DCXXXV. "Sancti Columbae discipulus a Scotia veniens, apud Anglos clarebat sanctitate et doctrina." In quibusdam est Aidan, cognomento Auvinas. Oswaldo Northumbriorum regi, viros sanctos ad gentis suae institutionem a rege Scotiae Donaldo per legatos petenti, in Angliam missus est, ut narrant Hect. Boethius libr. IX. pag. CLXXIV. Franc. Godwinus in Praesulibus Angliae pag. XCI. ex Beda lib. III. Hist. Ang. cap. III. V. XIV. XVI. XVII. Petrus lib. VII. Catalogi cap. XXIII. Adrianum male vocat. Camden. in Northumbria: "Aidanum Scotum ad suos Christiana religione imbuendos evocavit:" superbe; imo legatis missis oravit. Rursus in Insulis: "In Lindisfarne Aidanius Scotus sedem episcopalem constituit."

Jo. a Nigra Valle Epit. Chronicar. " S. Aidan. Scotiensis."

Hic non aliter docebat quam vivebat: ideo jure Northumbrorum apostolus a gente ea ad Christum conversa vocari meruit. Joan. Leslaeus lib. IV. Hist. Scot. pag. CLVIII. Coisi idolorum sacerdote victo regionem Christo subdidit. Hunt. Hist. lib. III. Et ideo Lindisfarnensis ecclesiae primus episcopus, sedem in insula ea constituit primus, quae postea, insula bello vastata, Dunelmum translata. Polyd. Virg. lib. V. Hist. Angl. pag. CV. Hic primam feminam nomine Hein in ea insula sanctimonialem consecravit. Beda lib. IV. Hist. Ecclesiast. Angl. cap. XXII. Vide infra hic lib. III. in *Cormanus*, ubi fusius. Ejus vero sunt,

Commentarii in Scripturas	lib. I.
Homiliae	lib. I.
Conciones	lib. I.

Obiit anno salutis DCLI. Ossa vero in Scotia per Colmannum successorem translata, et paucae reliquiae Glastoniae conditae. Guil. Malmesbur. Monachos non cervisiam aut vinum, sed lac et aquam bibere voluit, late Hoveden part. I. princ. et repetit pag. CCXL. Demochar. tom. III. pag. XLVI. tom. IV. pag. CXXIV. Scotum facit, ut et SS. Finnanum, Colmannum, Diurnam, et Cellach. Diserte Bibliot. SS. PP. apud Jo. Gualter. Chron. Chronic. pag. DCCCCXCI. " Aidanus Auvius Scotus." " Animam ejus puer Cuthibertus vidit ab angelis in coelum ferri," ait Florent. Wigornien. Memoria ejus celebratur ab ecclesia die XXXI. Augusti. Martyrologi scriptores. Molan. Addition. Usuard. Martyrolog. Roman. Pet. Galesinius. Archiepiscopum facit Arnoldus Uvion lib. II. Lign. Vitae pag. CCXLV.

S. ADALGISUS. 8.

MAGNA sanctitatis fama Adalgisus exercuit viri boni officium in Belgio, suscipiente Madelgario, qui postea Sanctus Vincentius dictus est, Hannoniae comite. Notat Aubertus Miraeus de Canonicorum Collegiis cap. XLV. comites fuisse sanctae peregrinationis Fursaeum, Foillanum, Ultanum, Eloquium, Ettonem, et Adalgisum. Hi sunt illi de quibus Sigebertus in Chron. " Praeter hos et alii multi de Anglia vel Scotia peregrinantes verbum Dei seminabant,

multumque fructum Deo faciebant, scilicet Etto, Bertuinus, Eloquius, Adalgisus, Mombulus, Wasnulphus, et Autbodus;" ita enim supplendus scriptor ille ex serie temporum, observat Joan. Molanus, theologus antiquariusque doctissimus, in Natalibus SS. Belgii, et Aubertus Miraeus in Chronici Sigeberti ultima editione. An aliquid scripserit, non deprehendi, aut si scripsit, certe injuria temporis perierunt omnia.

Vixit anno DCLI.

S. AUTBODUS. 9.

S. AUTBODUS, S. Adalgisi civis et collega a Martyrologii collectore, vitam hanc temporariam debet clarissimis Auberto Miraeo et Joanni Molano Addition. ad Usuard. XXI. Novemb. Lugduno Clavato depositio S. Autbodi. Apparet episcopum fuisse. Nulla ad nos opera ipsius pervenere.

Floruit anno DCLI. Lugdunum alii eum rexisse volunt; sed ego Laudunum malim, fuit enim Laudunum Clavatum vulgo Laon, et antistes ejus dux et par Franciae.

S. AEMILIANUS. 10.

S. AEMILIANUS Scotus memoratur Francisco Maurolyco Siculo, abbati Messanensi, Martyrologio suo ad diem XII. Novembris: " Fuit et Aemilianus in Scotia clarus episcopus, qui Faventiae obiit." Nec plura de eo alibi legere memini: episcopatum Faventiae gesserit an domi, aut quo casu eo accesserit, aut quo seculo vixerit, alii discutiant; nam ego tabulas adumbro tantum, et rudes tero colores: Apelles alius sit oportet, a quo summa huic operi addenda manus speretur.

Scripta etiam interierunt, nec ullum apud Faventinorum scriptores de eo verbum. O casum, cara patria, tuum! De eo certiora ex Petro a Natalibus in Catalogo SS. lib. X. cap. LIII. habet Constant. Ghinius in SS. Canonicor. Natalib. ad diem Novembr. XII. cujus verba apponam: " Faventiae S. Aemiliani episcopi Scotiensis, qui ex ea insula oriundus, Domino a primis annis militavit, et dum esset om-

nium ore laudabilis ad sacros ordines promotus, etiam ad episcopatus opus assumptus fuit, quo strenue aliquot annis administrato Romam venit ad apostolorum limina: inde vero in patriam rediens, dum apud Faventiam consisteret, gravi languore correptus paucis diebus feliciter migravit a saeculo; cujus corpus extra urbis muros in ecclesia S. Clementis humatum fuit. Cum autem a Luitprando Longobardorum rege civitas depopulata ac devastata esset, corpus sancti omnino incognitum remansit. At tempore Bernardini comitis ac Theodolendae ejus uxoris, reaedificata civitate, supra incognitum sepulchrum cumulus foeni positus fuit. Super eum vero cum duo confabularentur, ecce alter eorum alapa invisibiliter percussus erga socium irascens, ille vero se excusaret, iterum et tertio percussus est. Admirantes simul quid sibi hoc vellet, rem ad comitem detulerunt, qui jussit foenum amoveri, et terram fodi, inventumque est sancti corpus, miraque fragrantia ex eo erupit: quare intra moenia civitatis summo honore delatum et sepultum est in ecclesia S. Mariae, ubi miraculis coruscat." Scripsit autem

De Dreyburgensi Coenobio lib. I. canonicus regularis hujus monasterii, ut placet Gilberto Bruno, sed falso, nam opus illud multo posterius est aetate Aemiliani. Verum opus illius est Ad Restennetos Fratres lib. I.

De Actis Bonifacii lib. I. Hic est Bonifacius papa, et episcopus Rossensis in Scotia, qui Restennetum fundavit, et canonicis regularibus attribuit. Boethius in praefatione ad Episcopos Aberdonenses.

Vita extat MS. Faventiae apud RR. PP. Franciscanos, scripta per Joannem Antonium Flaminium Forocorneliensem, Italice reddita per Paulum Cavinum Faventinum. Sic incipit: "S. Aemilianus in Scotia natus, Faventiae protector." Joannes a Nigra Valle, S. R. E. bibliothecarius apostolicus, epilogo Chronicarum XIII. cap. XVIII. "S. Aemilianus, episcopus Scotiensis, confessor."

S. ALTHO. 11.

S. ALTHO monachus Benedictinus, et primus abbas monasterii quod ab illius nomine Altomunster vocatur, quasi dicas mo-

nasterium Althonis. Late Viguleius Hundius in Metropoli Salzburgensi. "Insigni virtute vivus, miraculis defunctus claruit." Arnoldus Uvion in adjunctis ad lib. III. Lig. Vitae pag. DCCCCIII. Scripsit

Speculum Charitatis	lib. I.
Hymnos de Sanctis	lib. I.
Ordinationes Claustrales	lib. I.

Florebat anno DCC. aut paulo serius: quando excessit, non inveni. Wingartensis monachus lib. de Guelphis Principibus, in Ethicone, pag. CLXXXI. Colitur VII. Februar. v. Aug.

S. ARNULPHUS. 12.

S. ARNULPHUS, Metensis episcopus, cujus commemoratio est ab ecclesia honorata die XVI. Augusti, "sanctitate vitae, et miraculorum gloria illustris, eremiticam vitam dilexit," ait Usuardus Martyrologio. Extat liber apud Bedam tom. III. de ejus miraculis, et alium super eadem re scripsit Joann. Molanus. Francisc. Rozieres tom. III. Stemmat. Lotharing. cap. XLVII. Trith. lib. III. Vir. illust. Ord. S. Benedicti cap. LXXIX.

Scotum licet censere, quod frater sit S. Wendelini Scoti. Uvion lib. III. pag. CCCXLVI. Trithemius, Locrius, alii, idem.

Claruit anno DCXX. Vide supra hoc libro in S. *Adamannus*.

S. ALCUINUS. 13.

S. ALCUINUS, aliis Alchuinus, vulgo Albinus cognomento Flaccus, quod, ut Horatius Flaccus, lyricis delectaretur, eruditissimus summusque philosophus. Donat. Acciaiolus Florent. in Vita Caroli Magni ad finem. Beatus appellatur a Flodoardo Histor. Rhemensis lib. III. cap. XXI. Sanctus colitur, Arnoldo Uvione teste, lib. III. Lign. Vitae pag. DCCCIII. et lib. V. cap. CII. Colitur die XIX. Maii. Idem pag. CLXVII. Hic unus est ex iis quos Achaius rex Scotiae ad Carolum Magnum cum fratre Gulielmo in Galliam misit, omnis politioris eruditionis praeceptores. Erant hi Alcuinus, Rabanus, Clemens, et Joannes; quorum duo priores academiam Parisiensem, ejusdem regis munificentia dotatam, legibus fundarunt, po-

steriores Ticinensem in Italia scholam, jubente eodem principe, instituerunt. Et tunc quidem in universa Europa duae illae solae fuerunt, incredibili gentis nostrae commendatione, a Scotis erectae. Anton. Sabell. Ennead. VIII. lib. IX. in limine. Historici Galli, et Scoti paene omnes. Elegantissime in Lutetia sua Rudolphus Botereus J. C. historicus ac poeta acris judicii, limatissimi styli, qui non est ad manum. Poeta alius, Germanus, sic habet:

Quid non Alcuino, facunda Lutetia, debes,
Instaurare bonas ibi qui feliciter artes,
Barbariemque procul Scotus depellere coepit?

Et Eustachius Prutenus poemate de Parisiorum Laude:

Ecce senex quidam Scotis agitatus ab oris,
Attulit optatos in loca Galla pedes.
Nomen adhuc meminit, quamvis cariosa, vetustas,
Alcuinus meritum posteritatis habet.
Quas posuere scholas, superare palatia regum
Structuris, spatio, sumptibus, arte putes.

Errat multipliciter Arnoldus Uvion lib. III. Lign. Vitae pag. DCCCXIII. qui cum Alcuinum falso Anglum fecisset, cogitur tamen vi veritatis D. Joannem Scotum diaconum, et doctorem, ac academiae Parisiensis fundatorem appellare, vel, ut alii habent, Papiensis, eumque cum Clemente ex Scotia venisse. Deinde gravior lapsus, dum confundit hunc Joannem cum Erigena abbate Vercellensi; quos diversos esse, disces ex iis quae scripsi.

Nec minor lapsus Heliae Putschii, qui putavit Albinum citatum a Prisciano lib. VII. ex lib. I. Rerum Romanar. esse Alcuinum nostrum; cujus versus lenior est quam ut a nostro sit, ut omittam Priscianum Alcuino multis seculis priorem. Versus sunt isti:

Ille cui ternis Capitolia celsa triumphis.
Sponte Deum patuere, cui freta nulla repostos.
Abscondere sinus, non tutae moenibus urbes.

Ut non potuit laudari a Prisciano, ita a Maximo Victorino citatum jure existimo; ille enim in lib. de Carmine Heroico ita habet: "Albinus in libro quem de metris scripsit, sic:

Vilem spondaeo totum concludere versum."

Et Scotos quidem non Anglos fuisse affirmant constanter, praeter

Anglos, omnes omnium gentium scriptores, et acta MSS. academiae Parisiensis, quibus constat assessores tantum quatuor habere ab initio solitum, qui procuratores vulgo dicti, Scotiae, Franciae, Picardiae, et Normaniae; paulatim deinde, ut fit, gravi exilio academia ea sub Ludovici Pii impubertate afflicta, cum tardius Scoti convenissent, Angli titulum praesumpsere, ut quae prius natio Scotiae dicebatur, Anglicana appellaretur, nunc vero Germanica audit, in ultimum locum rejecta: quae omnia ex actis ejusdem nationis MSS. excerpsi. Ad haec, a primis suis incunabulis academia ista Scotos semper eminentissimo loco professores fovit in hodiernum diem. Sed ad Alcuinum nostratem, primum hujus academiae parentem, redeo.

In Francicis annalibus, et apud Rheginonem Prumiensem Alahwinus, a nonnullis Alwinus, id est, undique rem agens, ut Pontus Heuterus in Etymis prodit. Henricus Canisius male Anglicum vocat, nullo argumento probabili, cum Scotus fuerit, ut plerique alii eo seculo, Eboraci in Anglia nutritus. Continuator Bedae lib. primo cap. IX. Quare ipse epist. XXI. educatum se Eboraci videtur innuere, et epist. XXIV. Sed tamen ad Scotos scribens vernaculum se vocat epist. XXVI. rursusque apud Malmesburiensem lib. I. Gest. Angl. cap. III. "Ego parabam ad vos venire, in patriam reverti:" id esse Scotiam, oculatus lector facile judicabit.

Hermannus Kirchnerus, lib. II. de Legati Jure, Dignitate, et Officio, cap. IX. "Alcuinum (cujus monumentum et ossuarium patria mea Hersfeldia ostendit, in antiquissima regalis ac exemptae abbatiae ecclesia, quae eodem anno quo venerabilis Beda decessit, humanae redemptionis septingentesimo sexto, condita est, cujus administrationi nunc temporis, cum haec editioni secundae committerem, felicissime praeest reverendiss. et illustriss. Princeps Otto, Landg. Hassiae, &c. illustriss. Principis Mauritii primogenitus, qui ad celsissima patriae virtutis fastigia secundissimis gradibus contendit) a Scotiae rege ad Carolum Magnum missum legatum emansisse, seseque in gratiam ac fidem et officium magni dedisse, artesque logicas et mathematicas, astrorumque scientiam imperatorem docuisse accepimus. Bene quidem ille qui imperii nostri caput sapientiae fonte irrigarit. Sed male quod legationis provinciam deseruerit."

Bedae discipulum non minus Trithemium secuti faciunt; at ipse epist.

XXIII. eum vocat "nobilissimum sui temporis magistrum, non suum," claro argumento id esse falsum, adeoque ipse Beda in praefatione Anglicae Historiae, illum non discipulum, sed collegam videtur cognoscere, honorifico sane elogio; ita enim ille: "Auctor ante omnes atque adjutor hujus operis Albuinus abbas reverendissimus, vir per omnia doctissimus, extitit." Certiora ergo sunt inquirenda.

Quibusdam levita audit, aliis abbas monasterii S. Martini Turonensis, sed praecipuus ei honor, Caroli Magni animum scientiis excoluisse. Quare monachus Sangallensis anonymus, in Vita Caroli Magni, honoris causa praeceptorem vocat. Sigebertus Gemblacensis Chronic. ad annum DCCXCI. "Alcuinus de Britannia, magister delitiosus regis Caroli Magni, scientia literarum praepollet in Gallia; cujus praecipue magisterio ipse rex omnes artes liberales didicit. Hinc multa scripsit," &c. Sic importuni homines, dum suae nimium opinioni astruunt, penitus evertunt.

Laudat Kinehardus in Vita Caroli Magni: "In discenda grammatica Petrum Pisanum jam senem audivit; in caeteris disciplinis Albinum, cognomento Alcuinum, diaconum de Britannia, virum undecunque doctissimum, praeceptorem habuit; apud quem et rhetoricae et dialecticae, praecipue tamen astronomicae ediscendae, plurimum temporis et laboris impertivit: discebat et artem computandi, et intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur." Germanus quidam, qui patrum memoria quaedam ejus publicavit: "Alcuinus, auctor ubique pius, ubique doctus, succinctus, maturus, gravis, scientia plenus, et ante omnes alios ea aetate dignus qui manibus teratur, gente Scotus, conversatione Gallus." Incertus auctor Annalium Francicorum, a Petro Pithoeo editus, ad annum DCCXCIV. "His temporibus Alcuinus, cognomento Albinus, sanctitate et doctrina clarus habetur:" qui locus nos docet eundem esse Alcuinum et Albuinum, quod non neminem torsit. Ipsius Caroli Magni epistola extat in Bibliotheca SS. Patrum, eum non mediocriter laudantis. Scripta ejus eminentiora haec sunt:

Divinae Historiae Correctio	lib. I. Sigebert. loco laudato.
De S. Trinitate	lib. I. hortante Carolo Mag.
De Divinis Officiis	lib. I.
Ordinis Romani Expositio	tom. I. Biblioth. SS. Patr.

Ad Quaestiones Fridigisi	lib. I.
Ad Eulaliam de Ratione Animae	lib. I.
Ad Guidonem Comitem de Veritate Sententiarum	lib. I.
In Cantica Canticorum	lib. I.
In Evangelium Joannis	lib. VII.
De Adoptione Filiorum	lib. I.
In Apocalypsin Joannis	lib. I.
De Ecclesiasticis Dignitatibus	lib. I.
Speculum Parvulorum	lib. I.
De Nominum Dei Proprietate	lib. I.
Vita S. Vedasti Episcopi	lib. I.
Epistolae ad diversos	lib. I.
In Evangelia Dominicorum Dierum, Feriarum, Festorum totius anni,	lib. I.
Ex Doctoribus Catholicis Homiliae	CCLIV.
In Genesim	lib. I.
In Ecclesiasten	lib. I.
In Epistolas Pauli	lib. XIV.
Enchiridion in quosdam Psalmos	lib. I.
Sententiarum	lib. I.
Rhetoricae	lib. I.

Haec quidem paene omnia luce donata, de quibus maligne Ant. Coce. Sabellicus Ennead. VIII. lib. IX. in limine: "Alcuinus Caroli praeceptor, cujus ad posteros multa manarant, sapienter et pie, magis quam eloquenter elucubrata." Eloquentiam quam requirit nullus rudi eo seculo possidebat, et si quis alius Alcuinus noster. Aequius Wernerus Rolevincus Laerius, Westphalus, Carthusiani instituti monachus, auctor Fasciculi Temporum: "Alcuinus, vir doctissimus, et sanctae vitae, clarus magister Caroli, multa scripsit et reformavit," Anno scilicet DCCXCV.

Nuper vero studio Henrici Canisii v. c. aut aliorum prodierunt:

Epistola de Confessione.	
Epistolae II. aliae.	
Dialectica	lib. I.
Homilia in natalem S. Willibrordi	lib. I.

Vita S. Willibrordi lib. I, carmine scripta.
Elegia in S. Wilgisum.

Putant esse ejus ut supra:

De Rebus Romanis lib. I. Falso.
De Metris lib. I. De libro vide ea quae supra de eo dicta sunt.

Non edita vero sunt opera ejus non pauca. In Vallicellana servatur MS. ingens thesaurus, ait Baronius ad annum DCCLXXVIII. Annal.

Vetus Bibliorum Codex lib. I.

In Bibliotheca Imperatoris Viennensi:

Intercessio pro puero Mauro lib. I.
Vita S. Richarii lib. I. Surius XXVI. Apr.
Vita S. Willibrordi, prosa, lib. I. Sur. VII. Novembr.

Maxima ejus claritudo a Paulo Warnefrido recensetur in Chronico: "Elifandus Toletanus episcopus haeresim excitaverat, qua asserebat cum Felice socio filium Dei adoptivum tantum, non proprium esse, quam haeresim synodo ad Francfurtum indicta reprobavere Paulinus Aquilegiensis patriarcha, Petrus Mediolanensis archiepiscopus, Alcuinus de Britannia," anno DCCXCIV.

Obitus ejus varie refertur: placet Odoranni, monachi S. Petri Vivi Senonensis, sententia in Chronici fragmento DCCCIII. "Obiit Alcuinus philosophus abb. S. Martini. Sepultus ad S. Paulum de Cormariaco, quod monasterium in ipsius gratiam fundavit Carolus Magnus." Malmesbur. lib. I. Histor. Reg. Angl.

Tantum et talem virum non modo Anglum nonnulli fecere, sed et Gallum, ut in Chronico Canonicorum Regularium apud Zachariam Vicentinum Benedictinum ex Joanne de Nigra Valle, bibliothecario apostolico, in Chronicis, epilogo XIII. cap. XVIII. Jo. Philippus Novariensis lib. V. Chronici cap. VI. Sed suos ad se Gallia Angliaque admittat, aut lege antiqua vindicet, Scotiae Scotos relinquat. Plura in Apparatu Scotico pag. CLI.

S. ALFRICUS. 14.

S. ALFRICUS, episcopus et martyr, ait Joannes a Nigra Valle bibliothecarius apostolicus, ordinis Praemonstratensis, in Epito-

me Chronicarum, epilogo decimotertio, capite decimo octavo, et repetit Ghinius die incerto in Natal. SS. Canonicor. nec de eo mentio aut in Martyrologio Romano, Lydio scilicet omnium hagiologorum lapide, aut Usuardo, Molano, Galesinio, Uvione, Petro, Maurolyco; et Ado cum Beda non est ad manum. Fuit nepos S. Bonifacii, Germaniarum apostoli, quia frater praesulis et martyris sanctissimi, ut habet anonymus in vita ejus apud Surium tom. IV. pag. LXXVI. Quod si conjecturae locus relinquitur, existimo illum unum ex iis LII. qui cum illo sanctissimo apostolo Germaniarum in Frisia martyrium perpessi, nominibus paene hactenus caruerunt, et episcopum vocari, non quod alicui sedi illigatus, sed eo tantum ad convertendas gentes titulo donatus sit, ut de eo aevo solenne; sed divinatio sit hoc, non scientia.

Floruit et passus est cum S. Bonifacio avunculo anno DCCLV. aut cum fratre vixit anno DCCCXXXVIII. Tu vide lib. VI. infra hic.

S. ADAMNANUS. 15.

S. ADAMNANUS, vir sanctissimus, Ferquhardo II. regi familiaris, qui illum Eugenio VI. regi postmodum filio suo erudiendo praeposuit, cujus "ductu et tutela," ait Hect. Boeth. lib. IX. Hist. Scot. pag. CLXXIX. "bonis moribus educatus, ad Scotorum pervenit imperium eximius verae religionis cultor." Amicitiam etiam cum Brudeo Pictorum rege, et S. Cuthberto Scoto, Lindisfarnensi episcopo, sancte coluit. Pergit idem historicus: "Cuthberto etenim et Adamnano suadentibus foedus icit cum Northumbris, at nulla ratione induci poterat ut foedus cum Pictis iniret, adeo gentis exosus perfidiam, et quod Scotis hostes se impie ostendissent, et quod Northumbris in bello dudum cum Scotis gesto parum servassent fidem; verum annuas inducias eadem cum gente pepigit; quibus tandem, quod frequentius non sine Scotorum incommodo violarentur, solutis, bellum per foecialem Pictis indixit. Annixi Cuthbertus et Adamnanus olim conjunctissimas gentes in concordiam redigere, ultro citroque frequenti usi legatione frustra se rem tentasse sentientes, ad divinam opem recurrere, sacris supplicationibus variis in Albione locis quibus ipsi affuere, pro regum omnium consensu, factis. Ferunt sanctissimos pontifices obti-

nuisse apud Deum optimum maximum, cujus nutui cuncta imperia hominumque mentes et domi et militiae subjacent, ut eo bello perseverante Scoti et Picti nunquam totis viribus congrederentur." Episcopatus dignitatem sancte et graviter, nulli certae sedi addictus, ut ejus seculi ferebat consuetudo, exercuit. Alii Huensis monasterii tantum abbatem fuisse volunt. Beda lib. v. Histor. Ecclesiast. Gent. Anglor. cap. XVI. et XXII.

Addit Fordunus, sanctissimas illius reliquias sua aetate in Moravia asservatas: sed quia nec martyrologia nec historici alii loquuntur, haud affirmem in re ambigua. Scripsit

Acta Legationis suae	lib. I.
De Synodo patria	lib. I.
Ad Nordanimbros	lib. I.
Homilias ex sacris Scripturis	lib. I.
Ad Pictos Monitorium	lib. I. Hujus et superioris operis meminit Fordunus.

Florebat anno DCLXXX. Colitur die XXIII. Septemb. Scotichron. lib. XIV. c. XL. Molan. ad Usuard. aut XXXI. Januar. Martyr. Angl. Praecipuis Scotiae sanctis annumerat illum S. Alcuinus in Bibliotheca Bertiniana poemate CCXLVI. MS.

Patricius, Cheranus, Scotorum gloria gentis,
Atque Columbanus, Congallus, Adamnanus atque,
Praeclari patres, morum vitaeque magistri,
Hic pietas precibus horum nos adjuvet omnes.

S. AMPHIBALUS. 16.

S. AMPHIBALUS, Veremundo auctore, vir insigni pietate, primus Sodorensis episcopus creatus: primum in Mona insula episcopum vocat Jo. Leslaeus pag. LXVIII. Epitome Chronicar. "S. Amphibalus Scotiensis episcopus in Canonica Insularum." "Christi dogma per Scotorum Pictorumque regiones propalando, multa contra Gentilium religionem docendo scribendoque gloriosum et Christiano viro plane dignum, multa senectute vivendo fessus, foelicemque sortitus est finem." Hect. Boeth. lib. VI. pag. XCVIII. Alius est ab Amphibalo Culdeo, cujus infra hoc libro mentio. Scripsit

Contra Paganorum Superstitiones	lib. I.
Ordinationes Ecclesiae Sodorensis	lib. I.
Conciones	lib. I.

Vixit circa annum CCCXXV.

S. ADRIANUS. 17.

S. ADRIANUS, Scotorum maximus episcopus, iram Danorum declinaturus, cum multis piis fugiens in insulam Maiam, quae in aestuario Forthae posita Laudoniam hinc, inde Fifam despectat, secessit, martyrioque affectus est. Sed verba Hect. Boeth. ex lib. X. Hist. Scot. pag. CCVI. audiantur. " Sub id tempus illis in regionibus ingens erat piorum numerus Christianum dogma undique propalantium; hos persecuta Danorum impietas quum multa affecisset strage, major piorum eorum pars cum Adriano, Scotorum tum episcopo maximo, in Maiam insulam, ubi tum insigne erat monachorum coenobium, ut instans periculum declinaret, fugiebat: quidam autem, licet pauci, cavernis antrisque latitantes, parce et duriter sustentantes vitam evadebant occidionem. Sed Danos nec reverentia loci nec virorum innocentia retinuit, quin sanctissimum eum coetum, coenobio incenso, inauditis suppliciis interimerent. Haec est veneranda martyrum cohors, quam nostra tempestate in Maia insula Anglia et Scotia summa reverentia fidelissimi quique prosequuntur: locum hominum frequentia eo confluentium, additis Dei benignitate in dies pluribus miraculis, venerandum reddidit atque insignem. Supersunt tantae multitudinis paucula haec nomina: Adrianus venerandus antistes, Glodianus, Gaius, ut alii dicunt, Monanus Sancti Andreae archidiaconus, Stolbrandus episcopus. Caetera, qua ratione haud liquide constat, ad nostram non pervenerunt aetatem. Non desunt qui scribant sanctissimos Christi martyres Hungaros fuisse genere, in Scotiam Ethnicorum feritatem, quae sub idem tempus in Germania debacchabatur, fugientes, servandae religionis causa, trajecisse; alii ex Scotis Anglisque gregarie collectos: sed undecunque fuerint, consuetudine Scotos fuisse, veram docuisse et verbo et opere pietatem, constanter tandem pro Christi nomine martyrium passos, relatos in divorum numerum, beneficiaque pie poscentibus praestare quotidie, nulli, qui eam regionem novit, potest esse ignotum."

Scripsit Adrianus, ut ex Scotichronico liquet lib. IV. cap. VIII.

De Constantia Christiana lib. I.
De Humilitate ad Monachos lib. I.
Commentarium in Scripturas lib. I.

Martyrium passus est, Hungaro, Hubba, et Gadano Danis Scotiam violento impetu invadentibus, ad ulciscendam Pictorum injuriam, quod contigit anno DCCCLXXIV. Anglici et Scotici Annales. Colitur die IV. Martii, I. Aprilis, II. Augusti.

ANONYMI S. MARTYRES BIS MILLE. 18.

DUO millia Sanctorum anonymorum gloriosam pro religione Christiana sustinenda mortem oppetierunt, ut ex relatione Hectoris Boethii constat, cujus verba superius adducta in S. *Adriano:* hunc numerum reperi ex revelationibus S. Lesmonis apud Richardum Brunum. Passi sunt anno DCCCLXXIV. et gloriosa veneratione reliquiae illorum colebantur in celebri monasterio insulae Maiae in Forthae aestuario, quod Fifam a Laudonia disterminat.

S. VII. ANONYMAE. 19.

S. DONEVALDO Scoto filiae novem fuisse perhibentur, omnes virginitatis gloria illustres; et in divorum relatae numerum, miraculis claruerunt duae majores, Mazota et Fincana; reliquarum nomina interciderunt. Vide quae fuse dixi lib. IV. hoc opere in *Donevaldo.*

Floruerunt anno DCCXVI. colebantur reliquiae non longe Albernetho, regia Pictorum in Fifa.

S. ANONYMAE II. 20.

SANCTAE duae, peregrinatione ad loca sancta suscepta, fratres suos sanctos Gunifortem et Gunibaldum secutae, in Germania crudeliter occisae. Jacobus Guaullus in Sanctuario Papiae: " Sorores, genere atque forma speciosae, speciosiores fide et virginitatis

zelo, superata foeminea fragilitate, accedente etiam pia fratrum exhortatione, oculis ac manibus in coelum intentis, Christum confitentes, cruentissima caede martyrii palmam adipiscuntur."

Martyrium passae sunt citius uno anno quam fratres; hoc est, anno CCCCXIX.

S. ASAPHUS. 21.

S. ASAPHUS S. Kentigerni discipulus, qui, quod regii esset sanguinis, factione popularium patria pulsus, circa annum DLX. habent annales nostri, sedem in Wallia episcopalem fundavit, quae postea Asaphensis dicta est: sed ille ad suos revocatus institutam nuper dignitatem discipulo suo concessit Asapho, qui quamdiu sederit, aut quando obierit, pro comperto non habeo: hoc tamen elogium ei concessit Jo. Capgravius: " Genere et specie clarus ab ipso pubertatis flore, et doctrina fulgens et virtutibus, vitam magistri in omni sanctitate et abstinentia jugiter sequi satagebat." Arnold. Uvion lib. III. Lign. Vitae pag. CLII. " In Scotia S. Asaphi episcopi." Episcopatum multis post illum seculis antistite caruisse, ex Huntindonensi non improbabiliter colligit Franciscus Godwinus, quod anno MCL. cathedrales tres tantum in Wallia enumerentur, Menevensis, Bangorensis, Landavensis. Scripta vero ab hoc nostro,

Ordinationes Ecclesiae suae	lib. I.
Kentigerni magistri Vita	lib. I.

In SS. album relatus recolitur calendis Maii una cum Walburga virgine in Martyrologio Romano. Putat illustriss. Baronius claruisse eum circa annum DCXV. quod vix admitto, nam a S. Kentigerno usque ad illud tempus anni sunt paulo minus ducenti.

S. ADRIANUS. 22.

S. ADRIANUS martyr, sed puer, et Siciliae princeps, S. Geresinae reginae filius, S. Ursulae consobrinus, S. Dariae nepos, S. Mauri affinis, frater SS. Babiliae, Juliae, Victoriae, et Aureae, virginum et martyrum, nepos itidem S. Macririi episcopi, cum matre in Bri-

tanniam Scotiamque navigavit, inde cum virginum choro Romam perductus, iisdem comitibus Coloniam revectus, martyrii palmam, tenello corpore lacerato, percepit; quid enim aliud sanctissimum illum sanguinem et pientissimos majores decebat?

Passus anno CDLIV. colitur die XXI. Octobr. auctor est Petrus lib. IX. Catalog. cap. XXCVII. Plura infra lib. VII. in S. *Geresina.*

S. AUREA. 22.

S. AUREA, virgo Ursulana, S. Adriani soror, regis Siciliae ex S. Geresina filia, Coloniae ab Hunnis, post longos labores itineris, caesa in coelos evolavit; colitur vero ibidem loci cum suis.

Passa est anno CDLIV. XXI. Octobr. Petrus loco proxime laudato, et Chronicon Chronicorum ex actis Coloniensis ecclesiae.

S. ALBANUS. 23.

S. ALBANUS, quod a vetustis scriptoribus Britannus diceretur, id in rem suam maligne Angli vertentes, Anglum e vestigio, ut multos alios, perperam fecere: cognomentum Verulamius ab oppido sanctitate, ut puto, sua celebrato. Vir fuit non mediocriter in sacris literis versatus: sub Diocletiani tyrannide a Romanis militibus praesidiariis truculenter martyrio est affectus, primus in ea insula qui causam Christi fuso sanguine asseruit; nec quisquam non eo modo seculo, sed nec multis post, Christianus eo tractu Anglus memoratur, ut necesse sit eum Scotum fuisse. Deinde doctor ipsius fuit Sanctus Amphibalus, ut hic infra. Recolitur tam gloriosi facti memoria XXII. Junii. Martyrolog. Romanum, Franc. Maurolycus, Usuardus, Petr. Galesinius, qui notat a Coloniensibus Albuinum dictum, perperam; et Venantius Fortunatus:

Albanum egregium foecunda Britannia profert.

Gesta ejus habes apud Gildam Sapientem de Excidio Britanniae circa principium, Bedam lib. I. Histor. Angl. cap. VI. VII. quae fuse ab Uvione literis sunt consignata, ut testatur Joannes Molanus ad Usuardi Martyrologium. Meminit Constantinus in Vita S. Germani Altissiodorensis lib. I. cap. XX. Scripta ad me non pervenerunt, prae-

ter unicum opusculum inscriptum,

Christianorum Puritas lib. I.

Desiit vivere anno salut. CCLXXVI. vel, ut alii, CCCII. In his Matthaeus Westmonasteriensis ad eum annum, qui prolixa narratione ab eo acta est complexus. Hartmannus apud Canisium:

Scotia se Albano felicem martyre clamat,
Victima qui Christo prima Britanna fuit.

S. AMPHIBALUS. 24.

S. AMPHIBALUS, vetustissimus auctor, unus ex iis qui vulgo a nostratibus Culdei, hoc est, Dei cultores, nuncupati. Hic multos ad fidem doctrina, multos morum innocentia pertraxit; regiones omnes circuiens, pie fideliterque concionabatur, verbo, scriptis juvabat. Translatae ejus reliquiae VII. calend. Julii anno MCLXXVII. Scripsit

In omnes Pauli Epistolas lib. I.

Florebat sub Fincormaco rege, ut est apud Hectorem Boeth. libr. VI. Histor. Scot. hoc est, anno CCXXII. Idem ille ad fidem S. Albanum perduxit. Westmonast. ad annum MCLXXVIII. et fusius ad annum CCCIII. Jo. Leslaeus lib. III. pag. XXII.

S. ANMICHADUS. 25.

S. ANNICHADUS, vel Anmichadus, Arnoldus Uvion lib. III. pag. XXXVI. vel Anmichardus, Petrus Cratepolius in Episcop. German. monachus, cognomento ea aetate usitato *inclusus*, illustri apud suos loco natus, peregrinatione ad loca sancta pie instituta, in Germania Fuldense coenobium accessit, unum ex iis quindecim quae in Scotorum gratiam ea in gente antiquitus fundata accepimus, quodque, ut Gaspar Bruschius contendit, totius Germaniae primas, et princeps Romani imperii est. Hic ille monastico habitu indutus rara pietate et magna doctrina fama vixit. Sanctorum albo ascriptus III. calend. Februar. Trithemio teste libro tertio de Vir. illustr. Ord. Sancti Benedicti cap. CCXLI. vel ipsis calendis Februarii. Ejus, ut aiunt, est

De Praerogativis Fuldae lib. I.

Et mentio in Antiquitatibus Fuldensibus curante Christophoro Browero. Claruit anno MXLIII.

S. ABRANUS. 26.

S. ABRANUS unus ex fratribus S. Gibriani, sive Gibirini, in Campania Gallica insigni religione et morum continentia vixit. Flodoardus lib. IV. Histor. Rhemen. cap. IX. Extat ipsius insigne opus

In Psalterium MS. in bibliotheca Petri Petavii, regii Lutetiae senatoris, cui recenti manu D. Augustini Meditationes adjunctae sunt, lib. I.

Floruit anno DXX. Sanctis annumeratum liquet ex Natalibus SS. Belgii Molani.

S. ALEXANDER. 27.

" S. ALEXANDER, Scotiae regis filius," ait Thomas de Cantiprato lib. II. Apiarii cap. X. qui impellente sorore S. Mechtilde regios honores aversatus in Galliam aufugit, et mira vitae sanctitate floruit, miraculis post mortem clarissimus. An aliquid scripserit, non reperi.

Florebat anno MCCXXXVIII.

S. ARGOBASTUS. 28.

S. ARGOBASTUS, sive Arbogastus, aut, ut habet Joannes a Nigra Valle, Armegastus, S. Florentii comes. Lib. VI. infra. " De Scotia excessit," ait Molanus infra laudatus. Magnum Scotiae lumen, in Galliis et Germaniis praeclara eruditionis fama emicuit. Hic Dagoberto Francorum regi ab epistolis, et secretis, consiliisque, eo apud illum loco quo privatus esse apud tantum principem aut debuit, aut potuit. Exinde Argentorati episcopus renunciatus, non sine sanctitatis opinione vixit. Ejus vitam scripsisse fertur anno DCCCCLXV. Urso episcopus Argentoratensis XXXIX. Sigebertum occisum ab apro ad vitam revocavit. Wolfgangus Lazius. Scripsit autem

In Epistolas Pauli lib. I.

Floruit anno DCXLIII. Colitur die XXI. Julii. Molan. Addition. Usuardi. Guil. Eisengrinius. Fr. Irenicus lib. III. German. Exeg. cap. XLVIII.

S. ARNUAL. 29.

S. ARNUAL, S. Kiliani peregrinationis socius, cum ille Herbipolim in Germaniam contendisset, martyriique palmam percepisset, hic in Galliis substitit. Anonym. ex Monast. Aichstadian. praedicator, editus ab Henrico Canisio tom. IV. Antiquarum Lection. de Passione SS. Kiliani et sociorum ejus. Verba habes in Donato lib. IV. infra hoc opere. Sigebertus Gemblacensis ad annum DCXLIX. In Chronico Wizziburgensis episcopi: " Discipulus Arnual in Gallia, Adamannus abbas, Adhelmus, et Wilfridus, episcopi clarent in Anglia." Arnualdum vocat Trithemius lib. I. Comp. Annal. pag. LVII. Scripsisse eum ait Jacobus Breullius in Disquisitionibus suis,

S. Kiliani magistri Vitam lib. I.

Quae illi a propudiosis haereticis, et maxime apostata Baleo, ascribuntur, non vidi. Hoc unum constat, relicta Gallia magistrum suum in Gallias comitatum, Xantonum episcopum sancte pieque inauguratum: idem auctor est R. P. Breullius.

Claruit anno DCXCIV. Idem. Annualis est cultus II. Octobris. Martyrolog. subens.

S. ATTILA. 30.

SANCTISSIMUS senex Columbanus multos habuit cives suos Scotos pietatis studio ipsum e patria secutos; in his Attila Scotus, seu Attala, cujus memoria colitur die X. Martii. Addition. Martyrol. Usuardi Molan. De quo Sigebert. Gemblacensis Chronico: " Eustasius abbas Luxonensis, et Attila Bobiensis post Columbanum clarent." Comitatum certe hujus sancti patris Scotos fuisse, anonymi versus, seu epigrammata, ab Henrico Canisio nuper edita, fidem faciunt:

Inde Columbanus, noster pater atque magister,
Alpibus excursis, aeriisque viis,
Hic aderit praesens, alacrisque ad gaudia tanta,
Agmina conjungit consociata simul.
Conjunguntur ei celebres, gressusque fatigant
Tres quoque Francorum, Scotigenae pariter.

Attilae nostri scripta a Bernardo Sacco laudantur, et sunt quaedam MSS. in Bibliotheca Veneta Marciana.

Bobii Monasterii Immunitas	lib. I.
De Theudelinda Regina	lib. I.

Vivebat sanctissime anno salutis DCXXIV.

S. ANDREAS. 31.

S. ANDREAS, socius peregrinationis S. Donati, episcopi Fesulani, loca sancta visendi studio deseruerat patriam, et cum Roma regressus, eremiticam vitam ducere ambo decrevissent, Donatus divinitus in episcopum est electus, hic vero ab eodem diaconus primum, mox archidiaconus creatus, sancte pieque officium suum implevit. Silvanus Razius in Vita SS. Thuscorum pag. CLXIX.

Multa praeclara opera edidit, et maxime inter pietatis monumenta habetur monasterium ab ipsa conditum. Franc. Cattanius Diacettus, episcopus Fesulanus, in Actis illius ecclesiae pag. CXXXVII. Placet idem Cattanius non mediocriter, qui in praefatione ad opus illud Andream hunc S. Brigidae fratrem asseverat, non illius Brigidae quae, ut libro sequente dicitur, obdormivit anno DXVIII. sed quae Fesulas appulit anno DCCC. ut Baronius, et Razius, atque ipsa historia de vita illius loquuntur. Ea asservatur MS. Romae ad Sanctae Mariae Majoris. Scripsit vero

De Poenitentiae Bono	lib. I.
De Eleemosynae Effectu	lib. I.
Ad Fratres a se indutos	lib. I.
De Actis Donati magistri	lib. I.
Moralium Dictionum	lib. I.

Floruit Fesulis, et monasterium condidit, monachosque Benedictinos in eo collocavit, anno DCCCII. In sanctos relatus colitur

IV. Augusti a Florentina et Fesulana ecclesiis. Sacrum ejus corpus religiose asservatur in templo D. Martini de Mensula non longe Fesulis. Historiam porro suam Cattanius a Philippo Villanio historico Florentino hausit. Sebastianus Medices, et Franciscus de Pisis, inquisitor Florentinus, " Donatum, et Andream de Scotia" vocant: et Philip. Ferrar. Colitur XXVI. Aug.

JOANNES ABERCROMBIUS. *32.*

JOANNES Abercrombius, Benedictinus, ut puto, haeresi in Scotia nascenti animose restitit, et acerrime religionis puritatem verbo propugnavit, etiam Christi causa mortem passus. Ejus sunt:

Veritatis Defensio	lib. I.
Haeresis Confusio	lib. I.

Vivebat anno MDLXI.

S. ADELARIUS. *33.*

S. ADELARIUS natus in Scotia, cum S. Bonifacio puer patria exportatus, monastico voto in Anglia obstrictus, in monasterio Muschellae memoratur sacerdos factus: eundem Bonifacium, ad conversionem infidelium, secutus, primus Herefordiae episcopus inauguratus, summa sanctitate vixit, majore a Frisiis caesus, unus ex LII. Bonifacii sociis veritatem sanguine firmavit. Haec summatim Scotichronicon, sive verius, ejus continuator Magnus Maculloch. Scotum probant communio vitae, laborum, martyriique cum S. Bonifacio acta, auctoritas Scotichronici, sed longe valentius monasterium Herefordiae, Scotis in perpetuum erectum, Scotiae asserit civem. Colitur die V. Junii, quo passus, et translatio XX. April. Petrus Cratepolius. Uvion lib. II. Lig. Vitae cap. XLI. Male Trithem. lib. IV. Vir. illustr. Ord. S. Bened. cap. CXXCIII. ei natalem assignat XX. Aprilis. Scripsit

Ad Infideles	lib. I.
Ad Pontifices	lib. I.

Passus est anno DCCLIV.

S. ADEODATUS. 34.

S. ADEODATUS, seu Theodatus, aut Theodorus, Scotia egressus cum SS. Florentio et Arbogasto, diuque eremum incoluit, tum religioso voto se mancipans, canonicus Lateranensis factus, e coenobio extractus ad ecclesiae Nivernensis clavum sedit. Democharis lib. II. Sacrif. Missae cap. XXX. Vita SS. Florentii et Arbogasti. Acta ecclesiarum Trevirensis et Argentinensis. Constantinus Ghinius Natalibus SS. Canonicorum. Surius. Ad Usuardum Molanus die VII. Novembr. Alii natalem ei statuunt ad XIX. Junii; alii aliter. Scripsit

Psalterii Explicationem lib. I.
De Solitudinis Laude lib. I.

Claruit anno DCCLXXX.

S. ADILIA. 35.

S. ADILIA, virgo sanctimonialis, nata in Belgio Orpii dioecesi Namurcensi, non procul a Thenis et Geldonia, singulari pietatis affectu viros ecclesiasticos de Scotia venientes excepit, S. Martino templum exstruxit; hic vero ejus mentionem celebramus, non ut Scotae, sed ut Scotorum hospitae. Durat hodie fons mirabilis. Colitur XXX. Junii. Visitatae reliquiae II. Decembr. anno DCCI. Molanus Indiculo SS. Belgii pag. VII.

Claruit anno DXL. et haec est tertia Scotorum in exteras regiones missio.

S. ALBUINUS. 36.

S. ALBUINUS Scotus, abbas monasterii Hu, vel Hii, quod caput omnium coenobiorum Scoticorum, Anglicorum, Hibernicorum apud Bedam audit lib. III. cap. XXI. Henricus Huntindoniensis lib. III. Vixit ea aetate qua lubentes volentesque cives nostri in Ethnicorum conversionem incumbebant, ideo ipse ei operi se accingens, Thuringiorum apostolus audit, Uvion lib. II. cap. XLII. primusque Frislariae episcopus. Scripsit

Ad Thuringios lib. I.

Claruit anno DCCLV. aut circiter. Colitur XV. Martii et XXVI. Octobris.

S. AMANUS. 37.

S. AMANUS unus ex iis apostolicis viris qui, fidei propagandae studiosi, Scotia in Germanias transierant, ut Lazius abunde in Austria, aliique. Hic ergo a S. Bonifacio eo destinatus, in Bavariam penetravit, et inter apostolos gentis habitus, martyrio coronatur, ut in Bavaria Sancta Matthaeus Raderus auctor. Supervixit autem Bonifacii apostolatu. Scripsit vero

Homilias Sanctorum lib. I.

Contra Clementem Scotum lib. I.

Passus est anno DCCLVIII. die XVI. Decembr. Alius Amanus episcopus Gallus apud Petrum lib. X. Catalogi cap. LXXI.

S. ANNIANUS. 38.

S. ANNIANUS, archidiaconus Laudoniae, seu Maeatarum, ut apud Reginaldum cardinalem in Historia Scotica, cum ad loca sancta concionabundus properaret, per Bavaros transiens ab infidelibus comprehensus, diris cruciatibus vivus combustus enectus, crebris miraculis electionis suae fidem praestruit. Fuerat Adamanni Coludii discipulus. Scripta ab eo:

Epistolae ad Regem Ambirkelethum lib. I.

Sermones ad Populum lib. I.

Passus est sub eodem rege, imperante Leone II. quem Leontium vocant, anno DCXCVIII. Colitur die XVI. Decembr. In Bavaria Sancta idem Raderus.

S. ANTONINA. 39.

S. ANTONINA, virgo Ursulana, sociis Hunnorum truculentia consumptis superstes, alibi est passa. Culta XIX. Januarii. Canisii Martyrologium Germanicum.

Annus ei cum aliis communis CDLIV.

S. AUGURIUS. 40.

S. AUGURIUS, Augulius, Aulus, Augulus, vir sanctissimus, episcopatum in Britannia gessit, id est, Scotia, nam eo seculo nulli in Anglia Christiani, siquidem prima evangelii receptio evanuerat, nec S. Augustinus, illius gentis sanctissimus apostolus, advenerat, ut clare successio temporis indicat. Hunibertus sane Scotus, scriptor antiquissimus, in sua Historia, ejus in Scotia labores, praedicationem, et miracula extollit. Scripsit

De Fide plantanda	lib. I.
De Fuga Persecutionis	lib. I.

Passus est Augustae in Britannia VII. Februarii anno CCCLXI. Ghinius, Genebrardus, Usuardus. Wandelbertus Prumiensis:

Augule, septenis mundum vincendo triumphas.

Colitur VII. Februarii.

S. AURELIA. 41.

S. AURELIA, Ursulanarum una, cum sociis passa non est, sed Deo permittente majoribus laboribus reservata, eundem tamen felicissimum finem est sortita, coliturque XV. Octob. Petrus Canisius in Martyrologio.

Annus cum aliis communis CDLIV.

S. AUTBERTUS. 42.

S. AUTBERTUS, episcopus Cameraci, non Scotus, sed pientissimus Scotorum peregrinantium susceptor et hospes: sic enim Molanus Indiculo SS. Belgii pag. XIV. "S. Autberto, episcopo Cameracensi, se adjunxerunt multi apostolici praedicatores ex Scotia et Gallia." Et hanc gratiam hospiti suo Scotia reponit, beneficiorum memor.

Haec agebantur circa regnum Ferquhardi II. Scotorum regis, anno DCXLVI.

S. ANATOLIUS. 43.

S. ANATOLIUS ex eorum Scotorum numero, qui Innocentium I. pontificem secuti, ut Mantissa Apparatus Historiae Scoticae pag.

CLV. dixi. Apocrisiarius hic fuit Theodosii Augusti junioris, et ex ea aulica dignitate ad majora vocatus; nam cum S. Flavianus, patriarcha Constantinopolitanus, in synodo praedatrice Ephesi XLIV. vulneribus fuisset enectus, Anatolius ei successit, et ne quis de legitima ejus potestate dubitare posset, a Sancto Leone I. pontifice pacificatorias petiit, fidei suae rationem reddens, et obtinere promeruit. Ipse Sanct. Leo epist. XL. Theodor. Lector Collect. lib. I. Et quia Chrysaphius eunuchus, et Dioscurus, Eutychiani dogmatis promotores, eum eligendum curarunt, ille synodo Chalcedone coacta DCXXX. episcoporum et patrum, eosdem damnandos primus consensit. Nicephor. lib. XV. Histor. Ecclesiast. cap. XVI. Et quia Eutychiani, ut nunc perditissimi Calvinistae, miracula expetebant, Anatolius miraculo maxime insigni eos confudit; nam cum ipse et Eutychiani libellum suae professionis super S. Euphemiae virginis reliquias imposuissent, custodiaque utriusque partis adhibita esset, liber Anatolii in dextra manu virginis, haereticorum ad pedes inventus. Hoc accidit idibus Aprilis anno CDLI. Zonaras tom. III. in Marciano IV. Et quamvis Sanct. Leo PP. eum sacra apostolica confirmarit, atque ipse Eutychianos synodo illa generali damnasset, et maximum miraculum cooperatus esset, tamen male a Baronio audit tom. VI. pag. CCXXXI. Scotum fuisse probavi in Apparatu pag. CXLV. et Salinis in Burgundia dioecesi Vesuntino sic habetur: "S. Anatolius Scotus, archiepiscopus Constantinopolitanus." Admonuit vir illustrissimus D. Metellanus, baro Lidintoniae, cancellarii Scotiae filius, qui Bruxellis dulcem fidei orthodoxae fructum percipit, procul ab haereticorum furiosa malitia sepositus. Franciscus Guillamannus lib. II. de Rebus Helvetiorum cap. XIII. "S. Anatolius Salinis colitur." Paradinus in Antiquitatibus Burgundicis: "Tempore Lotharii IV. regis, per legatos Constantinopolim ab eo missos, translatum fuit pretiosum corpus S. Anatholii patriarchae, quem Scotum faciunt." Locum ad me misit R. P. Georgius Leslaeus Capucinus, dictus Archangelus, civis meus, et disertissimus concionator, generalis socius. Scripsit Anatolius

Contra Eutychianos lib. I.
Ad sanctissimum Leonem Papam lib. I.
Ad Synodum Oecumenicam Chalcedonensem, contra Eu-

tychianos collectam, lib. I.

Obiit confessor anno CDLVIII. anno S. Leonis I. XIX. regnante apud Scotos Eugenio II. Translatae Salinas reliquiae sedente Leone VIII. regnante in Scotia Indulpho.

ALANUS. 44.

ALANUS, episcopus Cathenesiae, Scotiae cancellarius ab Eduardo I. Angliae rege tyrannice intrusus, facta electione per Joannem Cuminum et Jacobum Stuartum, qui nimis Anglicae factioni addicti. Hic porro ex Angli potius commodo, quam patriae amore aut honore se gessit in initio, postea tamen resipuit, et ad meliorem mentem rediens, Stuartum a factione Anglicana retraxit, et regni decus totis viribus procuravit, ut apparet ex operibus, quorum apices in Catalogo Deirensi supersunt, et, ut existimo, apud illustrissimum comitem Martialem in bibliotheca Dunotria extant.

Super Regalitate Roberti Brusii lib. I.

Epistolae ad Robertum Ros lib. I. Hic ab Anglo primus nobilium defecit, et Rokesburgum tenuit armata manu, Anglosque ad internecionem delevit, ut auctores sunt Trivetus et Abingtonus, nec Caxtonus dissentit.

Creatus est cancellarius XII. Junii anno salutis MCCXCI. Holinshedus pag. DCCCIII.

AUMINUS. 45.

AUMINUS Keldeus, et Keldeorum ultimus praepositus. Sunt autem Keldei, seu Culdei, viri pii sanctitate illustres, quos patria voce sic dixerunt, quasi Dei cultores, ut in Apparatu Scotico pag. CXLVI. Hos Graeci, ut existimo, Therapeutas vocarunt. Bellarminus cardinalis ex Philone. Sic S. Marcus audit Euseb. lib. II. c. XVI. Sozomen. lib. I. cap. XII. Epiphanius Haeresi XX. Cassianus lib. II. Collat. cap. XV. Beda praefat. ad Marcum. Petrus Equilin. lib. IX. cap. CIX. Penes hos, ab initio receptae fidei, stabat episcoporum

electio, nec ullus antistes esse poterat, qui non ex eorum corpore, aut per eos electus esset, donec Gulielmus Lambertonus a canonicis electus S. Andreae episcopatum tenuit, ut in Titulis Memorialibus lib. VII. cap. III. dixi. Sed huic electioni reclamarunt Keldei, et maxime Auminus eorum princeps Romam provocavit, et eo se contulit, sed incassum, nam non modo electus approbatus a pontifice, sed omne jus deinceps Keldeis abrogatum. Scotichronicon lib. VI. Hic scripsit

De Jure Keldeorum	lib. I.
Querimoniam ad Papam	lib. I.
Informationem Causae	lib. I.

Profectus Romam anno MCCXCVIII. obiit in regressu, et sequente anno sepultus Mutinae.

ADRIANUS IV. PONTIFEX. 46.

ADRIANUS Pontifex Opt. Max. IV. Nicolaus Hastifragus prius dictus, putatur a multis Scotus, quia multum in insulis Scoticis allaborarit, Norvegiaque, ea lingua usus, quae Angliae ignota Scotorum eo aevo propria, ut colligit Gilbertus Brunus; sed ego potius inducor ut Anglum credam, motus auctoritate coaetaneorum Gulielmi Neubrigensis lib. II. Hist. cap. VI. Joannis Saresberiensis lib. VI. Policratici cap. XXIII. ut recentiores omittam, Platinam, Uvionem, aliosque.

JOANNES ALBUS. 47.

JOANNES Albus, vulgo Quyt, abbas monasterii Scotorum Ratisbonae, Benedictinorum nulli sua aetate secundus, theologus eximius, nec secularium literarum ignarus, acerrimus ecclesiae vindex, monasticae disciplinae restaurator, pauperum pater, et priscis illis aureae aetatis patribus conferendus, scripsit

Controversias	lib. I.

Obiit anno MDC. in monasterio suo.

AEGYDIUS ALDANUS. 48.

AEGYDIUS Aldanus, episcopus Candidae Casae, S. Niniani, aut Gallovidiae, vir sua aetate rerum civilium peritus, legatione Anglicana et Danica cum laude functus, controversiarum inter Scotos et Anglos arbiter et compositor, magno animo, et majore prudentia decus ecclesiae Scoticae asseruit, impotentiae archiepiscoporum Eboracensium viriliter se opponens, et disputavit, et scripsit

De Scotorum Patriarchatu lib. I. in Indice Deirensi.

Floruit anno MCCXL. Meminit Anglicana historia.

ANGILBERTUS. 49.

ANGILBERTUS episcopus in Cathenesia plerumque residebat, licet per universam Scotiam jus exerceret; natione quidem Gallus, sed incolatu Scotus, et meritis, a Mordaco Scotiae rege ad Chilpericum II. Galliae regem orator destinatus, dum per Angliam transiret, Wilfridum Anglum consecravit, qui postea Eboracensis archiepiscopus, et in SS. numerum relatus. Porro Angilbertus scripsit

De Errore Paschatis celebrandi corrigendo magnum volumen lib. I.

Claruit anno DCCXX. Meminit Malmesburiensis de Gestis Pontificum lib. III. et Reginaldus cardinalis.

MALCOLMUS ARDES. 50.

MALCOLMUS Ardes, nobilissimo sanguine natus in Achterles, unus eorum fuit, qui Scotia exterminati tyrannide Eduardi I. Angli, ubi spes melioris rei affulserat, iterum redierunt, et non parum operae accommodaverunt patriae. Fuit autem Carmelitani ordinis provincialis. Scripsit rudi stylo, ut ea tempora ferebant,

De Bello ad Fawkirk lib. I.

De liberata Scotia lib. I.

Floruit anno MCCCXXCIV. Henricus Sinclarus.

HENRICUS AVIELLUS. 51.

HENRICUS Aviellus, patre Anglo captivo in Scotia genitus, vir doctissimus, cum patriam suam abunde cohonestasset, ad exteras gentes profectus, Gallia, Belgio, Germaniaque operose lustrata, in Italia substitit, Bononiaeque clarissimo literarum emporio medicinam publice professus. Nicolaus Paschasius Alidosius in Peregrinis Doctoribus. Scripsit magna ex parte extantia:

Veteris et Novae Medicinae Speculum lib. I.
De Botanica lib. I.
Stirpium variarum Historiam lib. I.

Docebat anno MCCLXXX. Se Scotum vocat in praefatione Speculi, quod Venetiis prodiit.

ACHAIUS. 52.

ACHAIUS, rex Scotiae, Ethfini filius pius et prudens, Hibernienses tumultuantes compescuit, perpetuum foedus cum Carolo Magno, aeternum cum successoribus ejus Galliae regibus pepigit, Guilielmum germanum suum cum VI. millibus armatorum contra Saracenos militaturum eidem submisit. Annales Franci et Scoti. Scripsit

Epistolas ad Carolum Magnum lib. I. Meminit Eginhartus, aut Kineardus, nostras in Actis Caroli Magni.
Acta Regum decessorum suorum lib. I.
Leges Municipales lib. I.

Obiit XXXII. anno regni sui, Paschali Romae sedente, Egberto toti Angliae imperante, quae prius in dynastias secta erat, anno salutis humanae DCCCIX.

ACCAS. 53.

ACCAS, aut Actas, aut Acca, ut habet Hermannus Contractus Chron. ad annum DCCX. vir magnae pietatis, nec minoris doctrinae, Bosae archiepiscopi Eboracensis discipulus, ab eodem epi-

scopus Hagustaldensis in Anglia renunciatus, sed gentis odio sede sua depulsus, Candidae Casae episcopus in Scotia est inauguratus, ut disputat Hect. Boeth. lib. IX. Hist. Scot. pag. CLXXXI. Ejus auctoritate utitur Beda lib. III. Hist. Ecclesiast. Gent. Anglor. cap. XIII. et lib. IV. cap. XIV. Scripsit

Passiones Sanctorum	lib. I.
Officiarium suae Ecclesiae	lib. I.
Epistolas ad Amicos	lib. I.

Antistes creatus est anno DCCIX. Sedebat dum Beda obiit, hoc est, anno DCCXXXIV. Matth. Westmonast. eo anno. Obiit DCCXL.

JOANNES ADAM. 54.

JOANNES Adam Aberdonensis, Dominicanus, primus in academia sacrae theologiae lauream doctoralem percepit. Hector Boethius lib. XIII. Histor. Scot. pag. CCLXXXIV. Ordinem suum ab ipso S. Dominico CCCC. ante se annis Alexandro Scotiae regi apud Philippum Galliae regem agenti commendatum, ac non nihil a primo instituto deflectentem, sanctissimis moribus reformavit. Scripsit

De Vitae Monasticae Laude	lib. I.
De Dominicanis illustribus	lib. I.

Claruit anno MDXV. Laudat Leslaeus.

ADDA. 55.

ADDA presbyter, unus ex quatuor qui cum S. Finnano in Angliam venerant, quique Penda Merciorum regis filio baptizato in Anglia substitit, totamque gentem ad Christianos cultus pertraxit, et sacro fonte magna pietate lustravit, ut narrat Florentius Wigorniensis ad annum DCLIII. Ejus apud nostrates scriptores, quod sciam, nulla mentio. Scripsit

De Gratia Evangelii	lib. I.

Claruit anno dicto.

ALANUS. 56.

ALANUS, abbas monasterii Scotorum Sancti Jacobi Majoris in suburbio Herbipolitano, numero censetur XXIV. Theolo-

giam Parisiis secularis fuerat professus, et ex Romana peregrinatione monachum ibidem loci induerat. Scripsit multa, sed extant tantum, quod sciam,

Quodlibeta Philosophica lib. I.
Determinationes Theologicae lib. I. Chronicon dicti monasterii, et acta academiae Parisiensis.

Praefuit annis VIII. Obiit anno MCCCCLV.

S. AGLIUS. 57.

S. AGLIUS, " vir in disciplinis regularibus apprime eruditus," ait Fredegosus in Vita S. Audoeni, cap. VII. cum S. Columbano Scoto ex Hibernia in Gallias descendit, discipulus ejusdem et civis, et ab eodem Audoeno, Rhotomagensi antistite, accitus ad novi monasterii Rasbacensis, quod ipse aedificaverat, curam, primus abbas loci, magna sanctitate et continentia monastica vota exercuit, primus e duodecim discipulis, qui a magistro sit divulsus, maximum inter sanctissimos illos viros amoris argumentum, qui alterum relinqueret, alteri operam navaturus, et simul utrumque animis firmaque memoria conjungeret. Scripsit

De Sanctorum Feriis lib. I.
De Poenitentia lib. I.
Enchiridium Claustrale lib. I.

Claruit confessor anno DXLVII. vel DCLXX. Colitur die XXIX. Augusti, ut vult Trithemius lib. III. Vir. illustr. cap. XCII. vel die XXX. ejusdem, Uvion lib. III. pag. CCXXCVII. aut denique I. Septemb. ut placet Maurolyco et Felici. Agilum vocat Uvion, et non sine nota S. Eustasii discipulum facit, cum Vita S. Audoeni scripta per Fredegosum, fidelem notarium, S. Columbano divulsum antequam Luxovium perveniret, testetur. Maurolycus vero sub Clodoneo Francorum rege ponit, quae aetas in S. Columbanum quadrat, in Eustasium convenire nequit.

AENEAS SYLVIUS PP. 58.

AENEAS Sylvius, etsi Italicae originis, natus Corsiliani in agro Senensi ex clarissima gente Picolominea, pontifex Romanus

sub nomine Pii II. tamen quia legatus in Scotia fuit, et res nostras scriptis suis illustravit, pacemque Eugenii IV. mandato confecit, ut habet Hect. Boeth. lib. XVII. in fine, et hanc legationem in bibliotheca sua Senensi in ipsa metropolitana aede depingi voluit, locum hunc in nomenclatura Scoticorum scriptorum habebit. Ejus sunt, ut sacra non attingam, magna parte in Scotia nostra scripta: saltem omnia erant haec in bibliotheca insulae Maiae, ut ex indice apparet illius loci; et putat Henricus Sinclarus in Synopsi sua, omnia, dum sederet pontifex, in Scotiam relata per oratores, episcopum Dunkeldensem et Archibaldum Grahimum.

Mansit in Scotia annos II. Sedit in Petri cathedra annos IV. Obiit Anconae.

ADENULPHUS. 58.

ADENULPHUM celeberrimi monasterii Farfensis abbatem XLIII. Scotum fuisse, ex tabulis ejusdem loci admoneor. Fuit is ab Innocentio II. in numerum cardinalium allectus, et egregiam operam sanctamque ecclesiae propugnandae impendit. Memoratur a Jacobo Cheyneo, ab Onuphrio Panvinio, Arnoldo Uvione, et aliis. An aliquid scripserit, incertum.

Electus abbas anno MDCXL. Praedictae tabulae. Quamdiu praefuerit, aut quando obierit, non deprehendi.

ANONYMUS. 59.

ANONYMUS iste insularum Scoticarum episcopus sub Rege Davide, ex Furnesio Anglicano monasterio, vir astutus et vafer, ait Arnoldus Uvion lib. II. Lign. Vitae cap. LIII. cum dexteritate maxima populum suum gubernavit. Laudat auctorem ille Guilielmum Neubrigensem lib. I. Histor. Angl. cap. XXIV. Liber non est mihi ad manum, et tamen suspecta referentis fide, an quicquam scripserit, nescio.

Claruit anno MCL. aut circiter, eodem illo auctore.

MATTHAEUS AMARBARICENSIS. 60.

MATTHAEUS, Amarbaricensis monachus, a coenobio in Frisia, ubi monachum induit, vocatus, peregrinatione Romam

instituta cum infestis armis omnia obsiderentur in Italia, nec tutum esset terra aut mari iter, Pisis substitit. Scripsit

Gesta Pisanorum lib. I. eleganti versu. Initium poemati, quod in manus meas MS. casu Genuae venit, sic se habet:

Pisanas acies, Latio victricia toto
Arma cano, invictasque rates oriente subacto,
Quae sanctum Domini rursum asseruere sepulchrum,
Captivosque iterum duxere in vincla tyrannos,
Viribus annisi Mahometi extinguere sectam.

Vivebat anno MCCCVII. Cogito de eo publicando, plura enim ex eo de rebus illius populi quam apud omnes Pisanos didici.

ARNULPHUS. 61.

ARNULPHUS, Melrosiae abbas, unus ex legatis qui Romam missi ad absolutionem a Lucio papa petendam pro Rege Wilhelmo, quem sacris interdixerat Rogerus archiepiscopus Eboracensis, Romam profectus bullam impetravit. Eum prudentem et discretum vocat Rogerus de Hoveden Annal. par. I. pag. CCCLI. Scripsit nihil quod extet.

Orator destinatus MCLXXXII.

ALEXANDER. 62.

ALEXANDER ducis Albaniae filius, Jacobi II. pronepos, abbas Sconae primum, ac mox Moraviae episcopus. Hic non minus regi suo consanguineo quam Julio II. pontifici carissimus, a quibus gravissimis Europae negotiis componendis addictus, tantam gravitatis, pietatis, prudentiae, et literaturae constantiam exhibuit, ut nulli plus Italiae, atque adeo ecclesiae Catholicae pax et dignitas, turbulentis Gallorum et Aragoniorum procellis sopitis, debeat; nam pro rege orator ad Carolum VIII. Galliae regem missus, multum momenti attulisse visus est nutantibus tumentibusque in Europa rebus. Sed audiatur Ludovicus Guicchiardinus lib. IX. " Spe pacis turbata, decessu episcopi Gurcii, licet pontifex illum sub-

sequi jussisset quarto tantum die episcopum Murraviae, Scotorum regis oratorem, ut pacis conditiones cum Gallorum rege disceptaret." Et lib. x. in limine: " Pontifex postquam Bononia discesserat, ad regem destinavit Scotorum legatum, ut prosequeretur eadem illa pacis capita, quae ab eo cum episcopo Gurciano pridem agitari coepta." Et ibidem loci in sequentibus: " Inter has anxietates et scopulos, victori similior quam victo conditiones Carolus rex proposuit, agente oratore Scoto." Et eodem libro sub medium: " Demum episcopus Murraviae, qui pacem inter pontificem et regem Galliarum tractaverat, sive animo conscientiaque motus, sive quod cardinalatum ambiret, cum locutus fuisset magno favore in regni comitiis, ingentique pontificis exhibito aequitatis testimonio, decretum edicto publico fuit, clerum ad concil. Lateranense mittendum." Nec tamen ille frustra ambivit purpuram, nam Julius II. tot benefactis galerum destinavit, sed morte praeventus non subscripsit, nec misit. Appendix ad Joanninum de Pontificibus Romanis, qui prodiit Bononiae, ubi cardinalis hic scribitur; Appendix vero editionis Francofurtinae. Scripsit

Acta Legationis suae lib. I.

Epistolas pro patre ad Carolum Galliae Regem, apud quem ille Scotia exactus ambulabat, lib. I. Jo. Leslaeus lib. VIII.

Floruit anno MCCCCLXXXIII.

ALDREDUS. 63.

ALDREDUS archiepiscopus, cum Edgaro Angliae rege a Guilielmo Normano pulsus, in Scotiam appulit. Malmesburiensis lib. III. pag. LVIII. Scripsit

Pro Edgaro Rege contra Tyrannidem Normanorum, quo opere tota successionis Anglicanae materia plene aperitur. Alia Balaeus enumerat, sed non vidi.

Epistolas ad Exules lib. I. Multae tum familiae, regem suum ex Anglia secutae, in Scotia consederunt. Leslaeus lib. VI.

Agebat in Scotia anno MLXVI. Hic rex alumnus Scotiae est.

S. JO. AIRIGENA. 64.

S. JOANNES Airigena, seu Erigena, monachus ordinis D. Benedicti, ab Aira oppido haudquaquam incelebri, sive Era, cognomen sortitus, ut nunc etiam in Italia videmus clarissimos viros a municipiis suis cognomina asciscere. Abbas Vercellensis: "Vir excellentis ingenii, Graeca et Latina eruditus lingua." Joan. Trithem. lib. II. de Vir. illustr. Ordin. S. Benedicti cap. XLVI. Idem Scotigena dictus. Germanus in Bibliotheca ex Trithemio. Collega hic Alcuini, cum eo a Scotia in Gallias ad Carolum Magnum profectus, Ticinensis scholae fundator fuit. Iidem auctores qui supra in *Alcuino* abbate. Hunc falso cum Joanne Scoto, qui Hierarchiam D. Dionysii Latinam fecit, confundunt, et in his Andreas Duvallius, doctor Sorbonicus, in notis ad librum Ecclesiae Lugdunensis; nam hic noster aequalis fuit Carolo Magno, ille vero XC. annis totis postea vixit. Scripta ab eo sunt:

De Praedestinatione	lib. I.
De Praescientia divina	lib. I.
De vera humani Arbitrii Libertate	lib. I.
Dogmata Philosophica	lib. I.
Epistolarum ad diversos	lib. I.
Theologia mystica	lib. I.

Contra quae editus est liber Ecclesiae Lugdunensis nomine circa annum DCCCL. cum nondum adhuc Joannes Scotus, Hierarchiae versor, natus. Opus autem illud extat tom. IX. SS. Patrum. Huic etiam Bibliotheca tribuit, qui alteri Joanni tribuendus liber est, ut suo loco docebo infra.

De Divisione Naturae	lib. I.
De Corpore et Sanguine Domini	lib. I.
De immaculatis Mysteriis	lib. I.
De Fide, contra Barbaros,	lib. I.
De instituenda Juventute	lib. I.
Paraphrasticos Tomos	lib. I.

Hujus nostri ergo, quod sciam, tantum haec sunt.

De Officiis humanis	lib. I.

In Evangelium Matthaei lib. III.

Obiit triennio ante Alcuinum, hoc est, anno salutis DCCC. vel DCCCI. Trithemius loco laudato. Scotum genere vocat eum Nicolaus I. in Epistola ad Carolum Caesarem, quod tamen mirum est rescindere audere Joannem Pitsaeum, barbarum lingua, antiquitatis omnis rudem nisi quam a Balaeo apostata didicit. Sic bulla sanctissimi pontificis habet: "Quidam vir Joannes, Scotus genere." Ad haec Pitsaeus pag. CLXVIII. "Scotum ex aliorum relatione vocat." Unde hoc Angli colligitis? Sic temere pontifex coaetaneus loqui debuit? sic labi ad imperatorem scribens beatissimus Petri successor voluit? Haec Thomas Dempsterus nollet dicta.

AETHELBERTUS. 65.

DUM illi in Gallia et Italia ecclesiam gnaviter tuebantur, suaeque genti gloriam immarcessibilem comparabant, non segnius Aethelbertus in Anglia strenui antistitis et pii partes sustinebat; nam incomparabili eruditione clarus ad suos inde rediit, et Candidae Casae episcopatu honestatus. Scripsit sub Leone III. pontifice, habita jam Romae synodo,

Contra Alifandi Toletani Errores lib. IV.

Quando obierit, non deprehendi: at episcopus inauguratus, et teste Florentio Wigorniensi, anno DCCC.

ALEXIUS. 66.

ALEXIUS, S. ecclesiae Romanae cardinalis, et "Scotiae legatus," ait anonymus Augiensis monachus in Vita S. Laurentii cap. XXXV. edidit

Acta Legationis suae lib. I.

Epistolas ad Ecclesias Scoticas lib. I.

Florebat anno MCLXXI. aut circiter. Alii volunt a Clemente III. creatum cardinalem anno MCLXXXVIII. IV. idus Martias sub titulo S. Nicolai in Carcere Tulliano, et postea sub titulo Sanctae Susannae.

ARNALDUS. 67.

ARNALDUS S. Andreae episcopus, vitae sanctimonia, prudentiaque civili clarus, ut verba scriptoris probi usurpem. Ejus est

De recto Regni Regimine, ad Malcolmum IV. Regem, lib. I.

Florebat anno MCLX. Hector Boethius lib. XIII. Histor. Scot. pag. CCLXIX. Index Sconanus.

ARNALDUS. 68.

ARNALDUS Mailrosiae abbas, ego nescio an idem cum Arnulpho, de quo supra, memoratur in literis Lucii III. pontificis, Velitris datis XVI. calend. April. apud Rogerum de Hoveden Annal. par. II. pag. CCCLI. Scripta penitus aevi injuria perierunt.

Floruit anno MCLXXXXIII.

S. ADWINUS. 69.

S. ADWINUS et Turgotus monachi, ait Rogerus de Hoveden Annal. par. II. pag. CCXLIII. qui tunc Melros pauperes rebus et spiritu pro Christo degebant, intima peccatorum confessione magnisque lamentis crimina expiantes. Scripsit, Forduno auctore,

Catalogum Abbatum Mailrosiensium lib. I. Quod opus, ut multa alia, haeretici impii nuper aboleverunt.

De Dignitate Altaris lib. I.

Florebat anno DCCCCLIV.

AIULFUS. 70.

AIULFUS decanus de Lodoneio, aut Lodonero, memoratur epistola Urbani III. pontificis scripta Veronae ad regem Scotiae Wilhelmum, et in alia ejusdem epistola ad Jocelinum Glascuensem antistitem ibidem scripta, ut testatur Rogerus de Hoveden Annal. par. II. pag. CCCCLXI. Scripsit

Pro Causa Joannis Episcopi Dunkeldensis contra Hugonem

S. Andreae Episcopum	lib. I.
Ad Lucium III. Pontificem	lib. I.

Floruit anno MCLXXXII.

ALANUS, SEU ANTICLAUDIANUS. 71.

ALANUS, cognomento *ab Insulis*, in Mona insula natus, antiqua Druidum sede, a plerisque Magnus, idemque Anticlaudianus ab opere nomine ducto, non contra Claudianum quidem, sed ad ejus imitationem edito, more illius seculi. Sic Ennodius Felix Ticinensis, dum imitari vult Claudiani epigramma, epigraphen suo epigrammati CXXIV. fecit " adversus Claudianum de Mulabus," et alia apud alios.

Rupertus Holcotius primus ei poemati auctoris nomen restituit, cum viri alioquin eruditi eum Anticlaudiani nomine tantum laudent. In his Germanus, Savaro, Jac. Lectius, Fr. Turetus, Baptista Pius Bononiensis, et alii, licet ei parum aequus sit Lilius Gyraldus. Scripsit

De Officio Viri boni	lib. IX.
Super Sententias	lib. IV.
Oculum sacrae Scripturae	lib. I.
De Doctrina	lib. I.
In quinque Libros Moysis	lib. V.
In Cantica Canticorum	lib. I.
De Poenitentia	lib. IV.
De aequivocis Mysticis	lib. I.
De Planctu Naturae	lib. I.
De Parabolis	lib. I.
De Arte praedicandi	lib. I.
De Naturis Animalium	lib. I.
Epistolarum	lib. I.
Quodlibeta	lib. I.
De sex Alis Cherubim	lib. I.
De Summa Virtutum et Vitiorum	lib. I.
Sermones plures	lib. I.
Commentarios in Biblia sacra	lib. I.
Lecturas in Prophetas	lib. I.

Lecturas in Evangelia	lib. I.
In omnes Pauli Epistolas	lib. XII.

Theologicae Parisiis diu scholae praefuit, ubi "in omni scientia divina et humana clarus fulgens, Universalis Doctor meruit appellari," ait Joannes Trithemius lib. de Scriptoribus Ecclesiast. pag. CCCV.

Germanum faciunt Germani, nullo sane argumento, Galli civem suum, aeque improbabiliter, cum constet eum ad D. Jacobi extra muros Herbipolis monasticum ordinem professum, ibique diem suum obiise, anno MCCC. cum epitaphio,

Scotia quem genuit, Germania condit Alanum.

JOANNES ALTUS. 72.

JOANNES Altus Roxburgensis celebri patrum memoria vivebat, rhetor ac poeta eximius. Inter hunc et Elisdanum paedagogum Morpheti, vicus est in Anglia XXIV. milliario a Scotiae finibus, simultas ac de re literaria disceptatio intercedebat; cumque Elisdanus eum gentemque universam Scotorum virulentis scriptis exercuisset, ille solis convitiis inferior se acerrime ab injuria vindicavit, nomenque suum scriptis asseruit, ait Balaeus, victoriaque eruditorum judicio est potitus. Scripta sunt:

Apologia arguta	lib. I.
Contra Antiscoticon	lib. I.
Epigrammata	lib. I.

Florebat anno salutis MCXXX.

ALEXANDER. 73.

ALEXANDER Benedictinus monachus congregationis Benchorensis, vel Cluniacensis, ut quibusdam visum, vel, ut verius alii, Scoticae, Deirae professus, patria exactus saeviente bellorum civilium tempestate, in Essebio Angliae monasterio diu vixit, unde illi Essebiensis cognomentum. "Carmine excellens, et prosa," ait Uvion in Lig. Vitae adjunctis. Banfiensem se profitetur lib. II. Epitomes Historiae Britannicae in limine. Nec illius, praeter Balaeum, quod sciam, quisquam meminit, qui et ipse mendacio assueto Anglum facit.

Scripta ab eo:

Epitome Historiae Britannicae	lib. II.
Vita S. Bertellini Eremitae	lib. I.
Vita S. Cunigundi Eremitae	lib. I.
De sacris Diebus	lib. I.
Carmina sacra	lib. I.
Epistolae	lib. II.
Patriae Calamitas	lib. I.

Floruit anno MCCCLX.

S. AGATHA. 74.

S. AGATHA, S. Salomonis regis filia, Sanctae Margaretae reginae mater, cum filio Edgaro rege fugiens, a Malcolmo Scotiae rege humaniter excepta monialem induit, et cum magna sanctitatis opinione vixit. Ex Historia Scotica, Arnold. Uvion lib. IV. Lign. Vitae cap. XV. Huntindon. Malmesbur. Wigorn. omnes Scoti et Angli scriptores. Monasterium ingressa anno MLXX.

S. AMBIANUS. 75.

S. AMBIANUS Amphibali episcopi in omnibus socius, et episcopali dignitate ornatus, sed cujus ecclesiae non deprehendi, more scilicet eo seculo apud nostrates recepto, ut episcoporum cura nulli certae sedi alligaretur, sed in omnes regni partes potestatem exerceret; quare in conciliis et synodis quibusdam pervetustis scripti reperiuntur nonnulli episcopi Scotiae; quod infra hoc opere fusius. Erat Ambianus noster ex illo antistitum genere, qui Culdei vocati, divinis tantum mysteriis vacabant. Scripsit

De Sanctorum Memoria	lib. I.
Hortum spiritualem	lib. I.
Divini Officii recitandi Rationem	lib. I.

Strenuam verbo Dei promovendo operam navabat, ut ex Hectore Boethio loco laudato liquet, et Joanne Leslaeo ibidem, anno CCCXXII.

ANONYMUS. 76.

QUISQUIS is est qui suppresso nomine circa annum DXCI. scripsit

Vitam S. Albani	lib. I.

in opere eo non semel se Scotum fatetur: prodiit opus illud typis Frobenianis, sed non est ut nunc ad manum codex; laudatum tamen invenio apud Balaeum, sed ille eum, ut multos alios, perperam Anglis donat. Floruit anno DXC.

ATQUANANUS. 77.

ATQUANANUS unus ex discipulis S. Columbani. Meminit Jonas abbas Scotus in Vita ejusdem c. XIII. "Quatuor insigni religione viros per quatuor messis angulos disponit, puta Cominium, Eunocum atque Atquananum ex Scotorum genere, quartum, Gurganum natione Britonem." Nec de illo plura. An aliquid scripserit, in incerto est. Floruit anno DCVI.

ALEXANDER. 78.

ALEXANDER Stuartus, Jacobi II. pronepos, Alexandri Albaniae ducis ex comitis Orcadum filia filius, Parisiis cum patre exule educatus, eo mortuo in patriam rediit, et Sconae abbas, tum Moraviae episcopus creatus, insigni pietate ac prudentia ecclesiam suam administravit. Joannes Leslaeus lib. VIII. Histor. Scotiae pag. CCCXXVII. Scripsit

Sorbonae Laudes. Oratio elegans Lutetiae prodiit typis Patissoni.

Sedebat anno MCCCCLXXXVIII.

ANONYMUS. 79.

ANONYMUS iste reperitur inter eos qui ad S. Bonifacium, primum Moguntiae archiepiscopum, seu Winfredum, literas dederunt epist. XLI. "Domino sancto, sapientissimo, Christo quidem carissimo, Adhelmo, Scotus ignoti nominis in Deo aeternam salutem." Epistolae contextum inibi require, quam sequuntur versus Claudiani, ut vult Nicolaus Serarius, suppresso nomine; sed quid si non Claudiani, qui Ethnicus dicitur D. Augustino, Orosio, Suidae, et aliis, sed ipsius illius Scoti anonymi? Et facile credi potest Scoti illius

hominis Christiani versus de Salvatore humani generis et Deipara Virgine a bibliopola aliquo indocto inter Epigrammata Claudiani collocatos: quod Prudentio et aliis plerisque contigit. Adducor autem impensius ut id existimem, quod epigrammata haec duo a MS. meo optimae notae Claudiano absint; ut omittam non esse verisimile paganum hominem nostrae salutis mysteria tam apposite potuisse cognovisse. Versus autem sunt:

Christe potens, rerum redeuntis conditor aevi,
Vox summi sensusque Dei, quem fudit ab alta
Mente pater. Vide reliqua.

Vivebat hic anno DCCLI. aut praeter propter.

Scripsit autem hic

Epistolas stylo florido lib. I.
Carmina sacra lib. I.

Lubet autem hic cum Nicolao Serario, viro pio et erudito, societatis Jesu presbytero, expostulare, qui Scotum interpretatur Hibernum, et eo loci, et in notis ad S. Kyliani Vitam ex Beda lib. III. Angl. Hist. cap. III. nam etsi verum sit Bedam aliquando vel ejus aevi scriptores pro Hibernis Scotos nominare, quod communis utrique genti appellatio esset, tamen et apud eundem Bedam, et melioris notae auctores, populi illi distinguuntur, neque ullum est probabile argumentum, cur Scotus ille ignotus debeat Hibernus censeri. Ut sileam societatem illam plura Scotis quam Hibernis debere, non ergo gentem solum nostram, et antiquitatis nostratis memoriam, sed et symmistas suos non leviter doctus ille pater violat. Vide Apparatum.

ALEXANDER ANDERSONUS. 80.

ALEXANDER Andersonus, S. Theologiae Doctor, unus ex iis qui ex clero Aberdonensi electi, Edimburgum profecti fidei suae rationem reddiderunt, quem comitati sunt Joannes Leslaeus, tum officialis, postea senator regni, et episcopus Rossensis, Patricius Myrtonus, Jacobus Strachanus. Hic et intrepide et diserte haereticos impugnavit, et postea in scripta redegit

Tractatum de Sacrificii Altaris Veritate et Ritibus lib. I.

Scribebat anno MDLX. Jo. Leslaeus lib. X. pag. DLXXIV.

PATRICIUS ADAMSONUS H. 81.

PATRICIUS Adamsonus, unus ex iis qui Archiepiscopi nomine haereticus S. Andreae ecclesiam deformavit, vir incomparabilis in humanioris literaturae eruditione, Graece et Latine doctissimus, utroque stylo facilis et elegans, scripsit

Catechismum versu lib. I.
In Andream Melvinum Declamationes lib. I.
Epigrammata ac Poemata; in quibus felicissimus calor, nec quicquam ab Aristarcho reprehendendum praeter perversum religionis affectum, si tamen non ille orthodoxae. Multa quoque carpunt Lutheri et Calvini haeresim, ac favent fidei verae.

Obiit in summa, ut audio, inopia, quod in Catholicam religionem pronior quam expediret ipsi a Sathanae ministris censeretur, anno MDXCIII.

ANONYMUS POETA. 82.

ANONYMUS iste Scotus Eberardum Stewardum Obinium ex Scotia vel Gallia in Italiam secutus, strenuam Neapolitano bello operam navavit, sed unus, ut puto, ex iis qui Aragonias complexuri partes, Gallicanas damnarunt, Neapoli substitit, inimicitiasque cum Jacobo Sannazario, patricio Neapolitano, et optimo poeta, exercuit, ut ipse epigrammate conqueritur, et scripserat hic, ut videtur,

Epigrammata in Sannazarium lib. I.

Florebat anno MCCCCXC.

ANONYMUS POETA. 83.

ANONYMUS hic poeta, Latine Graeceque doctissimus, Parisiis publicavit, ut Yvo Villiomarus, sive Josephus Scaliger, testatur lib. II. in Robertum Titium Locor. Controversor. cap. VIII.

Epigramma Graecum de Officiis optimi et apostolici Praesulis.

Epigrammata II. de Hypocrita, itidem Graece.
Eadem Epigrammata Latine vertit, et edidit, quae ideo Titius male ex lapide Italico desumpta, et ex membrana Patrensi, affirmat.

Vivebat anno MDXC. Robertus Titius ea Michaelis Neandri Soraviensis opera publicata scribit.

ALBERTUS. 84.

ALBERTUS Presbyter, aut Aldebertus, aut Eldebertus, ut Othlonus loquitur lib. I. de Vita S. Bonifacii pag. CCCCXLII. una cum Clemente et Samsone presbyteris in Galliis cum Adelberto, in Bavaria cum Sydonio archiepiscopo amicitiam coluit; magnam cum Bonifacio cive suo, Moguntiae archiepiscopo, controversiam exercuisse, auctor est Jo. Aventinus in Annalibus Boiorum. Eum Wicelius junior acerbe nimis vellicat cum sociis in Vita Bonifacii:

> Progenerans quosdam Stygio e foetore scatentes,
> Insipidum Albertum, Clementem, et finibus isdem
> Samsonem, Scotos, sinceri dogmatis hostes,
> Audentes sanae doctrinae opponere sancti.

Scripsisse traditur

In Controversia cum Bonifacio	lib. IV.
Epistolas ad Amicos	lib. I.

Florebat anno sal. DCCL. Haereticum eum facit Othlonus Fuldensis, loco laudato, et socios.

ARLAUS. 85.

ARLAUS, sive Wardlaus, quidam sartor, impius Sathanae satrapa, scelesti Knoxii socius, unus ex apostatis reprobis qui Calvini haeresim in Scotiam furenter intulerunt, quique a synodo Edimburgensi damnati ecclesias Perthi vastarunt et dejecerunt anno MDLXI. ut narrat Joannes Boterus Relation. p. III. lib. I. pag. LII. Scripsit

Conciones furiosas, cacodaemonum spiritu plenas, lib. I.

Vivebat vilissimum ultimorum artificum opprobrium, anno MDLXI. Tales Paulos, cara mea Scotia, lapsus tui duces habuisti, qui etiam viliori plebi forent erubescendi.

ANONYMUS HISTORICUS. 86.

ALEXANDRO III. " rege declarato, ac sacro peracto," ait H. Boethius lib. XIII. Hist. Scot. pag. CCLXXXV. " accessit ad eum vir quidam haud ignobili genere natus, montana Scotiae inhabitans, qui contextam a se genealogiam regum Scotiae omnium, ad parentem usque gentis Gathelum, memoriter recitavit; quem rex amplissime donatum ex consilio gubernatorum domum dimisit." Anonymi ergo hujus scriptum erat,

Genealogia Regum omnium Scotiae, retro ad Gathelum, Scotae Pharaonis filiae maritum, lib. I.

Vivebat hic anno MCCLXXX.

ANONYMUS POETA. 87.

EDUARDUS ex Anglia, cui a Longis Tibiis cognomentum posteri acceperunt, hostili animo ingressus Scotiam, Carmelitanae familiae quendam monachum secum adduxit, qui conscriberet

Destructionem Scotiae lib. I.
Victoriam Anglorum lib. I.

At cum ad Bannocburn a Roberto Brusio Scotiae rege L. millia Anglorum caesa, et CC. equites aurati perempti, et secundum eam cladem exigua scapha rex Eduardus Angliam repetiisset, idem ille Carmelitanus, jussu Roberti, stylo converso posteritati prodidit, barbaro quidem illo, sed illi seculo haudquaquam contemnendo,

Scotorum Victoriam lib. I.

Hunc Angli illustri loco natum prope Notingamiam aiunt, et nomen ei fuisse Robertum Bastonium; coenobii Scarburgensis etiam priorem faciunt. Hanc fugiente Anglorum rege Eduardo cladem Anglos accepisse, non modo Joannes Balendenus, et Joannes Major, Scotique alii in annalibus suis scribunt, sed et Thomas de la Moor in Eduardo II. gentis suae stragem loquitur. Porro Roberti plura ope-

ra a Pitsaeo numerantur, scilicet subjecta.

De Strivelinensi Obsidione	lib. I.
De altero Scotorum Bello	lib. I.
Orationum Synodalium	lib. I.
De variis Mundi Statibus	lib. I.
De Divite et Lazaro	lib. I.
De Scotiae Guerris variis	lib. I.
De Sacerdotum Luxuriis	lib. I.
Epistolarum ad diversos	lib. I.
Contra Artistas	lib. I.
Tragoediarum et Comoediarum Anglic.	lib. I.
Poematum et Rhythmorum	lib. I.

Floruit anno MCCCXV. H. Boethius lib. XIV. pag. CCCIV. Poematis principium, sed admodum barbarum, ponit Joannes Leslaeus lib. VII. Hist. Scot. pag. CCXLVI. Errat scurriliter Pitsaeus, ut solet, dum eum a piissimo rege, et ecclesiastici ordinis reverentissimo, tormentis adactum scribit ut Scotorum victoriam celebraret.

ALBINUS. 88.

ALBINUS episcopus Brechinensis, cum S. Malcolmo IV. rege educatus, in aula splendorem stemmatis sui incredibili pietatis et prudentiae laude cohonestavit atque extulit, in scripturis sacris versatissimus, et secularium literarum haudquaquam ignarus. Scripsit

Acta S. Malcolmi Regis	lib. I.
De Translatione ejusdem	lib. I.
Super sacra Scriptura	lib. I.

Obiit anno MCCVI. vel, ut alii perperam tradunt, anno MCCLXVI. quod si verum est, non potuisset S. Regi Malcolmo innotuisse. Scotichronicon lib. X. cap. XXII.

AMKEMBALDUS. 89.

AMKEMBALDUS, regulari observantia apud suos clarissimus, monachus Benedictinus in celebri monasterio Dumfermelini,

ac deinde ejusdem loci abbas, scripsit

De utroque Adam lib. I.
Mysteria Passionis Christi lib. I.
De B. Dei Matre lib. I.

Obiit anno MCXCVIII. Scotichronicon lib. VIII. cap. LIX.

ALCUINUS. 90.

ALCUINUS consanguineus S. Alcuini, qui praeceptor Caroli Magni academiam Parisiensem fundaverat, et, ut falso creditur, in Melrosiensi coenobio indutus, postea S. Crucis abbas factus, sancte pieque se gessit, sed brevi tempore monasterio praefuit. Nam "rerum coelestium contemplatione abreptus, curae renunciavit," inquit Scotichronicon lib. V. cap. XLIII. Scripsit

Homilias pias lib. I.
Epistolas ad diversos lib. I.

Curae renunciavit anno MCXLI.

S. ALMUS. 91.

S. ALMUS Cisterciensis, sive Bernardinus, S. Benedicti regulam professus, primus abbas in celebratissimo coenobio quod Emergarda regina, Regis Wilhelmi uxor, et Regis Alexandri mater, fundaverat, quod a nomine ipsius Almurenoch diu vocatum, postea corrupta voce Balmurenoch coepit vocari, vir fuit sine controversia sua aetate doctissimus et pientissimus, ideo vocatus e Melrosiensi coenobio, ipso die S. Luciae suscepit novi monasterii curam. Scripsit

De Perfectione Religiosa lib. I.
Acta Reginae Emergardae lib. I. Fuit haec filia comitis de Bellomonte, qui erat filius senioris filiae Wilhelmi Normani regis.

Abbas creatus est anno MCCXXIX. Hect. Boeth. lib. XIII. cap. X. Obiit anno MCCLXX. Acta illius monasterii.

JOANNES ALDARUS. 92.

JOANNES Aldarus, cujus nudum nomen ad me devenit, historiis patriis curam impendit. Scripsit

De Scotis et Hibernis lib. I.

Vixit anno MXLI.

THOMAS AUGUSTINUS. 93.

THOMAS Augustinus, Turraviensis scholae insignis doctor, inter eminentissimos sui seculi homines jure numerandus, quadraginta paene annis incredibili labore juventutem sibi commissam erudivit. Graece, Latine, et Hebraice doctissimus, antiquarius incomparabilis, scripsit

Quorundam Auctorum Versiones e Graeco in Latinum lib. I.

Poemata Graeca lib. I.

Orationes Graece Latineque lib. I.

Observationes in Septuaginta lib. I.

Praeludia Rhetorica lib. I.

Obiit in laborioso exercitio anno MDXCII.

THOMAS AUGUSTINUS. 94.

THOMAS Augustinus Turraviensis, superioris filius, nec patre tanto indignus, amoenissimo ingenio adolescens, quarumlibet bonarum artium capax, patriam pietatis discendae studio reliquit, in hoc patri quam simillimus, qui nullis unquam muneribus aut terrore adduci potuit, ut a religione Catholica tantillum discederet. Igitur Thomas societatem Jesu Romae ingressus, multa probae indolis indicia praematura et acerba morte raptus reliquit. Scripsit multa, ut in illa aetate: in his,

Epigrammata sacra lib. I.

Elegias sacras lib. I. quibus ornabatur nobilitatis illud ac pietatis Lyceum, seminarium Romanum.

Deplorationem Scotiae lib. I.

Obiit in tentamento seu novitiatu, ut vocant, ejusdem societatis anno MDXCIX. nec sine pietatis opinione.

ANONYMUS POETA. 95.

ET hic anonymus quidam Scotus, poeta haudquaquam ignobilis, S. Galli monachus in Helvetiis, putatur Hartmannus, ut suo loco infra dicetur. Erat hic Columbani discipulus, ut ipse agnoscit:

Inde Columbanus, noster pater atque magister,
Alpibus excursis aeriisque viis,
Hic aderit praesens.

Scripta ejus nuper Henricus Canisius, v. c. publicavit.

Florebat circa annum DCCCCXCIX. nam interregni inter Henricum II. imperatorem et Conradi II. principatum meminit, sedente Romae Joanne XIX.

S. ALFREDUS. 96.

S. ALFREDUS, filius spurius Oswii regis Nordanymbrorum, ab Egfrido fratre pulsus in Scotiam venit, ibique exul multis annis egit; exstincto fratre rex coronatus, pluris fecit religiosam vitam regno, et in Scotiam regressus, monachum Melrosiae induit, communi eo seculo literarum emporio, Anglis Hibernisque cum fructu aperto. Fuit literatus, et literatorum hominum Maecenas optimus, ut Beda loquitur. [Scripsit]

Epistolas ad Colomannum et suos lib. I.
Ad Adamanum Coludium lib. I.
Ad Hildam Abbatissam epist. I.

Obiit Drisfeldiae, anno DCCV. Colitur XXIII. Julii.

APOCRISIARIUS. 97.

APOCRISIARIUS quidam Benedictinus concilio Perthi habito sub Jacobo S. Victoris canonico, per Scotiam et Hiberniam legato apostolico, interfuit, Scotichronicon lib. IX. cap. XXXVII.

et diligenter eloquentique stylo scripsit

Acta Synodi Perthanae lib. I.

Floruit anno MCCXXI. Sic dictus quod nomine pontificum aut episcoporum in conciliis responderet, ἀπὸ τοῦ ἀποκρίνεσθαι, docte Lancelottus et alii, ad cap. significasti de elect. in jure canonico. S. Isidorus in Glossis: "Apocrysarius, minister Romanae ecclesiae."

ANONYMUS POETA. 98.

HAERETICORUM, quorum ut contra regem nuper detecta fuerat rebellio, et furentium proditio, ita pridem manifesta in Deum impietas, caedem solenni S. Bartholomaei festo anni MDLXX. Lutetiae et alibi in Gallia factam, anonymus quidam poeta Scotus paulo quam par fuit acerbius, mordaci sed admodum eleganti, et affectuum plenissimo carmine, perstrinxit, titulo *Furiae Francicae.* Principium arguit auctorem exulcerato parumque aequo in regem, reginam, Guisiosque fuisse animo, necnon a fide Catholica alieno, quamvis occisos etiam Catholicos deflere velle videatur.

Impie rex, mater truculenta, invisaque coelo,
Guisiadum soboles.

ANONYMUS POETA. 99.

QUO tempore in Anglia, luctuoso Christiano orbi exemplo, Maria Stuarta, Scotorum regina, haereticorum ad libidinem est immolata, tam funestum ecclesiae Romanae regnique Scotici casum ingenia pleraque illius aevi deploravere. Sed eminuit anonymus quidam Scotus, sub titulo,

Deploratio indigni Funeris Mariae Scotorum Reginae, lib. I.

Auctor ille, sive Jacobus Cadanus, sive Adamus Blacvodaeus, sive Georgius Critonius, (cujus sunt elegantissimi versus subscripti imagini, qua tota ejusdem reginae martyrii tragoedia repraesentatur et exprimitur,) Scotorum rebellium furores, clandestinos Germanorum haereticorum conatus, foedifragam et sublectam Elizabethae spuriae Anglicanae impietatem ob oculos non sine commiseratione et indignatione ponit. Initium carminis:

Iesabel, hospitii violato jure, scelestis
Reginam manibus cognatam sustulit.

Hortatur etiam Europae principes, ut dignam tantae et tam sanctae feminae manibus ultionem praestent, nec augurium fefel-

lisset, nisi tam longe pontifex abfuisset, turbae in Galliis religionis obtentu, immatura filii aetas, et infidus haereticorum subditorum animus, ducis Guisii Blesis mors inopinata, ad ultimum Hispanica classis tempestate disjecta, tam sancti propositi tenorem interrupissent. Scribebat anno MDLXXXVII.

ANONYMUS CRITICUS. 100.

REDEUNTIBUS literis, et veluti recidiva luce post tam atrocem barbariem gaudentibus Musis, anonymus Scotus in bibliotheca regis Magnae Britanniae e Graeco idiomate Latina fecit

Constantini Geoponica lib. I. anno MCCCCLI. ut codex ipse praefert.

ANONYMUS HISTORICUS. 101.

REGINA Scotiae Maria in Anglia functa, anonymus quidam Scotus, (is fuit Adamus Blacvodaeus,) pietatis ac patriae amans, Gallice scripsit

Historiam et Martyrium Reginae Scotiae, Dotalis Franciae, et proximae Haeredis Angliae, lib. I. " Proditiones Elizabethae Anglicanae in eam, quo facile apparent mendacia, calumniae, falsaeque accusationes innocenti principi objectae." Haec docte ibi, et religiose. Ad haec,

Liber de Morte ejusdem, complexus Anglorum tyrannidem, regiam suae majestatis constantiam, virtutes, vitae actus, ultima verba, et truculentam proditionem haereticorum. Prodiit opus anno MDLXXXIX.

ANONYMUS POLITICUS. 102.

PATRUM nostrorum memoria anonymus ex omnibus philosophorum scriptis collegit, ediditque,

Educationem et Institutionem tenelli Principis lib. I.

Quod opus MS. asservatur in bibliotheca regis Magnae Britanniae. Ubi, aut quando scriptum, ex codice illo non facile percipies; quia tamen Gallice maluit, quam Latine, suspicor alicui viro principi Gallo auctorem dicasse, a non adeo longo tempore, cujus ipse educator esset, ut sunt in Galliis illius farinae plerique. Animadverto illum ad Quintiliani et Marulli Tarchaniotae praecepta principem suum informare.

ANONYMUS POETA. 103.

In eadem bibliotheca asservatur MS. anonymi cujusdam Scoti elegans epicum poema,

Genethliacon Principis Alexandri Julii lib. I. anno MDLI.

ANONYMUS GEOGRAPHUS. 104.

Denique in eadem bibliotheca anonymi Scoti servatur codex MS. sub titulo, Geographiae Epitome, lib. I.

Auctor quisquis fuit, opus sane Reginae Mariae, dum in Galliis ageret, praesens obtulit, indeque in Scotiam translatus, anno MDL.

ANONYMUS THEOLOGUS. 105.

Dum fatalis illa mutandae religionis avitae clades, et haereseos Anglia illatae procella longe lateque detonaret in Scotia, multum se tanto furori pii doctique viri opposuerunt. In his anonymus Scotus, nonnulli Jacobum Tyrium auctorem faciunt, luculento et erudito stylo edidit Historiam Ecclesiae Scotiae lib. I. anno MDLXXV.

ANONYMUS HISTORICUS. 106.

Comes Gauriae cum Alexandro Ruthveno fratre, post peregrinationem Gallicam Italicamque, in Scotiam rediit, habito clanculum cum Elizabetha Angliae regina colloquio. Is nefarium trucidandi regis consilium iniit, sed destinatis divina providentia excusso illo, et regi incolumitas constitit, et capitale supplicium de proditoribus sumptum. Hujus rei ut gesta erat historiam anonymus contexit sub elogio, *Ruthvenorum Conjuratio* lib. I. anno MDCI.

ANONYMUS AUCTOR ANTONINI ITINERARII. 107.

Itinerarium quod Antonini Augusti nomine circumfertur, utile sane et pervetustum opus, non esse illius principis multa convin-

cunt, sed illud maxime, quod recentia quaedam nomina, post mortem demum Antonini recepta, in eo legantur. Theodorus Marcilius, professor nuper Lutetiae, non unius opus, sed miscellum putavit; doctiores plerique non Antonini quidem, sed alterius anonymi docti et antiqui scriptoris. Ego illum non conjecturis, sed certa MS. codicis fide deprehendi Scotum esse. Codex iste est apud CL. V. D. Pavillonum, advocatum Parisiensem, in membrana proba manu, exquisito charactere, oblonga forma, miniatis pulcherrimis et vividis coloribus capitalibus elementis: ibi habetur eadem, qua reliqua, manu, "Cosmographia Scoti lib. I." Ea est Notitia utriusque Imperii, ut suo loco fusius. Tum in fine, eadem manu, delineatis perbelle literis, "Sequitur Itinerarium Scoti lib. I." quasi utrumque opus esset opus auctoris ejusdem; quod in patriae meae decus vir ille literatissimus mihi ostendit, et ego volens libensque posteris dono.

Floruisse videtur anno sal. CCCCXL. qua tempestate multi nostrates exulabant, ut regem suum secuti in Italiam fuerant, ibique rege domum regresso, sedem fortunarum suarum fixerant, ut hoc opere ex nomenclatura eruditorum lector probabili conjectura assentietur. Quis ille fuerit, tam anxie quaerere vanum, quam scire inutile, et ego pergo.

ARTVILLUS. 108.

ARTVILLUS, nobilissimo loco apud suos natus, reguli cujusdam sive thani filius, non leve patriae ornamentum, Guiliel. Malmesburien. patria excedens Angliam petiit, non sine suspicione aliqua perduellii; conscius enim putabatur caedis Spontanae reginae, quam Atholici fratres pro Eugenio VII. rege ipso gravidam confecerunt; verum de eo, ut est in S. C. non liquet. Ejus sunt, quae extant:

De Rebus Mathematicis	lib. I.
Ad Adhelnum Episcopum	lib. I.

Vivebat anno DCCX. regnante domi Eugenio VII. sedente Romae Gregorio II. Leslaeus.

ALEXANDER ALESIUS. 109.

ALEXANDER Alesius, patria pulsus, puto ob haeresim, clarum sibi ab eruditione nomen in Germania acquisivit, meliorem fi-

dem foris amplexus. Ejus sunt, teste Bibliotheca Germanica:

De Authoritate Verbi Dei adversus [Episcopum] Lundensem, Friderico Duci Saxoniae,	lib. I.
Commentaria in D. Joannis Evang.	lib. I.
De Missa, et Coena Domini, Lipsiae,	lib. I.
Expositio Psalmorum	lib. I.
Responsio adversus Ruardum Tapperum	lib. I.

Et alia in Bibliotheca Classica, quibus liquet non indoctum fuisse.

Pulsus est Scotia anno MDXL. obiit vero aetatis suae anno LXXIII. in academia Lipsiensi XVII. Martii, XXV. anno sui exilii, id est, anno MDLXV. ut observat Aelius Reusnerus in Indice Chronologico. Dicitur eximio inibi honestatus epitaphio, sed nos alio hic orbe ignari talium vivimus.

ROBERTUS ARCHIBALDUS. 110.

ROBERTUS Archibaldus, domo Sanctandreanus, Lutetianus philosophiae professor, ubi magno auditorum concursu celeberrimus, si quisquam alius, scripsit, quod ad manus meas devenerit,

De Origine Philosophiae	lib. I.
De Dignitate Philosophiae	lib. I.
De Partibus Philosophiae	lib. I.

Docere incepit anno MDLXXVII. ut testantur acta MSS. nationis Germanicae ibidem loci ad DD. Cosmi et Damiani asservata.

ADAMUS ABRENETHAEUS. 111.

ADAMUS Abrenethaeus Edimburgensis, Graece Latineque ad invidiam sui seculi doctus, philosophicis juxta ac humanioribus literis cumulate instructus, magna ingenii claritudine, sed infelici sorte philosophiam est professus Nemausi Arecomicorum in Volcis, socius etiam meorum inibi laborum, et comes candidus cujuscunque fortunae, exinde Lyceo Monspelii praepositus, doctorali in medicina laurea donatus. Ejus haec ad manus meas venerunt:

Triumphus Britanniae, versu et prosa,	lib. I.

Musa campestris	lib. I.
Thymiamata Musarum	lib. I.
Psychologia Medica et Philosophica	lib. I.
Seria mixta jocis, Parisiis,	lib. I.
Deambulatio Metaphysica, Lugduni,	lib. I.
Stirpis Borboniae Felicitas	lib. I.

Vivit adhuc, et plura molitur: utinam sincere fidei orthodoxae cultor.

ROBERTUS AITONUS. 112.

ROBERTUS Aitonus, nobili loco natus, summa eloquentia, incomparabili morum suavitate ac modestia, diu in Galliis bonas artes excoluit, et praeclarum suae virtutis specimen nomenque reliquit: tandem redux, eques auratus renunciatus augustissimae Magnae Britanniae reginae a secretis, ea se moderatione gessit et prudentia, ut cum magna esset in aula consecutus, majora eum omnes mereri faterentur. Ejus sunt stylo omnia tersissimo raraque inventionis felicitate.

Poemata Graeca	lib. I.
Poemata Latina	lib. I.
Poemata Scotica	lib. I.
Poemata Gallica	lib. I.

Vivit hodie in aula Britannica, sed quasi in Parnasso aut Cyrrha.

ANDREAS AIDAEUS. 113.

ANDREAS Aidaeus Aberdonensis, commilito olim meus, sed ab impubertate non visus, in Germania, Dantisci, ut audio, et Belgio bonas artes exercuit cum laude, Kekermanni illius clarissimi successor. Ejus sunt:

Commentaria in libros Aristotelis ad Nicomachum	lib. I.
Eclogae decem, exemplo et mimesi Virgiliana.	
Genethliacon Principis Palatini, Heydelbergae,	lib. I.

Vivit adhuc, et multa, ut ferunt, ab eo ingenii monumenta promittuntur.

JACOBUS ANNANDAEUS. 114.

JACOBUS Annandaeus Aberdonensis, patria relicta, Parisios concessit, ubi celebri sui gentisque fama humaniores primum literas, mox et philosophiam est professus. Edidit

In Ethicae Aristotelicae Synopsim	lib. I.
De Politia Civili	lib. I.

Profitebatur anno MDLXXVI.

PATRICIUS ANDERSONUS. 115.

PATRICIUS Andersonus Rossensis tenella admodum aetate, evocante avunculo, Scotici Norimbergae coenobii abbate, suis relictis, in Belgium venit, Lovanii sedulam bonis artibus operam navaturus: moribus innocens ac fide integer, peregrinatus est Romam, ubi in societatem Jesu admissus paucos in mathematicis aut S. theologia pares hoc seculo habet, superiorem nullum. Scripsit, ut audio, sed non edidit,

In Mechanicis multa	lib. I.
In Opticis multa	lib. I.
De Sanctis Scotis, grave et serium opus,	lib. I.
De Blasphemia Ministrorum	lib. I.
De Veritate Ecclesiae	lib. III.
De Patriae suae Statu, Hispanice,	lib. I.

Vivit adhuc in Galliis, et religiosis votis patriae suae defectionem a fide deplorat, et scriptis castigat; audio carceri ab haereticis mancipatum, et constanter agere. Rumor nunc est obiisse.

ALEXANDER ANDERSONUS. 116.

ALEXANDER Andersonus Aberdonensis liberalia Parisiis studia excoluit munificentia CL. v. Domini Beaulieu, status Gallici ut vocant secretarii, cujus testamenti tabulis etiam honoratus legata percepit; vir vivacis ingenii, ac summa diligentia, cui mathe-

matico praestantissimo Petronii novam editionem inscripsit Joannes Bourdelotius. Edidit

Apollonium Pergaeum Redivivum	lib. I.
Apollonii Redivivi Supplementum	lib. I.
Ad Angularum Sectionum Analyticen Theoremata καθολικώτερα	lib. I.
Aetiologiam	lib. I.

Vivit adhuc Lutetiae, et plura indies posteris juvandis procudit. Nuper v. CL. Henricus Savilius eques Oxoniae professionem mathematicam instituit septingentis aureis dotatam, memorabili sane exemplo, ut sint omnia in homine illo rara. Dignus ei visus Alexander Andersonus unicus, qui tantum dignitatis subeat, sitque primus matheseos in regno Anglicano, bono omine, professor.

GULIELMUS ALEXANDER. 117.

GULIELMUS Alexander, vir nobilis et eruditus, nuper equestri dignitate ornatus, magister etiam libellorum supplicum pro regno Scotiae, multa suavi stylo et melliflua vena edidit, sed ad me haec tantum venerunt vernacula lingua conscripta:

Tragoediae VII.	lib. I.
Comparatio Henrici IV. Galliarum Regis, et Julii Caesaris,	lib. I.
Horae XXIV. de Mundi Creatione	lib. I.
Poemata varia	lib. I.
Continuatio Arcadiae Sidnaei	lib. I.

Vivit adhuc, et in aulico strepitu Musas secessu jucundissimo colit.

JOANNES ADAMSONUS. 118.

JOANNES Adamsonus Sanctandreanus, inibi philosophiae professor, etiamnum hodie celebris, edidit multa, sed ego tantum vidi

Collectionem Poematum variorum in Regis adventum lib. I.

HENRICUS ANDERSONUS. 119.
ADAMUS ANDERSONUS. 120.
GULIELMUS ARESKINUS. 121.

ET hi viri, clari, si abdicata haeresi fidem amplecti voluissent, regis accessum ad Scotos poematiis suis extulerunt, libro a Jo. Adamsono nuper edito; de quo quid aliud dicam, nisi librum esse?

HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

LIBER II.

S. BALDREDUS. 122.

De S. Baldredo, episcopo Glascuensi, S. Kentigerni successore, verba Hectoris Boethii ex lib. IX. Hist. Scot. apponam. " Divus Baldredus, Scotus genere, Pictorum doctor, qui ubi Pictos recta fide pio instituisset sudore, in Bassa (arcis est nomen in Laudonia, loci natura omnium munitissimae, scopulo altissimo amplius duobus passuum millibus a continenti, undique mari cincto, sitae) vita defungitur; quumque trium parochiarum viri, Aldhamae, Tinnigamae, et Preston, pro efferendo funere decertarent, omnibus, ut tam sancto pignore honestarentur, contendentibus, spectaretque res prope ad injuriam, placuit omnium consensu sequentem noctem piis assistentes precationibus sacras agere vigilias, postridie quod loci pontifex (is tum forte illuc, ut sacrae supplicationi adesset, venerat) in re faciundum diceret, absque lite exequerentur. Exacta nocte tres capuli, tribus cum corporibus, vestimentis sacris decenter ornati, nullo inter se magnitudine, aut colore, aut alio quovis discrimine, a sacerdotibus sub dubiam lucem inventi, jubente episcopo, piis ac laetis populi acclamationibus ad tria vicina templa sunt delati; ubi idem funus divina opera tribus in locis celebri pompa, honestisque sarcophagis conditum, hoc nostro aevo a religioso populo piis votis honoratur." Quod eo lubentius retuli, quo jure mirari lubeat nullam de tam sancto viro in Martyrologiis factam mentionem. Meminit Jo. Leslaeus lib. IV. Hist. Scot. pag. CLII. et Joan. Fordunus MS. in Hist. Scot. lib. VII. asservatus Cantabrigiae in Collegio D. Benedicti, qui asserit eum scripsisse quaedam, et inter ea

De Scoticae Ecclesiae Statu lib. I.

Vivere desiit anno DCVI. Colitur die VI. Martii. Breviar. Scotic.

S. BATHENUS. 123.

De eo etiam ejusdem H. Boethii narrationem audiamus lib. IX. Hist. Scot. pag. CLXVII. " Venere cum eo (S. Columba) in Albionem viri duodecim Christi dogmate insigniter imbuti, sed magis longe sanctissimis decorati moribus, Bathenus et Cominus, qui post Columbae exitum monachorum claustris praefecti inter Scotos haud mediocre Christi ecclesiae decus attulere." Nec plura alibi de eo memini legere, nisi apud Notkerum Balbulum in Martyrologio, qui v. idus Junii Batthenaeum vocat, ut et S. Adamannus Scotus lib. I. Vitae S. Columbae cap. XII. lib. II. cap. XIII. lib. III. cap. XXII. et cap. XXX. ubi Baiphenaeus dicitur. Arnoldus Uvion lib. III. Ligni Vitae pag. CCCCXII. Batpherium vocat. Scripsisse fertur eleganti stylo,

Acta Columbae magistri	lib. I.
De Monasticae Vitae Laude	lib. III.
Enchiridion Precum	lib. I.

Florebat anno DCVI. sub piissimo rege Conuallo, Petri cathedram Romae tenentibus Bonifaciis III. et IV. Joan. Leslaeus lib. IV. Hist. Scotic. pag. CLII. Colitur v. Junii. Notkerus Balbulus in Martyrol.

S. BEANUS. 124.

S. Beanus Murthlacensis in Scotia primus antistes, quae sedes Aberdoniam postea translata, quod locum priorem Dani delevissent. H. Boethius lib. XI. Hist. Scotic. pag. CCXXXXV.. " Murthlaci sacrum magistratum omnium primus gessit Beanus, vir pietate et eruditione insignis, inter divos, sed aliquot post annos, relatus." Eum Usuardi Martyrologio adjecit ex codice vetere manuscripto Joannes Molanus, atque ita memoriam ejus celebrat Martyrologium Romanum ad diem XVI. Decembris: "Aberdoniae in Hibernia S. Beani episcopi." Duplex compilatoris error; nam neque Aberdoniae civitas in Hibernia, sed in Scotia, portu maris commodo, et academia celebratissima. Notat Philippus Ferrarius Alexandrinus, mathematicus, ordinis Servorum generalis, in Topographia ad Martyrologium Romanum. Neque ille Aberdoniae

episcopus, sed Murthlaci habendus, nondum enim usque ad S. Davidis regis tempora episcopatus Murthlaco Aberdoniam translatus; et tamen eundem errorem in Martyrologio suo transcripsit Petrus Galesinius, protonotarius apostolicus. Scripsit

Documenta Fidei lib. I.
Evangelii Narrationes lib. I.
Epistolas ad diversos lib. I.

Claruit anno MXL. sub optimo rege Malcolmo II. Latius egi in successione ecclesiae Aberdonensis.

S. BERTINUS. 125.

S. BERTINUS, abbas Scotus. Theodoricus abbas S. Trudonis in Vita S. Rumoldi: "Novit hoc alter pene orbis Britannia, cum adjacente Scotia, qui statim ut ab illius aeternitatis sole tacti sunt, illi sub umbra ejus, quem desiderabant, requiescere, isti ad ardorem usque martyrii festinaverunt incalescere, et stridentia anhelantiaque verba in dulce crucis melos didicerunt infringere. Unde autem hoc tam late diffusum germinarium, nisi quia in eorum cordibus coaluerunt Jesu Christi amor et desiderium? Assentit in hoc Herbipolis, gloriosa martyris Kiliani meritis et corpore, nec minus prona sanctorum Scotorum talium, et tantorum patrum veneratione: Columbanus Italiam, Bertinus et Winocus illustrant occidentalem Galliam." Vitam hujus scripsit Folchardus monachus Bertinensis, et retulit Surius die V. Septembris, tom. V. Sed nec patriae ille, nec parentum mentionem facit. Anonymus apud eundem, die IX. Septembris, in Vita S. Audomari cap. XIX. eum monasterio Sithiensi ab eodem Audomaro praepositum scribit. Anonymus alter in vita S. Winoci apud Surium tom. VI. die VI. Novembris plene laudat. "In Morinorum seu Tarranensium regione Beatus Bertinus in ornamento ecclesiae Dei erat lapis pretiosus. In Sithin monasterio merito et officio abbas, hic sanctitatis suae aromata longe lateque spiraverat." Trithem. lib. III. de Vir. illustr. Ordin. S. Benedicti cap. CV.

De exacta regulae S. Bertini observatione, D. Bernardi praeclara extant encomia epistolis CXLI. CXLII. CXLIII. CXLIV. Recolitur

sancta ejus memoria die v. Septembr. Martyrolog. Roman. " Monasterio Sithin S. Bertini abbatis." Petrus Galesin. " In pago Tervanensi S. Bertini abbatis, rerum admirabilium, et vitae coelestibus virtutibus excultae gloria clari." Franc. Maurolyc. eodem die. " Apud Belgas in Frude fluvio natale S. Bertini abbatis." Joan. Molanus in Ind. Sanctorum Belgii, et Addit. ad Martyrologium Usuardi. Vide locum, est enim insigni elogio plenus. Scripsit

Regulam strictissimam Fratribus lib. I.
Meditationes lib. I.

Obiit anno DCXCVIII.

S. BABILA. 126.

S. BABILA, virgo Ursulana, regis Siciliae ex S. Geresina regina filia. Vide lib. I. in S. *Adrianus*, et lib. VII. lib. XII. lib. XIX. Haec, ut sorores, non tam Scota ortu quam Scotae filia. Petrus lib. IX. cap. LXXXVII. Ecclesiae Coloniensis acta, Petrus Cratepolius in illius archiepiscopatus successione, Joannes Gualterius in Chronico Chronicorum pag. MCCLIX.

Passa est anno CDLIV. Colitur die XXI. Octobr.

S. BOISILUS ABBAS. 127.

S. BOISILUS, abbas Mailrosensis, " sublimium virtutum monachus et sacerdos," ait Beda in Vita S. Cuthberti cap. VI. Fama sanctitatis suae sparsa effecit, ut idem ille S. Cuthbertus se ei in disciplinam traderet, ut ibidem loci habetur. Idem famulus Dei moriturus illum jam monasticae vitae tirocinio decurso sanctissime agentem, salubribus monitis informat, et totius vitae sigillatim admonet, cap. VIII. Hoc ei magnificum affingit elogium in eadem vita cap. XXII. " Venerabilis, et cum omni honorificentia nominandus servus Christi Boisilus, qui me in Mailrosensi monasterio (verba ipsius sunt Cuthberti) quondam senex adolescentem nutriebat, et inter enutriendum cuncta, quae mihi erant ventura, prophetica veritate praedixit." Scripsit

De Fide quae per Charitatem operatur lib. I.
In Evangelium Joannis lib. I.

Meditationes lib. I.
De Trinitate Excerpta ex D. Augustino et aliis lib. I.

Obiit anno DCXLIII. sanctus habitus. Uvion lib. III. Ligni Vitae pag. CCCCXII. Meminit et Trithemius lib. III. cap. CXXVI. Quam sceleste Angli suum faciant, viderint, cum Melrosia semper in Scotia fuerit.

S. BEDA M. 128.

BEDAM Venerabilem etsi omnes Anglum faciant, reperio tamen eum nec Anglum domo nec Scotum, sed in Scotia diu vixisse, in Anglia diem suum, ubi omnia sua opera elaboraverat, supremum obiisse. H. Boeth. lib. IX. Histor. Scot. pag. CLXXXI. " Italia cum Albione pro Bedae incunabulis contendit, asserentibus Italis virum Genuae natum, ibidemque ultimam solvisse necessitatem, contra vulgarem doctorum sententiam, sepulchrumque ejus in rei fidem hactenus eadem in civitate cunctis haberi venerabile; verum undecunque traxerit originem, et ubicunque diem clauserit, satis constat ex ejus et aliorum scriptis adolescentem eum in Italia, senem in Northumbria, frequentius inter piorum coetum Melros (abbatiae monachorumque coenobii id nomen in Scotorum agro, pientissimis viris, et religioni semper devotis, insignis) habitasse diversatumque esse, extinctum vero Ethfino Scotorum rege administrante." Et ne solus ille hoc affirmasse censeatur, concors est Raphael Maphaeus nobilis Volaterranus, non sine sanctitatis opinione: is lib. XIV. Commentar. pagina CCCCXVIII. hoc ait: " Depositum Bedae Genuae visitur;" et ideo nomen gentis Antonius Coccius Sabellicus non adjecit, cum eum laudaret Ennead. VIII. lib. VII. pag. DLVIII. et Gulielmus Malmesburiensis, et Gulielmus Westmonasteriensis pag. XI. fatentur eum prope Scotiam natum. Sunt tamen qui scribunt duos eodem nomine Bedas, ordinis etiam S. Benedicti, literis et sanctitate in diversis Europae partibus claruisse, et hunc quidem Britanniam illustrasse, illum vero Liguriae esse decus, a Carolo Magno accitum, ut ex vita ejus patet ex libro vetusto monasterii S. Benigni prope Genuam, cujus memoria recolitur X. Aprilis. Arnold. Uvion lib. III. Lign. Vitae pag. CXXXI. Erroris origo inde proflu-

xit, quod multa opera sub eodem titulo uterque composuerit, ut ex vita illa laudata liquet. Et noster quidem scripsit innumera, quae apud Sabellicum et Volaterranum locis dictis videantur, publicata vero uno tempore fuerunt, ut ex Polydoro Virgilio libr. IV. Hist. Anglic. colligitur, extabantque in Maia. Index loci.

[Historia] Ecclesiastica Gentis Anglorum	lib. V.
In Acta Apostolorum	lib. I.
In Evangelium Marci	lib. I.
De Temporibus	lib. I.
Homiliae	lib. I.
In VII. Epistolas Canonicas	lib. I.
In Apocalypsim	lib. III.
In Genesim	lib. I.
In VII. libros Regum	lib. I.

Ista vero manuscripta extant Oxonii et Cantabrigiae:

In Exodum a cap. XXIV. ad XXX.	
De Templo Salomonis	lib. I.
De Figura Utensilium, Vasorum, et Vestium,	lib. I.
In Evangelium Lucae	lib. VI.
Retractationes in Acta Apostolorum	lib. I.
Collectanea ex S. Augustino.	

Vide plura apud Joannem Pitsaeum aetate VIII.

Obiit anno aetatis secundum quosdam LXXII. aliis usque ad XCIV. annum eum vixisse testantibus, quod probabilius. Nec minor in anni supputatione difficultas. Sigebertus refert in annum DCCXXXI. falso sane. Auctor vitae ipsius quae scriptis praeponitur, anno DCCXXXIV. sed verius est vixisse eum ad annum salut. DCCLXVI. ut erudite colligit Caesar Baronius tom. IX. Annal. pag. CVI. et ad XXVII. Maii in Martyrologio Romano, quo die ejus commemorationem ecclesia celebrat.

S. BERTUINUS. 129.

De S. Bertuino unicum sufficiet Sigeberti Gemblacensis encomium. "Praeter hos, et alii multi de Anglia, vel Scotia in Angliis peregrinantes, verbum Dei seminabant, multumque fructum

Deo faciebant, scilicet Etto, Bertuinus, Eloquius." Scripta interierunt.

Peregrinabatur anno DCLI. Sigebert. Sanctorum albo ascriptus colitur die XI. Novembris. Molanus ad Martyrologium Usuardi.

S. BONIFACIUS. 130.

S. BONIFACIUS Scotus. Trithem. lib. II. de Vir. illust. Ord. S. Benedicti cap. XXIV. "Bonifacius ex monacho primus archiepiscopus Moguntinus natione Scotus." Et lib. III. cap. CLXI. "Bonifacium Scotum ad sedem Moguntinensem ordinavit Gregorius papa. Bonifacium e Britannia venientem episcopum consecrat." Et ad ann. DCCXLV. antea: "Winfridus dictus Frisiorum apostolus, coenobii Fuldensis fundator, et primus Moguntiae archiepiscopus." Sigebert. Gemblacen. ad annum DCCXVII. "Idem archiepiscopus Moguntiae coenobium Fuldense in Bocconia sylva fundat." Denique ad annum salut. DCCLIII. "Bonifacius in Frisia ab inimicis fidei cum sociis suis martyrizatur, et in Fulda coenobio, quod ipse in Thoringia fundavit, honorifice tumulabatur," legati a latere officio functus. Anton. Possevin. tom. I. Appar. Sacri pag. CCXLIX.

Sigebertus, ut dictum est, Britannum facit, et ut Raphael Maphaeus Volaterran. lib. XIV. pag. CCCCXX. et plerique alii; quare Angli, ut solent, civem suum faciunt usque adeo, ut in Martyrologio Romano die V. Junii dicatur ex Anglia venisse; ibi enim educatus, non natus, nam Scotum faciunt historici nostrates, et praeterea Wilhelmus Heda, Jo. a Beca, Anton. Possevinus, vir pius, et polyhistor, tom. I. Appar. Sacri pag. CCCLXIII. Hieron. Platus lib. II. Stat. Relig. cap. XXX. "Bonifacius Germaniae apostolus, patria Scotus." Eucharius Sangius, Wirceburgensis suffraganeus, Oratione de Translatione B. Macharii sic evincit: "Macharius oriundus Scotia, non postrema, sed nobili admodum Magnae Britanniae parte, qui, Victore pontifice maximo ad clavum sedente, ut Annales habent Ecclesiastici, et constans majorum traditio, anno supra ducentesimum tertio, Christiana sacra suscepit." Paulo post, facta cum aliis regnis comparatione, addit: "Citra jactantiam inanem de Scotia affirmare possumus, matrem tum sanctissimorum, tum doctissimorum virorum fuisse foecundissimam. Testis S. Bonifacius, universae fere Germaniae

apostolus; testis S. Columannus, qui eandem evangelii disseminandi causam obiens, innumeris vigiliis et laboribus perfunctus, postremo martyrii palmam adeptus est; testis est Chilianus primus fidei Christianae praeco in hac Franconia nostra, quae sanctissimo semel ipsius conspersa et irrigata cruore, foecunda et fertilis est reddita; testis denique, sexcentis aliis relictis, Macharius noster, qui gloriam fugiens, carae oblitus patriae suae in ipsam gloriam incurrit." Verum quid opus pluribus, cum libro jam ante quinquennium edito novem rationibus firmissimis probarim Anglum non fuisse, sed Scotum, ex S. Mariano, et XX. aliis? et quid? nonne SS. ibi pontifices maximi, nonne ipse Bonifacius se Scotum scribit? ut omittam, nec R. P. Coffenum, nec ullum pro eo adhuc ei libro respondisse, cum tamen jactatum fuerit, ante mensem non defuturum responsum. Metellus Tergersensis in Quirinalibus, vetus sane poeta:

Recitantur super hac re sua scripta,
Data quondam tibi, praesul Bonifaci, Scote, martyr.

Nobilissimo ortus genere dedit se Mailroso sive Melroso coenobio D. Benedicti institutis formandum, et quadraginta annis totis peregrinatus, martyrio coronatus cum LII. sociis monachis, ut refert Arnold. Uvion lib. II. Ligni Vit. pag. CCLII. Laudavere passim ecclesiastici auctores, monachus Egolismensis, quem sibi Rhegino Prumiensis proposuit edendum, edidit Pithoeus in Vita Caroli Magni pag. CCXXXVIII. "Sanctae memoriae Bonifacius martyr." Rabanus Maurus in Poematis nuper a Christophoro Browero editis, num. XX.

Non minus exultans celebrat Germania laudes,
Et Bonifacii opus martyris almificum.
Ordinat hunc Roma, mittitque Britannia mater
Doctorem populis hoc decus ecclesiae.

Franciscus Maurolycus abbas [scribit] eum Pipinum Galliae regem unxisse, Martyr. die V. Junii. Sed nihil simile in aliis. Vide Flandriae [scriptores.] Petr. Cratepol. de Episcop. German. Cornelius Kempius Doconiensis lib. III. de Origin. Frisiorum cap. XXI. XXII. XXIII. Hadrian. Barland. Gerard. Noviomagus de Episcop. Trajectin. Anton. Democharis tom. II. de Miss. Sacrif. cap. XXXIV. ab aliis dissentit, qui XVII. Trajecti antistitem facit, cum aliis sit II. Apostolatum poeta anonymus sic celebrat:

Quin se relligio multum debere Britannis
Servata, et late mundo dispersa fatetur.
Quis nomen, Winfride, tuum, quis munera nescit?
Te duce, Germanis pietas severa, fidesque
Insinuans coepit ritus abolere profanos.

Haec vero habentur scripta ab eo:

Contra Haereticos lib. I. MS. Fuldae. Uvion lib. III. Lign. Vitae pag. DCLXXXVIII.	
Pro Rebus Ecclesiae	lib. I.
De Fidei Unitate	lib. I.
Instituta Synodalia	lib. I.
De suis in Germania Laboribus	lib. I.
De sua Fide, Doctrina, et Religione,	lib. I.
De Virtutibus et Vitiis, carmine,	lib. I.
Vita quorundam Sanctorum	lib. I.
Epistolarum ad diversos	lib. I.
Sermones aliquot	lib. I.

Vitam ejus scripsere S. Willibaldus, et ipse Scotus, nuper bono literarum ab Henrico Canisio publicatus, et Othlonus Fuldensis monachus, et Vicelius in Hagiologia, Ruthardus Rabani discipulus, versu. Epistolaris Historia de ejusdem actis apud Surium tom. III.

Neque tamen aut dies aut annus martyrii ejus certus; nam martyrologii scriptores, Beda, Usuardus, Ado Viennensis, et alii V. Junii memoriam ejus recolunt, anonymus tamen auctor Annalium seu Gestorum Francorum in IV. diem retrahit. Ita enim ille: "Anno DCCLIV. Bonifacius archiepiscopus Moguntinensis ecclesiae, evangelizans genti Fresonum verbum Dei, martyrio coronatur anno episcopatus sui XXXVI. die IV. mensis Junii." In anno hic cum Sigeberto supra laudato convenit, sed in die discrepat.

At anno DCCLV. illum martyrio affectum contendit Trithemius lib. II. de illustrib. Vir. Ordin. S. Benedicti cap. XXIV. Conradus certe Gesnerus, et ejus epitomastes Josias Simlerus, nescio quo auctore, vixisse volunt ad annum DCCLVII. manifesto, ut puto, errore. Anno DCCLXXXII. passum vult Cornelius Kempius supra laudatus.

Sed nec de loco sepulturae satis exploratum. Sigebertus supra laudatus Fuldae inhumatum prodit, aliter Egolismensis monachus in Vita Caroli Magni pag. CCLIII. ut Pithoeus edidit: " Tassilo et filius theodo-monachi facti sunt in Olto monasterio, ubi Sanctus Bonifacius requiescit." Sed forte reconciliatio petenda non incommode ab incerto auctore Annalium Francicorum a Pithoeo edito, ad annum DCCCXIX. " Hoc anno basilica S. Bonifacii martyris in coenobio Fuldensi ab Heistulpho archiepiscopo dedicata est in honorem Domini Salvatoris, et omnium sanctorum ejus; translataque sunt ossa martyris kal. Novembr." Nemo eo plures discipulos habuit, siquidem Tecla, Lioba, Boso, Adelarius, Guntherus, Hamundus, Hildebrandus, Harwolfus, Adellerus, Stierbaldus, Wattarus, Walterus, Uttringus, Burchardus, Lullus, Sturmus, Sola, omnes sanctorum albo ascripti, ex ejus schola prodierunt, praeter eos qui hoc opere nominantur. Trithem. lib. III. de Vir. illustrib. Ord. D. Benedicti. Plura hoc opere in *Winfrido*.

S. BONIFACIUS QUERITINUS. 131.

De S. Bonifacio Queritino, praeclarisque apud Scotos gestis, verba sufficient H. Boeth. ex lib. IX. Hist. Scot. pag. CLXXII. " Bonifacius Queritinus, venerabilis antistes, cum piorum coetu veniens ex Italia, navigio in Taum aestuarium delatus, ad exigui fluminis ostia, quod Gouream regionem nunc secat ab Angusia, primum in terram descendit. Hunc quidem asseverant in demortui Gregorii Magni, pontificis Romani, locum suffectum, brevi cessisse pontificatu, atque ad Scotos, populum ultimo orbis recessu constitutum, sacro dogmate confirmandos trajecisse in Albionem; inter pontifices tamen maximos a Romanis scriptoribus qui eorum acta in vita exitumque scribunt, non numeratum, quod citius sacratissimo se magistratu ultro abdicarit, quam ut quicquam ad posteros referendum, dum Petri teneret sedem, praestare potuerit. Sed quisquis is fuerit, sive Bonifacius Tertius, Saviniani successor, qui vix IX. menses Romanum gessit pontificatum, ut quidam opinantur, sive ab hoc pontifice missus legatus, et ob id rudi populo papa creditus, insigni vir pietate, et in literis sacris apprime eruditus, multis indiciis ad nostra secula est delatus. Quo loco etenim in terram descendit, templum D. Petro,

Christi apostolo, sacrandum a fundamentis jecit: inde profectus concionabundus ad Tellein, vicum tribus passuum millibus ab Alecto, alterum templum ejusdem apostoli nomini dicatum condidit; tertium ad Restennotum, nunc canonicorum D. Augustini coenobium. Illic aliquot annis moratus, ad se confluentem populum posteaquam salubri doctrina frequentissimis concionibus confirmasset, Angusiae reliquum, Merniam, Marream, Buthquhaniam, Bogevallem, et Moraviam, Christi dogmate gentes erudiens, penetravit, haud paucis templis variis in earum regionum locis, in Petri apostoli honorem conditis sacratisque. Tandem vero devenit et in Rossiam, ubi ad vitae exitum moratus, multis et piis sudoribus pro verae pietatis cultu impensis, sanctitate et eruditione insignis, felicem animam coelo reddens, corpus apud Rosmarken sepeliendum reliquit." Haec ille: ego tamen potius apostolicum legatum putarim, quam pontificem. Meminit anonymus ille monachus Paslatensis, rerum Scoticarum scriptor, et Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CLIV. Gessit in Rossia episcopatum. De hoc apostolico viro certa olim traditio erat, quam, praeter unanimem nostratium consensum, etiam Rogerus Hovedenus exsequitur, Annal. part. II. pag. CDXXVII. " Dicitur quod in cathedrali ecclesia episcopatus Rossensis, quae dicitur Rosmarken, Beatus Bonifacius papa, qui fuit quartus a Beato Gregorio, sepultus est." Ex hac descriptione eum constat fuisse Bonifacium IV. qui a Phoca Caesare Pantheon dono accepit, et quod omnium daemoniorum erat, beatissimae Virginis et omnium sanctorum effecit, ut narrat de eo idem Hovedenus, cujus fides Baronio sincera: hic etiam festum omnium sanctorum instituit, ut praeter Huntindoniensem, Hovedenum, Malmesburiensem, et nostros, consentiunt hagiologi, et ex iis Platina, Ciaconus, et omnes. Altum tamen silentium apud omnes nostri et superioris aevi rerum scriptores ecclesiasticarum. Ejus tamen Bonifacii habentur ex eodem Paslatensi, ut volunt:

De Praerogativa Petri lib. I.
Paraenesis ad Scotos lib. I.
Doctrinale Fidei, MS. Aberdoniae olim asservatum, lib. I.

Venerat ille in Scotiam anno DCVI. aut sane, ut verius alii, DCXX. Colitur die XVI. Martii. Breviarium Scoticum.

S. BERECTUS. 132.

"S. BERECTUS, monachus in Scotia, et confessor, qui profuit et vitae sanctissimae exemplo, et praedicatione," ait Arnoldus Uvion lib. III. Lign. Vit. pag. LIX. et eadem Petrus Galesinius in suo Martyrologio die XXIV. Februarii ex Martyrolog. MSS. Scripsit

Homilias in sacram Scripturam lib. I.

Quo seculo floruerit, cum illi non prodiderint, divinare non possum.

S. BERTHAMUS. 133.

S. BERTHAMUS episcopus, sed cujus ecclesiae incertum; putatur Orcadum. Scripsit

Ad Ecclesias Scoticas lib. I.
In Evangelium Joannis lib. I.
Acta quorundam Sanctorum lib. I.
De VII. Ecclesiae Sacramentis lib. I.
Chronicon breve lib. I.

Floruit anno DCCCXXXIX. Colitur, ubique regni templis et aris ei erectis, die VI. April. Breviarium Scoticum.

S. BRANDANUS. 134.

S. BRANDANUS abbas, alius ab Orcadum apostolo, et multis post illum seculis domi sanctitate conspicuus, scripsit

Quaedam Praecepta ad Fratres lib. I.

Claruit anno MLXVI. regi Malcolmo II. carus. Colitur, templis et aris dicatis ubique regni, die XVI. Maii. Breviar. Scot. Acta interciderunt.

S. BARRUS. 135.

S. BARRUS, sive Fimbarrus, episcopus Cathenesiae, regi Malcolmo III. sanctitate vitae acceptus, uti in ejus Vita Turgotus retulit, scripsit

Synodum Ecclesiae suae lib. I.
Epistolas ad varios lib. I.

Expositionem Psalterii lib. I.
Collectionem Canonum sacrorum lib. I.
De Baptismi Caerimoniis Epistolam; quam male Henricus Canisius Alcuini Scoti nomine publicavit, cum S. Barri opus esse ipsum nomen praefixum in bibliotheca regia testetur, et viri pii cura, qui pereuntem sanctissimi antistitis memoriam restituit, hisce apicibus operum mecum pridem communicatis.

Claruit anno MLXXIX. Colitur, templis et aris multis regni locis erectis, die XXV. Septemb. Breviar. Scotic. Acta certiora perierunt.

S. BLANUS. 136.

S. BLANUS et ardentissimo pietatis voto vivus populum suum rexit, et creberrimis defunctus miraculis adjuvit, et ipse ex Culdeis, quantum suspicari licet, antistes electus episcopatui Dumblanensi appellationem dedit. Vitam ejus Georgius Neutonus, Dumblanensis archidiaconus, est complexus, quae fere sic se habet. S. Cathanus, episcopus Hiberniae, ut solitariae vitae impensius vacaret, venit in insulam Scoticam Butam, unaque secum duxit sororem suam unicam Ertham, quae aquam haustura domo forte progressa, a juvene formosissimo, sibique ignoto, per vim est compressa; ex quo concubitu S. Blanus natus, qui cum matre exiguo lembo ex corio bovino impositus, ut et adultera et partus simul in mari perirent, sed Dei benignitate in portum myoparo applicuit, cum toto itinere avis quaedam grandior pisces alendae puerperae attulisset. Littori applicitos SS. Congallus et Kennethus deprehenderunt, qui rei veritate comperta, baptismatis fonte puerum bearunt, qui in pietate et literis sub illorum cura mirifice profecit, ac tandem adultior factus, venia ab episcopo impetrata, Butam repetiit, ubi avunculum suum Cathanum jam senio fractum offendit; a quo, tota vitae serie cognita, ad eosdem episcopos remissus est, ut sacros ordines ab iis reciperet. Tum Romam concessit, ut sacra loca inviseret, et a summo pontifice benedictionis munus consequeretur: in regressu Gallorum regis amicitiam promeruit, et Anglorum regis filium defunctum excitavit ad vitam. Demum beatissima vita de-

cursa, ultimam periodum clausit Dumblani, ubi miraculorum gloria inclaruit, messoribus paulo ante mortem, quibus nec panis nec caro erat, precibus suis cibos large a Deo impetravit. De quo hi versus feruntur:

Ecce pius praesul Blanus, suspiria matris
Deflens, ter natum regis de morte columbam
Suscitat incolumem, baptizatumque parenti
Reddidit, et sequitur domini vestigia patris.

Scripsit De Evangelii Gratia lib. I.
Versus quosdam sacros lib. I.
Praecepta ad Catechumenos lib. I.

Floret anno CCCCXLVI. Colitur, templis ei variis regni provinciis erectis, die XIX. Julii. Breviar. Scotic. Extat officium.

S. BEY VIRGO. 137.

S. BEY virgo, sub Donaldo rege sanctimonialis habitum a Sodorensi episcopo induta, religiosam vitam in terris egit, et coelestem in coelis meruit.

Claruit anno DCCCXCVI. Colitur religiose die I. Novembr. templaque ejus sub invocatione, toto passim regno, divino cultui non pauca erecta; praecipuum, ut audio, Banfiae fuit. Breviarium Scoticum. Acta omnia interierunt.

S. BOEANUS. 138.

" S. BOEANUS, sacerdos et praesul," ut loquitur anonymus in Vita S. Fursaei apud Surium tom. I. pag. CXVI. Omnibus ejusdem viri sanctissimi Fursaei actibus et visionibus adest, secretorum divinorum conscius; et ut scias Hirlandos nihil in eo habere, sic ipse ille, quem indoctissimi laudant, anonymus idem scriptor testatur: " Verbum Dei praedicabat, et ea omnia quae viderat, aut audierat, omnibus populis Scotorum annunciabat." Ergo et revelatio in populis Scotorum significata, et depraedicata, quia in eisdem divinitus accepta: et Boeanus quidem in patria substitit, Fursaeo cum fratribus in Galliam tendente, ut saepe alias hoc opere observatum, viros

sanctos curas dividere solitos, ut nonnullis ad patriae salutem relictis, alii evangelii disseminandi correpti ardore gentes transmarinas peterent. Scripsit

De Visionibus Fursaei lib. I.

Floruit confessor anno DCL. Colitur die XVI. Decemb. Martyrol. Anglic. ut et alter synonymus eodem die in Martyrologio Romano.

S. BRONUS. 139.

S. BRONUS, sive Broonus, episcopus Scotus, quem S. Brigida ingenti calumnia, publica synodo, miraculo liberavit; nam cum impudica et adultera mulier, infantem sinu gestans, sanctum episcopum patrem ejus mentiretur, virgo Dei infantem loqui jussit, qui et innocentiam S. Broni publice elocutus, et matris perfidiam accusavit, patremque suum et nominavit, et intento digito monstravit. Et ne tantus antistes nobis praeripiatur, verba ipsa Surio tomo I. pag. CCXLVIII. citata sufficient: "Mulier nobilis e Scotia filiam habebat a nativitate mutam; eam, cum esset duodecim annorum, duxit ad Brigidam." Ecce mulier Scota obtulit filiam Brigidae Scotae, et in Scotia, alioquin enim aliquam itineris mentionem, aut trajectum maris scriptor antiquus innuisset; et quid quaeso opus eo aevo, quo tot sancti antistites, monachi, eremitae in Scotia erant, ad Hirlandiam confugere? Et haec plana reor apertaque Scotis meis, adeo omnibus ubicunque terrarum doctis; Hirlandicorum nugamentorum, et in medio veritatis sole caecutientium, oblatrationem nihil moror. Scripta perierunt.

Floruit anno DXX. Dies et sedes, ut saepe alias, incerta.

S. BOETIUS. 140.

S. BOETIUS, apostolici instituti praedicator, patriam lubens deseruit, ut peregrinus amore Dei fieret, gentiumque vel infidelium vel in fide nutantium animos confirmaret. Sed audiatur anonymus auctor in Vita S. Eloquii, relatus a Surio tom. VII. "Venit Eloquius ad Galliarum littora ex Hiberniae regione, cum aliquibus venerabilibus viris, videlicet Fursaeo, Foillano, Ultano, Boetio, Ettone, et caeteris confratribus." Hiberniam hic proprie usurpat pro ea Scotiae

parte, quae Silvestris et Hibernica dicitur nostratibus et peregrinis, ut diserte Molanus Natalibus SS. Belgicorum, et alterum eruditionis ecclesiasticae lumen Aubertus Miraeus, ex Sigeberto Gemblacensi et aliis, ut consensus nostratium. Ubi vero hic Belgii apostolus, et Scotiae ornamentum, aut migraverit ex hac vita, aut sacrae asserventur reliquiae, pro incomperto apud me; nec operum titulos inveni.

Exiit e Scotia anno DCLI. Colitur VII. Decembr. Episcopum vocat Vita S. Mombuli Scoti, qui ejus collega.

S. BURCHARDUS. 141.

S. BURCHARDUS, etsi ab omnibus Anglus habeatur, tamen Scotum facit Wolfgangus Lazius epistola praefatoria ad opus de Migrat. Gent. "In Germaniae inferioris populis convertendis, beatos Kilianum ac Burchardum Scotos praestitisse constat." Vide locum. S. Bonifacii comprovincialis dicitur Hermanno Contracto, Chronico ad annum DCCXLVI. Hic a Sancto Kiliano, cum quo e Scotia, ut apparet, in Franconiam venerat, civitatis Herbipolensis episcopus renunciatus secundus, eam cathedram, vel primus, ut aliis visum, tenuit. Vide lib. X. hoc opere in *Kiliano*. Errat Joan. Molanus, qui a S. Bonifacio ordinatum vult. Vitam ejus scripsit Egilnuardus monachus S. Kiliani: affert Surius tom. v. Videantur Trith. de Vir. illust. Ord. S. Bened. lib. III. cap. CLXXXVI. lib. IV. cap. CLXXXIV. et in Chronico Hirsaug. Petr. Cratepol. de Episc. German. Belforestus in Cosmograph. Ant. Democharis tom. II. de Sacrif. Miss. cap. XXV. et omnes Martyrologiorum compilatores ad diem XIV. Octobris. Scripsit plurima, quae simul cum apicibus perierunt; nam cum relicto episcopatu in monasterium Hohemberg se recepisset, quod ipse construxerat, libros suos et opera omnia secum eo detulit, et fratri suo Siguino commendavit. Extat tantum, cum episcopatum resignaret,

Oratio de substituendo Successore, prolixa et elegans.

Episcopus creatus anno DCCLI. Vide vitam Sancti Bonifacii. Obiit die II. Februarii anno DCCXCI.

S. BLAANUS. 142.

S. BLAANI etiam seculum sanctorum et doctorum fuit ferax, sic enim H. Boethius lib. XI. Hist. Scotor. pag. CCXXXIV. " Vigianus monachus, Christi dogmatis egregius concionator, sub id tempus claruit cum Moveano, Medano, Blaano Englatio, Colmoco, sanctissimis pontificibus, Onano diacono, Congano abbate, multisque aliis viris moribus et doctrina insigni probatis." Ex quibus liquet cognomentum ei Englatio fuisse, et episcopi eum honestatum apud suos officio; sed ubi civitatis, non deprehendi. Ita viris doctis visum, at ego plane dissentio, qui sciam Sanctum Englatium alium ab illo fuisse. Scripsit

De Ecclesiis Britannicis	lib. I.
Orationes de Sanctis	lib. I.
Epistolas ad diversos	lib. I.

In summa claritudine fuit anno MX. Colitur die X. Augusti. Martyrol. Subens.

S. BRENDANUS. 143.

S. BRENDANUS, seu Brandanus, aut Bredanus, gente Scotus, licet quidam perperam Hibernum faciant, et in his Antonius Possevinus Apparat. Sacr. pag. CCLI. Melius Wernerus Rolevinchus in Fasciculo Temporum: " Brendanus in Scotia claret, sanctus pater trium millium monachorum." Colitur vel die XIX. Decemb. Trithem. lib. III. de Vir. illustr. S. Benedict. cap. XXXI. vel die XVIII. Junii. Petrus in Catalogo lib. V. cap. CXVII. Vincentius Bellovacensis in Speculo lib. XXI. cap. LXXXI. Meminit Jacobus de Vitriaco cardinalis Histor. Hierosolym. cap. LXXXIII. Vide locum, et cap. LXXXVIII. Mirum refert de avibus ab eo visis. Sigebert. Gemblacens. in Chronico ad annum DLXI. " In Scotia Brendanus claruit, qui Fortunatas Insulas septennali navigatione requirens, multa miraculo digna vidit; a quo Macutes, qui et Maclovus, regulariter educatus, et ipsius navigationis socius, in Britannia sanctitate et miraculis claruit; qui a Britannis exacerbatus, eis maledictis, transivit ad Gallias, et sub Leontio Sanctonum episcopo multo tempore virtutibus claruit." Huc usque vetus editio: addit nova, " Britannos

vero, propter suam maledictionem variis cladibus addictos, data rursus benedictione absolvit et sanavit." Fuit abbas ordinis S. Benedicti alicubi, ac deinde episcopus, ut ex Joanne Trithemio palam loco priore laudato. Martyrologium Romanum: "In Scotia S. Brendani abbatis." Eadem Petrus Galesinius ad diem XVI. Maii. Mentio ejus in actis S. Maclovii, quae recitat Laurentius Surius tom. VI. ad diem XV. Novembr. Petrus vero abbas loco laudato multa apocrypha accumulat, et vita ejus sane multis affaniis et fabulis intrusis est referta, ut in censura sua indicat Joannes Molanus. Creberrima etiam mentio apud S. Adamannum Scotum lib. III. de Vita S. Columbae cap. III. XV. et XXI. ubi Brendenum constanter vocat. Denique acta ejus MSS. sunt in Bibliotheca Vaticana, ut retulit Caesar Baronius ad Martyrologium die XVI. Maii, quo ejus memoriam ecclesia celebrat. Ejus sunt:

De Fortunatis Insulis	lib. I.
Epistolae ad populares	lib. I.
De Legibus Monachorum	lib. I. Arnold. Uvion lib. II. Ligni Vitae pag. CCCCIX.
Revelationis de futuris Temporibus	lib. I. Idem.

Clarus habebatur anno DLXI. ut vult Sigebert. vel anno DLXX. ut Trith. visum, vel anno DLXIV. ut habet Mat. Westmonast. in Floribus Historiar. vel anno DXLIV. ut est in Fasciculo Temporum.

S. BRIGIDA. 144.

S. BRIGIDA, sive Brigitta, aut Pyrgita, cognomento Laginensis corrupte pro Ladenensis, filia Dabothi principis, ut vult V. CL. Ant. Possev. tom. I. Appar. Sacr. pag. CCLII. Hanc alii Dubtaci in ulteriore Scotiae regione filiam, matre etiam ancilla Brosecca, faciunt; sed parum refert, dummodo eam gente fuisse Scotam constet. Petrus lib. III. Catalogi cap. LXIX. Geor. Garnefelt. Vit. Eremit. pagina CCXXIII. S. Brigida, virgo et monialis in Scotorum regno. Anton. Dauroultius cap. III. Flor. Exemp. tit. 122, § 4, par. I. cap. VI. tit. XIV. § VII. "Haec virgo inter Scotiae puellas pulcherrima." Tit. XXIII. § XII. "S. Brigida, virgo e Scotia." Gibbonus in Epistola. Paulus Morigea lib. IV. Vir. illustr. cap. LXVI. "Sanctissima virgo Brigida, ex provincia Scotia." Vide infra hic in alia S. *Brigida*. Jo. Leslaeus lib. IV. Hist. Scot. pag. CXLIX. Andreas Tiraquellus Gallus, sena-

tor regius, de Nobilitate cap. XXXI. numero CCCXVI. Sigebert. Gemblacen. in Chronico ad annum DXVIII. "Virgo Dei Brigitta Scota obiit in Scotia." Aequalis fuit S. Benedicto. Ant. Sabellicus Ennead. VIII. lib. II. "Fuit ei (S. Benedicto) aequalis Brigida in Scotia nata, caeterum sanctitate insignis." Raphael Volaterranus lib. XXI. Commentariorum pag. DCXXXV. "Fuit et altera Brigida virgo, Scota genere, sub Joanne I. anno DXXI." Ex quo patet falso Gilbertum Genebrardum affirmasse eandem illam esse cum Brigita ducissa Neritiae in Scotia, quae et vidua fuit, cum haec nostra sit virgo; multis post hanc seculis ea claruit, scilicet anno MCCLXIII. Coaetanea etiam haec nostra S. Patricio, eodemque loco, Duni scilicet, una cum eo sepulta: licet canonici Abrenethaei se habere illius sacrum corpus in Fifa Scotiae existimarint, ut ex actis illius ecclesiae retulit Leslaeus in loco laudato, tamen pro Hibernorum sententia stant vulgati versus, a Giraldo Cambrensi relati lib. II. Topographiae Hiberniae cap. XXXIX.

Hi tres in Duno tumulo tumulantur in uno,
Brigida, Patricius, atque Columba pius.

Verum audiendus H. Boethius lib. IX. Hist. Scot. pag. CLVIII. "Inter nostrates Brigida, sanctissima virgo: haec, XIV. anno vix superato, ad Sodorensem episcopum in Monam insulam (hujus autem viri, sicuti aliorum complurium, vetustate nominis memoria periit (revera tamen Machilla dicebatur) paternis fortunis, quae amplissimae erant, contemptis, aufugit, precibus non sine lachrymis petens, ut perpetuae virginitati pontificia authoritate addiceretur. Pontifex acceptam mira benignitate Brigidam virginem Deo sacravit, deditque ut alba tunica scortea intercincta zona uteretur, tegumento capitis lino candenti quadrato, a cervice ad humeros dejecto. Effecta est ejusdem virginis ad posteritatem ob pietatem insignem celebris adeo memoria, ut Scoti, Picti, Hibernici, et qui illis gentibus vicinas habent sedes, Angli, eam inter foeminas quas Christiana ecclesia in sanctorum numerum retulit, secundum Deiparam Virginem praecipua semper habuerint veneratione. Templa Brigidae nomini inter hos populos sacra, quot vix alicujus divorum, hujus rei certa sunt indicia." Plura deinde de corpore. Arnold. Mirman. Theatro Convers. Gent. "S. Brigida eo aevo in Scotia rarae prodigiosaeque sanctitatis." Chronicon Colonense apud

Jo. Gualterium pag. MCCLXXXII. Walramus archiepiscopus Coloniensis " in honorem S. Brigidae ecclesiam consecravit; haec virgo Scotica fuit." Wandelbertus Prumiensis Martyrolog.

Brigida virgo potens Februi sibi prima kalendas
Scotorum miro poscit celebrata favore.

Petr. Cratepol. pag. XXX. " Sancta Brigida ex Scotia." Memoriam ejus recolit ecclesia calendis Februarii. Martyrolog. Roman. " In Scotia S. Brigidae virginis, quae cum lignum altaris tetigisset, viride in testimonium virginitatis suae factum est." Eadem illo die apud Bedam, Usuardum, Adonem Viennensem, et alios. Acta ejus et vita apud Surium tom. I. quam contraxit in pauca Francisc. Haraeus. Rodulphus de Breda, seu de Rivo, ante CC. annos decanus Tungrensis in Calendario generali: " Ex Scotia Brigidae virginis:" sed longe melius Cogitosus ejus nepos, MS. in bibliotheca monasterii S. Caeciliae trans Tyberim, etiam ab Henrico Canisio publicatus, ejus gesta narrat; hic " in ulteriori Britanniae parte natam" profitetur. Et pater ejus Cathenesiae prorex Saxones irrumpentes animose arcuit. Fordun. MS. Virgineum velum sumpsit in Mona insula, quae eo aevo regum Scotorum sepultura. Boeth. lib. IX. Fuse libro sequente hic in Sancto *Columbano* Bobiensi. Et origo patris ejus in Ladenia Ptolomei, nunc Laudian, ut ibi. Scripsit

Suarum Revelationum lib. I. In quas Indices edidit Alanus de Linna Carmelita sub annum MCCCCXX. quas clarissimi philosophi et theologi exposuere commentariis ac praelectionibus Oxoniae publicis circa annum MCCCLXX. Thomas Stubbes Dominicanus, Richardus Lavynham Carmelita.

Tam gloriosae vitae virginem qui culparent, non defuerunt ex ultima haereticorum faece: Joan. Capgravius magicis incantamentis eam usam, Joan. Knoxus superstitionum parentem, impurus ac libidinosus apostata Balaeus Revelationes illius sanctissimas Dianae somnia vocare non veretur. Claruit an. DXVIII. vel DXX. ut dictum est, vel DXXVII. Genebrard. Chron. pag. CCCCLIX. Errat Platina, qui eam cum Brigida Sueca, ut dixi, confundit. Regnabant apud Scotos Conranus et Congallus, imperabat Justinus major, Mariano teste, Romae in Petri cathedra sedebat Bonifacius II.

S. BOTHANUS. 145.

S. BOTHANUS claro sanctitatis nomine apud Scotos nostros floruit, cujus honore celebri monialium monasterium Euphemia, Marchiae comes, in Lamirmure erexit, ut in Coenobiorum Scoticorum Catalogo discussum est.

Quo tempore vixerit, non potui deprehendere. Colitur XVIII. Januar.

F. JOANNES BLAK. 146.

FR. JO. BLAK, Dominicani instituti socius, ut existimo, Aberdoniae monachum induit, praeclarus Christi miles, ac invictus religionis Catholicae pancratiasta, irrepenti in Scotiam haeresi viriliter obstitit, concionibus facundissime eruditis populum diu in fide retinuit, ac tandem satagentibus Sathanae ministris, quam vivens pietatis integritatem professus erat, moriens Edimburgi sanguine fuso confirmavit. " Orthodoxae veritatis propugnator strenuissimus, intima eruditione praeditus," inquit Leslaeus. Scripsit

Libros de reali Praesentia Corporis Christi in Sacramento Altaris lib. I.
Acta Colloquii sui cum Willoxio symmista suo lib. I.
Conciones doctissime pias lib. I.
Monitorium ad Apostatas lib. I.

Passus est martyrium die VII. Januarii anno MDLXII. De ejus constante professione Jo. Leslaeus lib. X. pag. DLXXVII.

JO. BARVICKANUS. 147.

JO. BARVICKANUS Franciscanus, ab oppido Scotiae haud incelebri ad Tuedae ostia, termino regni, nomen sortitus, alio etiam nomine Breulanlius audit, vir ea aetate doctus, et magni nominis. Certatim eum laudant, et doctrinam ejus venerantur Thomas Ecklestonus in Chronico, et Picus Mirandulanus lib. XII. adversus Astrologos. Ejus perhibentur:

Commentarii Sententiarum	lib. IV.
Quaestiones ordinariae	lib. I.
Quaestiones de Formis	lib. I.
Lecturae Scholasticae	lib. I.
Super Astrologorum Prognosticis	lib. I.

Vivebat anno MCCCXL.

JOANNES BLARUS. 148.

JO. BLARUS, nobili familia presbyter, Scotiae ab Eduardo Anglo tyranno oppressae misertus, acerrimo ejus vindici Gulielmo Wallasio se junxit, eique sacra administravit, cujuslibet fortunae comes, et ut ita preces concepit, ut bellica pericula non fugeret, ita in acie versabatur, ut bonae causae fisus, victoriam adeo semper exspectaret. Scripsit

Gesta Guliemi Wallas	lib. I.
De liberata Tyrannide Scotia	lib. I.

Claruit anno MCCC.

BARDI. 149.

BARDI vates, a Bardo vetustissimo Celtarum rege, cujus acta apud Stephanum Forcatulum, Joannem Picardum lib. I. Celtopaediae, et alios, in Scotia celebri auctoritate diu claruerunt, licet Gallica origine, ut ex Lucano Pharsaliae lib. I. liquet; clarissimae sane etiamnum hodie eo nomine apud nostrates familiae, et viri plerique eruditionis gloria praestantes. Hi poeticam primi excogitasse putabantur, et in Scotiam invexisse; Fordunus est auctor, nec alii non dixerunt. Scripserunt

Carmina varia	lib. I.
Heroum Laudes	lib. I.
De Fortitudine bellica Patriae Caritati debita (Lucanus)	lib. I.

Floruerunt paene a condito regno.

S. BETTA. 150.

Betta S. Finnani discipulus, unus ex quatuor presbyteris Scotis, qui Mercios in Anglia, Pendae principis beneficio invitati, ad fidem converterant, et sacro fonte susceperant, ut narrat Florentius Wigorniensis pag. DLX. Ejus sunt:

Institutio Catechumenorum	lib. I.
De Trinitate	lib. II.

Vixit anno salutis DCLIII.

SAMUEL BEULANIUS. 151.

Samuel Beulanius, Scotis parentibus in Scotia natus, in insula Vecta Anglicae ditionis provinciola liberaliter educatus: ob id nonnemo Anglum eum fecit, cum tamen ipse se in Tuedalia natum, in Berniciis aetatem exegisse, atque in coenobio Mailroso. Ejus sunt:

Annotationes in Nennium	lib. I.
Historia Itineraria	lib. I.
Arthuri Facta apud Scotos	lib. I.

Florebat anno salutis DCXL.

GULIELMUS BRUSIUS. 152.

Gulielmus Brusius, comes Antonii Spinulae, oratoris Casgeri Crimtartari ad regem Poloniae, ut narrat Samuel Purchasius lib. IV. Peregrinat. cap. XV. scripsit

De Moribus Tartarorum ex Relatione ejusdem Spinulae. Prodiit Francofurti lib. I.

Vixit anno MCCCCLXXIX.

BODECA. 153.

Bodeca, seu Dudoco, domo Cathenesius, quem sibi sequendum proponit Joannes Fordunus in scribenda Historia Scotica, clarus

domi, sed foris illustrior, Eduardo Confessori Angliae regi in paucis carus. Hunc nonnulli Saxonia oriundum, alii Lotharingia, vel Germania, in Angliam trajecisse, sed sine ullo certo auctore. In Anglia episcopatum Bathoniensem et Wellensem XIV. antistes tenuit, seditque annis XXVII. Scripta ejus perierunt, praeter unum cum hac epigraphe:

Compilatio Temporum lib. I.
Consecratus est anno salutis MXXXI.

DAVID BETONUS. 154.

DAVID Betonus Sanctandreanus, bonarum artium causa peregrinatione suscepta, adolescens Parisiis studuit; vir factus, legatus ad Franciscum Galliarum regem, et Paulum III. praeclare de religione Catholica et sua patria meritus, cardinalis creatus est presbyter sub titulo S. Stephani in Coelio Monte; creatio incidit in XIII. calend. Januar. anno MDXXXVIII. Paulus Jovius in Descript. Scotica: "Fifa regio occurrit, insignis S. Andreae urbe, sacrorum primatu, et gymnasii auctoritate, portuque clarissima, cui hodie praeest David Betonius, purpurei galeri dignitate, vitae splendore, ac ingenii gravitate illustris." Tantus hic antistes a sicariis haereticis in cubiculo suo strangulatus est; percussori nomen praecipuo Leslaeus, qui in os defuncti minxit, ornatumque cadaver cardinalitiis insigniis parieti appensum variis contumeliis affecerunt sacrilegi, a quibus Deus postea debitas poenas exegit; nam nullus nefariorum percussorum non violenta morte exstinctus est, et Leslaeus sternace equo dejectus interiit, memorabili sane exemplo: equus in volventis os meiens, divinae vindictae certam, licet dilatam aliquandiu, severitatem ostendit. Eduardus Hallus lib. VIII. de duarum Familiar. Unione. Actum deinde sequente anno de tam indigna caede vindicanda. Jacob. August. Thuanus lib. III. Historiarum. Sed frustra, exinde enim res ecclesiastica retro in dies ferri, ac haereticis vires crescere. Hujus sunt:

De Legationibus suis lib. I.
De Primatu Petri lib. I. Vidit G. Barclaius.
Epistolae ad diversos lib. I.

Martyrium passus est die XXVIII. Maii anno salutis MDXLVI. a rege ranciae Miropiensi episcopatu donatus. Sanguis occisi e lapidibus nestrae elui delerique nequit.

S. BARBANTIUS. 155.

. BARBANTIUS Scotus, S. Maxentiae Scotorum regis filiae famulus, um ea, pertinacem castitatis amorem amplexa, patria egressus, labo- um ac martyrii particeps, ut lib. XII. infra hoc opere agetur, et de o Bellovacensis ecclesiae acta, et Robertus Bucklandus in Claris Mu- eribus.

Passus cum domina sua in Picardia die XXIV. Octobris anno CCXCII.

S. BARVITUS. 156.

. BARVITUS, confessor eximius, cujus et sanctissimi viri in Scoti- hronico mentio, S. Brandani discipulus, omnium itinerum comes, ac lemum sanctitatis particeps. Jo. Capgravius. Ut S. Brandanum hoc odem volumine probavi Scotum esse, ita hunc eadem ratione liquet cotiae adjudicari. Scripsit, magistro superstite,

De Brandani Rebus lib. I.

Floruit anno DCLVIII. Colitur die V. Januarii.

S. BARREAS. 157.

. BARREAS, ex archidiacono Dunkeldensi creatus Moraviae episco- us, sanctissimis operibus plenus, acerrimus Scripturarum scrutator. Alexander Millus in Historia Dunkeldensis Ecclesiae. Scripsit

Meditationes lib. I.

Annus incertus est. Colitur XXIII. Augusti, et XXIV. Septembr. Martyrologium Carthusianum Adami Walassaris. Acta ecclesiae Moraviensis.

S. BARINTHUS. 158.

S. BARINTHUS confessor, filius Mooh, et in Scotia magister ac doc- tor S. Brandani, et, ut puto, abbas, scripsit

De Paradiso Terrestri, ad Brendanum discipulum, lib. I.

Vixit anno DC. aut circiter. Meminit Petrus Equilinus lib. V. Catalogi cap. CXVII.

S. BEATUS. 159.

S. BEATUS, eremita, confessor, apostolus Helvetiorum, Sancti Petri, apostolorum principis, discipulus, cum in Scotia S. Barnabas concionaretur, adolescens erat, et vocabatur Suetonius, forte Setonius; et hoc praeclarum antiquitatis monumentum nobilissimi et excellentissimi stemmatis Setoniorum, cujus caput hodie comites Wintoniae et Eglintoniae, fratres, quorum patruus Alexander comes Dunfermelini, XL. annis Scotiae cancellarius, jampridem excessit. Sed ad Beatum redeo, qui baptizatus a Sancto Barnaba, Deo serviturus Romam petiit, et a Sancto Petro ad Helvetios destinatus, post aliquot annos fructuose collocatos, ad eremum se contulit, draconem occidit. Haec ex ejus Vita, quam Daniel Agricola Basileae edidit anno MDXI. Frustra Personius eum Anglum facit, cum et Vita ejus et Georgius Garnefelt diserte Scotiae asserant lib. IV. de Vita Eremitarum cap. I. Ad hos accedit Beatus Rhenanus lib. III. Rerum Germanicar. Stumfius Chron. Helvetior. lib. VII. cap. XXII. Gul. Eisengrin. par. V. distinct. II. cent. II. et praeter hos etiam haereticus Pantaleon de Viris Germaniae par. III. et Scotis favet Georg. Wicelius lib. V. cap. XXXVIII. Hic vero etiam primus, aut inter primos, occidentis monachus et eremita, quod haeretici testimonio, Aegidii Tscudi, liquet, et Carthusiani piissimi viri auctoritate probatur, scilicet laudati Garnefelt pag. CLXXXIV. de quo sic canit:

Hic vera Helvetiis ostendit numina, Petri
Unctus erat dextra, Barnabae alumnus erat,
Nomine reque Beatus, amans deserta, beatum
Solum, qui solus vivere esse ratus.

Obiit anno salutis CXII. aetatis XC. Colitur IX. Maii. Martyrologium Romanum, Canisius, Molanus. Errat P. Cratepolius, qui pag. XXI. de Sanctis Germani. ait illum a S. Petro Romae baptizatum, cum auctores, quos nominavi, id in Scotia actum prodant.

S. BARNABAS. 160.

S. BARNABAS, apostolus et discipulus Domini, in Scotia concionatus, evangelium diffudit, Georg. Garnefelt Carthusianus loco proxime supra laudato ex multis auctoribus, quibus addendum Scotichronicon; et hanc gloriam Scoti lubentes veneramur, tantumque praeconem enixe oramus quotidie, ut ea puritas, quam ipse insevit Scotiae nostrae, tandem redeat cum eo fervore quo se ille Dei ecclesiae propagandae devoverat. Hinc habent Scoti, quod antea nesciebant, fidem Christi apostolorum temporibus, et ab ipsis apostolis, sibi communicatam, et maturius CC. annis quam putabatur. Porro SS. vir scripsisse putabatur

Epistolam ad Ecclesiae Aedificationem pertinentem. Apocryphum censet Sanctus Hieronymus Catalogo. Petrus lib. V. cap. CV.

Colitur XI. Junii.

S. BACCHIARIUS. 161.

S. BACCHIARIUS, cognomento Maccaeus, ut nonnulli volunt, licet alii duos faciant, discipulus Sancti Patricii, de quo agunt Capgravius Catalogo SS. Britan. Harpesfeldus seculo VI. cap. XXII. Scripsit

Ad Leonem I. Papam pro Peregrinatione lib. I.

Claruit anno CCCCLX. qui persuadet ut eundem existimem cum Sancto Maccaeo, ut lib. XII. infra.

S. BARUCHUS. 162.

S. BARUCHUS, antistes sanctissimus, maximus Scotorum episcopus, qui in Rossia residebat ut plurimum, cum multos annos praedicationibus populum lactasset, in Hiberniam secessit, et exinde in Britanniam, seu Walliam, ubi obiit miraculorum gratia gloriosius. Gul. Camdenus, etsi haereticus, tamen eum "virum sanctum" vocat pag. DXV. primae editionis. Ab eo comites Cathenesiae, dicti Barri, quorum frequens cum regibus nostris affinitas, ad atavorum, licet minore gradu, tempora descenderunt. Scotichronicon.

Aliter vero iidem Varoy audiunt, ut libro XIX. infra. Scripta perierunt. Vivebat anno DCC. ut existimo.

S. BEGA. 163.

S. BEGA, virgo longe sanctissima, non Scotiam modo, sed et totum septentrionem mirifice illustravit; nam in Anglia comitatu Cumbria mons et promontorium vastissimum ejus nomen tenet, vulgo *S. Bees*, et in ulteriore oceani tractu "Norvegia," inquit Lazius, "quasi Norbegia:" et haec altera Claudia, Maxentia, Mechtildis, Syra, Walpurgis, Ursula, Pandiona, Brigida, Chuvilda, Daria, Dardulacha, Emerita, Findocha, Macra, Geresina, Modesta, Odda, Promptia, Possennia, Sanctanna, Richarda, Taraghta, Summiva, Erentrudis; nam omnis hae Scotia oriundae, patria sua egressae, incredibilem ecclesiae fervorem operamque exhibuerunt, ut dubitari posset, uter sexus fortior, gloriosior; et his jure merito Bega annumeretur, quae miracula in Anglia perpetrarit etiam hodie admiranda apud ipsos haereticos, nam taurum ferum cicuravit, et elementis sanctitate imperavit, hyeme calorem, aestate nives impetrans, quod Camdenus, licet haereticus, non audet inficiari, pag. DCCCXXX. Demum post tot propagandi evangelii causa labores susceptos rediit in Scotiam, et in Kuningamia regione sanctissime obiit loco qui ab ea Kilbege nunc dicitur. In qua voce corruptus Ingulphus Croylandensis Histor. pag. DIX. "Siwardus abbas Sanctae Pegae:" sed lege *Begae*. Scripsit

De Deo vero ad Orcadianos lib. I.
Formulam Precum ad Danos lib. I. Henricus Sinclarus.
Non vidi quae Balaeus assignat.

Claruit anno DCCLXXIV. regnante Soluathio in Scotia. Colitur VI. Septemb. Errant qui hanc cum Bey virgine confundunt, nam ista, Donaldo VI. regi nostro familiaris, I. Novemb. colitur; ex quo liquet eas differre aetate CXXIV. annorum. Hodie apud Kilbege, id est, cellam Begae, memoria dicitur extare.

S. BENIGNUS. 164.

S. BENIGNUS, confessor et presbyter, magister et educator sanctissimi viri apostolici Livini, qui in Belgio martyr Gandavi quiescit, ut notum ejus Vita, cujus auctor S. Bonifacius, et meminit Joan. Molanus Indiculo Sanctorum Belgii p. XLV. Scripta interciderunt.

Claruit anno DCXXXIII. Colitur in Scotia in Lesmohago IX. Augusti; puto ob importatas eo die reliquias de ejus sepulchro. Malmesburiensis lib. IV. Gest. Pontif. pag. CXLV.

S. BENEDICTA. 165.

S. BENEDICTA, Ursulanarum una, cujus memoriam nuper in Martyrologio Canisius vindicavit, nec plura de ea ad me pervenere. Claruit anno CDLIV. Colitur cum reliquis XXI. Octobris.

S. BRIGIDA. 166.

S. BRIGIDA virgo, de qua cum agant acta ecclesiae Faesulanae, et Vita S. Andreae Scoti archidiaconi, a Philippo Villanio Florentino literis mandata, et insuper Franciscus Cattanius Diacettus episcopus, Silvanus Razzius, et alii, ego tamen sola verba Philippi Ferrarii, viri ornatissimi, atque iterum ordinis Servorum generalis, apponam ex Sanctis Italiae, pag. LXIX. " Brigida virgo, S. Andreae diaconi Faesulani soror, et ipsa seculari vita relicta virginitatem suam Deo vovit, eique toto corde inserviit; cum autem fratrem ex hac vita migraturum divinitus accepisset, ex Scotia Faesulas brevi divina virtute delata, fratri morienti adfuit: post cujus obitum in silva supra Faesulas densissima ac horrida reliquum vitae, ad ultimam usque senectam ab omni virorum et mulierum consuetudine alienae, confecit; tandem assiduis vigiliis, jejuniis, aliisque corporis macerationibus, et annis gravata, migravit ad sponsum, ac miraculis claruit, cui in eodem loco templum in opaco extructum et dicatum est, eoque devotionis ergo incolae confluere solent." In annotationibus haec idem scriptor habet: " Haec diversa ab ea quae hoc die in Martyrologio Romano continetur, licet utraque virgo Scotica sit." Porro, ut S. Andreas frater viris monasterium condidit Scopetum, ita haec aliud mulieribus Scotis structum reliquit; verum illud canonicis S. Salvatoris ante CCC. annos cessit, unde illi Scopetini audiunt; istud ita exolevit, ut post Faesulas a Florentino dirutas nulla memoria extiterit. Scripta perierunt.

Sanctitate claruit anno DCCCII. eoque miraculo delata in Italiam; quando obiit, non reperi. Colitur I. Februarii.

S. BUO. 167.

S. Buo poeta, cognomento Bardus, id est voce Scotica sapiens, hoc enim id sonat lingua vetere nostrate, unde Bardi hic supra philosophorum secta; hic vero vir doctissimus juxta ac sanctissimus in montanis Scotiae vitam eremiticam traduxit, de quo incolae etiamnum hodie mira narrant, sed, nisi fallor, apocrypha: nam eum uno loco septem annis, quasi septem diebus, haesisse produnt, majore parte extasi raptum, ut S. Kanillus, discipulus et secretarius, retulit apud Joannem Campumbellum historicum, et recens apud eos memoria, qui hymnos ejus sedulo recolunt. Vixit in Argathelia, ubi eremus ostenditur. Scripsit

Laudes Trinitatis SS. lib. I.
De Cruce Domini lib. I.
Prophetias de Regno Scotiae lib. I.

Floruit anno DCCXCII. regi Achaio familiaris, et, ut Jacobus Cheyneus putat, confessarius, cui de regno Pictico multa praedixit. Corpus Ornesci in Insulis quiescit; dies incertus.

S. BUO. 168.

S. Buo, alius a praecedente, more patriae suae et popularium sanctorum Scotia egressus, in septentrionem intendit cursum, ut Dei gloriam propagaret, et in Islandiam delatus, summa sanctitate populum instruxit, miraculorum gratia inclaruit. Auctor Arngrim. Jonas in historia illius gentis. Scripsit

Homilias ad Islandos lib. I.

Floruit anno DCCCXC. sub rege Gregorio, qui primus regum nostrorum foedus cum Gallis iteravit. Dies incertus.

GULIELMUS BAILZE. 169.

"Gulielmus Bailze Scotus, Transalpinorum in academia Bononiensi rector, postea medicinae diebus feriatis lector," ait Nicolaus Paschasius Alidosius, diligens historicus, in Professoribus Peregrinis pag. XXXVIII. Hic vero ex illa nobilissima et serenissi-

na familia Baliolorum, qui e Scotia profugi, bellique civilis malo pulsi, in Francia comitatum *Hearcourt* obtinuerunt, ut ex historia Francica Holinshed. pag. DCCXV. Galli Harcuriam vocant, et praeterea Dampuillam ac Hornum in eodem regno tenuerunt, Leslaeus lib. VI. in Anglia propugnaculum munitissimum *Bernardscastle* excitarunt, quique primi mortalium Lyceum Musis in Anglia, sumptibus suis immensis, id Collegium Baliolense Oxoniae, aedificarunt, ut tradunt Angli, Joannes Caius, Lelandus, Pitsaeus, Camdenus, et omnes; denique qui regnum Scotiae, arbitrio iniquo ad Anglum delato, possederunt, et sub annum MCCCIV. eo per Brucium exturbati, minore fortuna contenti vixerunt. Porro noster vir maximo nomine, majoribusque meritis, summum Bononiae locum tenuit, et reipublicae togatae cum honore praefuit. Scripsit

Contra Empiricos lib. I.
Pro Galeni Doctrina lib. I.

Docebat anno MCCCCLXXXIV. rediit postea in Scotiam.

PATRICIUS BISSETUS. 170.

PATRICIUS Bissetus, clarissima apud suos origine, ex ea familia quae Achterles et Fifam comitatus titulo tenuerunt: hic vero Bononiae artes optimas professus, summa eruditionis opinione inclaruit, ac jus canonicum per multos annos cum docuisset, tandem amicitia strictiore cum Bonifacio Gozadino contracta, ad eum scripsit

De Irregularitate lib. I.
Lectiones Feriales lib. I.

Claruit anno MCCCCI. Alidosius.

BERNARDUS. 171.

BERNARDUS, monachus Scotus, abbas Sacri Nemoris in Scotia, vulgo *Halywood*, peregrinus ad loca sancta Dominicae passionis invisenda profectus, diligenti cura totum illud iter, locaque sancta perlustravit, ac deinde domum redux scripsit ingens volumen

De Locis Terrae Sanctae lib. X.

Peregrinabatur anno DCCCLXX. Citat Malmesburiensis lib. IV.

ALEXANDER BARCLAYUS. 172.

"ALEXANDER Barclayus, nobilis et egregius poeta, et insignis orator, gente Scotus, sub Maria regina decessit, vel, ut alii volunt, sub finem Eduardi VI." inquit Holinshedus Hist. pag. MDCCXIX. Scripsit

Orationes varias	lib. I.
Poemata varia	lib. I.
De Fide Orthodoxa	lib. I.

Vixit in Anglia, patria sua religionis ergo pulsus, et sub aureo Mariae Anglicanae imperio obiit anno MDLII.

ADAMUS BLUNTUS. 173.

ADAMUS Bluntus Franciscanus magna inter suos fama, sacrae theologiae lector, et Roxburgensis coenobii in Scotia superior, difficillimo tyrannidis Anglicanae tempore, a Joanne Baliolo Scotorum rege missus ad Eduardum I. Anglum tanquam orator, ut conquereretur nomine regis sui, Anglum impie, et crudeliter, et contra foedus Scotiam divexare, et injurias subditis inferendo, et modis subdolis, sed illicitis, fidem ab eo nunquam debitam exigendo, insuper urbes suas hostiliter invadendo, subditosque necando, aut furis instar spoliando, quapropter Scotiae regem omnem fidem, quam aut ipse, aut subditi sui nomine suo, ratione terrarum in Anglia possessarum, deberent, penitus abnegare, et feudis renunciare. Haec paene verbatim Holinshedus Histor. Anglic. pag. DCCCXIX. Hic Adamus scripsit, ut in Indice Maiae,

Pro Rege Joanne	lib. I.
Summarium Sententiarum	lib. I.
Conciones et Lecturas	lib. I.

Legatione fungebatur anno MCCXCVI. ineunte mense Aprili; et fide in reges, amore in patriam, literatura theologica, paucos pares aetate sua habuisse censetur.

DUNCANUS BORNETTUS. 174.

DUNCANUS Bornettus, alias Burnatus, natione Scotus, magnam ab eruditione famam paravit apud Germanos, cum quibus multum temporis vixit: medicinae doctor eximius, et chymicae peritus, in illud incubuit studii, ut Spagiricen Hippocraticae conjungeret. Scripsit multa, sed, ut apparet, parum edidit suorum operum;

nam Jo. Daniel Mylius publicavit ejus nomine,

Iatrochymicum lib. I.

De Praeparatione et Compositione Medicamentorum Chymicorum artificiosa lib. I.

Prodiit anno MDXX. ut existimem illum fato functum. De eo Raphael Eglinus Iconius: " Salve, O lux Scotiae."

HECTOR BOETHIUS. 175.

HECTOR Boethius, Alecti natus, sive Deidoni ad Taum aestuarium, Aberdonensi academiae praepositus, " vir singularis ingenii felicitatis, et facundi oris," ab Erasmo in Epistolis, qui eidem studio Parisiensi una vacabat an. MCCCCXCIV. Alexander Leo epist. ad Scoticam Nobilitatem: " Haud parum meritus de nobis, deque nostra republica, H. Boethius." Guil. Gordonius epist. ad Academiam Aberdonensem: " Plurimum gaudendum vobis existimo, quod nostrae gentis hist. disertissimo stylo fideliter atque erudite conscripta, ex nostra academia Aberdonensi primum prodierit in lucem." Et paulo post: " Boethius vir in omni scientiarum genere apprime eruditus." Jo. Ferrerius Pedemontanus epist. ad Jacobum Betonum, archiepiscopum Glascuensem, et reginae Scotorum ad regem Galliarum oratorem: " Hector Boethius, vir ornatissimus, et singulari doctrina praeditus, qui regum vestrorum et Scoticae gentis res clarissime susceptas, et fortissime gestas, memoriae ad posteritatem tradidit, typisque Ascensianis libris XVII. ad calendas Maias anno salut. Christianae MDXXVI. decenter expressit." Paulus Jovius, episcopus Nucerinus, in Descriptione Britanniae: " Hector Boethius insigni facundia, et pari diligentia perpetuam Scotorum regum historiam ad Jacobum sui nominis III. deducit." Idem in Scotiae Descriptione: " Boethii muneris fuit, qui, curiositate et diligentia, amoris patriae dignissima, nihil intactum et sine laude, vel in aspretis atque paludibus, reliquit." Joan. Gualterius Chronico Chronicorum tom. II. pag. MCCLXXX. " Hector Boethius in omni philosophiae et theologiae genere versatissimus, historicus egregius."

Tanta ipsius fama, verae virtuti conjuncta, a nonnullis Scotorum honori infensissimis hostibus laudes tamen extorsit, alios vero Anglicanae superbiae vento inflatos, cum veritatem pati non possent, in amentiam et rabiem egit. Ex his, duo tantum exempla adducam.

Apostata Balaeus, cum semper male de nostratibus et senserit et scripserit, hunc tamen suo encomio fraudare non sustinuit, nam centuria XIV. numero LXI. " Boethius in omni philosophiae ac theologiae scholasticae cognitione affatim eruditus." Centur. eadem, num. LXXXVIII. " Insignis Scotorum chronographus." Et paulo post: " Magnum opus de Scotorum Historia." Centur. eadem, num. LXV. virum vocat disertissimum. Has veras laudes maledicentissimum pecus, et de magia nigra apud suos Wallos convictus, infamis haereticus Humfredus Lhuydus, virulentiae vento conatus afflare, non tam gentis odium, quam puerilem ignaviam prodidit. Ita enim :

Hectoris historici tot quot mendacia quaeris;
Si vis ut numerem, lector amice, tibi,
Idem me jubeas fluctus numerare marinos,
Et liquidi stellas dinumerare poli.

O Latina Siren ! belle, beate ! nam praeterquam quod nullum acumen, qualis illa cacophonia, " tot quot," tum illud quam puerile, " lector amice !" tum " numerem, numerare, dinumerare," nonne furcis Parnasso exigendum ? denique quam felicia epitheta " fluctus marinos, liquidi poli !" Ita sane per me omnes scribant Scoticae aestimationi parum aequi consultores, ut dum nostratium veris praeconiis officiunt, infantilem suam imperitiam prodant. Sane huic tam impudenti liceat opponere cultos hominis Itali versus : is est Latomus.

Quisquis ad tumulum obstupescis istum,
Taedas perpetua micare luce,
Lucem perpetuis adesse taedis,
Et quis sic statuit, cupis doceri;
Fiat : hic recubat Boethus Hector,
Ille qui patriae suae tenebras,
Atque illas patrias, nitore linguae
Invecto Latiae, fugavit ultra
Thylen, et vitrei vigoris Arcton.
Persolvunt Scotides proin Camoenae,
Cum passim incipiant queantque haberi
Romanae, meritas suo parenti
Grates, et tumulum volunt ad istum
Taedas perpetua micare luce,
Lucem perpetuis adesse taedis.

Alio sensu Joachimus Wolfius Germanus ejus facundiam extulit:

Excultas artes nuper sola Itala tellus
Cis Alpes patrio est ausa tenere solo.
Sed simul imperii transivit gloria, Musae
Mutarunt sedes, eloquiumque, suas:
Occupat has Hector boreale Boethius ora,
Captivasque sua sub ditione tenet.
In Scotiam si sic transmigravere Camoenae,
Forte olim imperii sceptra beata trahent.

Hectoris vero nostri haec fere publicata sunt, nec tamen omnia ad nos pervenerunt:

Catalogus Regum Scotiae lib. I.
Descriptio Regni Scotiae lib. I.
Paraenesis de Scotorum priscis recentibusque Institutis et Moribus lib. I.
Recensio de Serie Regum, ac Vicissitudine Imperiorum Britanniae, lib. I.
Regionum et Oppidorum per totam Britanniam vetera et nova Nomina lib. I.
Historiae Scoticae lib. XVII.
Ejusdem Historiae lib. II. additi a Ferrerio.
De Navigationibus lib. I.
Aberdonensium Pontificum Vitae: ita ipse vocat lib. IX. Hist. pag. CCXLVI.
Sermones et Lecturae lib. I.
Orationes lib. I.
Epistolae eloquentissimae, ait Balaeus, lib. I.

Non possum transire carmen Jodoci Badii Ascensii:

Hectoreas artes qui Marti adjudicat omnes,
Errat, et est Clius Hector hic arte potens.
Scilicet historiae, Livique decus Patavini,
Lacteaque ad Scotos transtulit eloquia.

Ferunt non mediocriter adjutum a quodam medico Aberdonensi, praesertim in texenda Historia.

Florebat et scribebat anno MDXXVI. quando obierit, non reperi. Illum sane Georgius Buchananus oblique perstringit, ac subinde

vellicat, religionis verius quam doctrinae ergo; sed laus illa virorum Catholicorum ab haereticis male audire.

BELISARIUS. 176.

BELISARIUS, poeta Christianus. An Scotus fuerit, ambigo. Scripsit Acrostichum in Sedulium Scotum. Extat tom. v. Biblioth. SS. Patrum.

Vivebat anno CCCCXL.

ALANUS BALANTINUS. 177.

ALANUS Balantinus domi bonis artibus vacare coepit, tum in Germaniam trajecit, aptissimam, ut ipsi videbatur, Musis sedem, atque ibi magna modestia studia excoluit, quae deinde in celeberrimis ibi gymnasiis docendo exercuit. Scripsit multa, sed apices vix deprehendi; tamen certo constat illum publicasse

De Astrolabio	lib. I.
De Terrae Mensura	lib. I.
Chronici universalis	lib. I. Et quia Eduardus Hallus in Histor. Anglicana illum laudat, ineptissime Anglum facit Pitsaeus cent. I.

Vivebat anno MDLX. In Germaniis obiit.

BRICMORUS. 178.

BRICMORUS, cognomento Sophista, canonicus regularis, Sanctae Crucis Edimburgensis alumnus, in Aristotele volvendo consenuit, unus ex iis qui e Scotia ex decreto concilii Viennensis ad Oxoniensem academiam, ut saepe hoc opere diximus, missus est. Scripsit

Hypomnemata in Elenchos Aristotelis	lib. II.
In ejusdem Topica	lib. IV.
In ejusdem Priora	lib. II.
In ejusdem Posteriora	lib. II.

Obiit in Anglia anno MCCCLXXXII. Continuator Forduni.

GREGORIUS BRIDLINGTONUS. 179.

GREGORIUS Bridlingtonus ab oppido Northumbriae, ubi educatus fuit, nomen accepit, eo scilicet tempore, quo Northumbria regi Scotiae parebat, in coenobio Glenluce monachum Cisterciensem induit, et maxima sanctitatis et eruditionis fama floruit: sed quia altus est in Northumbria, falso illum civem suum Angli fecerunt. Scripsit

Super Cantica	lib. I.
Super varios sacrae Scripturae Textus	lib. XXX.
Sermones	lib. I.
De Arte Musices	lib. III.
Lecturas publicas	lib. I.

Floruit anno MCCXVII. Hunc aliqui falso S. Augustini regulam amplexum scribunt, cum fuerit Carmelita.

BERENGUIDDUS. 180.

BERENGUIDDUS Scotus, et theologus acutissimus, etiam Sorbonensis facultatis socius, et eximius concionator, ut ex Jacobi Langii epistola quadam patet, scripsit

In Apocalypsin lib. I. quem vidi in Anglia in Collegio S. Benedicti Cantabrigiae.

Vivebat anno MCCCCXLVI.

BERNARDUS. 181.

BERNARDUS, cognomento Sapiens, concilio Claromontano sub Urbano II. interfuit, et ab eodem pontifice in Scotiam cum mandatis missus, auctor fuit multis optimatibus, ut arma pro tam sancta causa induerent, conscriptosque milites secutus bello sacro interfuit, et Arthesiae episcopus primus de Latinis est creatus. Gauter. Cancellar. Bell. Antiochen. pag. CCCCXLIX. Archiepiscopus Edessanus creatus, primus Christianorum sedem illam posse-

dit. Scotos autem sacro huic bello interfuisse docui multis ad Historiam Benedicti Accolti, et fatetur Torquatus Tassus heroico poemate lib. VII. numero LXVII. Fulcher. Carnotens. Gest. Peregrinor. cap. v. fin. Guibertus abbas, omnium ineptissimus qui bellum illud tractarunt, lib. I. cap. I. Urspergensis, et Sigebertus ad annum MXCV. Noster autem Bernardus inter Godofredi consiliarios prudentiae et moderationis laudem est consecutus. Scotichronicon. Scripsit

Ad Suffraganeos suos lib. I. Sedes autem episcopales sub Edessa sunt Virchi, Constantia, Garrum, Mariopolis, Varnon, Gedaron, Ymeria, Querquentia, Capsaron, et Callinicos.

De Urbe Hierusalem lib. I. Orditur suam historiam ab anno DCCCCLXX. ac perducit usque ad finem Godofredi.

De Bello Sacro lib. VII. Extant in Viennensi Caesarea Bibliotheca.

Floruit sub S. Malcolmo III. Scotia egressus est anno MCV. quando obiit, non deprehendi.

WALTERUS DE BALTRODI. 182.

WALTERUS de Baltrodi, monachus Sconensis, indeque translatus ad episcopatum Cathenensem, vir discretus consilio, et sanctitate vitae commendabilis, scripsit

Constitutiones Ecclesiae suae lib. I.

Obiit anno MCCLXX. Scotichronicon lib. X. cap. XXVII.

BRIXIUS. 183.

BRIXIUS, a teneris annis vitam monasticam amplexus, cum aetate in divinarum literarum notitia mirifice crevit, et annis satis juvenilibus prior celebris coenobii de Lesmohago renunciatus. Cum obiisset Richardus Moraviae episcopus, illi successit. Scotichronichon lib. VIII. cap. LXIV. Scripsit

Super Sententias lib. IV.

Homilias lib. I.

Obiit anno MCCXXII. Scotichron. lib. IX. cap. XXXVII.

GILBERTUS BROUNUS. 184.

GILBERTUS Brounus, Coenobii Novi in Scotia abbas. Id rex avuncu-
o meo Gulielmo Leslaeo, equorum suorum praefecto, dono dederat
um investitura singulari; at cum ad hujus manus devenisset, titulum
ecclesiasticum mira libertate restituit; quo nomine a praefervidis
Sathanae ministris exagitatus, probitatis suae poenas dedit exilio.
Scripserat, aut verius in unum corpus coacervaverat,

Capita Fidei controversa, quae sectarius minister Joan. Welshe impugnavit, lib. I.

Historiam labentis in Scotia Religionis Catholicae lib. I.

Obiit Lutetiae inopia, ea claritudine indigna, anno MDCXII. die XIV. Maii.

RICHARDUS BROUNUS. 185.

RICHARDUS Brounus, superioris nepos, et exilii comes, Lutetiae serio
onis artibus incubuit. Scripsit

Additionem, aut Appendicem ad patrui Historiam, lib. I.

Obiit Lutetiae anno MDCXVII.

JO. BROUNUS. 186.

Jo. BROUNUS, religiosissimus Minimorum, quos vocant, ordinis sub
Sancti Francisci de Paula regula, sacerdos, multos pro fide labores
perpessus, inopiam ac carceris apud suos populares ignominiam et
ustinuit non semel fortiter, et sprevit semper gloriose, egregius
Christi miles, haereseos professores multoties coram confundens, Ca-
holicae causae veritatem asseruit. Scripsit erudite

De Benedictionibus XII. Patriarcharum lib. I.
Contra Judaeos de Trinitate lib. I.
De Incarnatione lib. I.
De Adventu Messiae lib. I.
De Beata Virgine lib. I.

De praecipuis Fidei Mysteriis lib. I.
Variloquium Hebraicum lib. I.
Controversa Fidei Capita lib. I.
Evictionem Ministrorum Scotiae lib. I.

Vivit adhuc, et, ut puto, Dei gloriam in Scotia gnavus procurat, et audio jampridem squalorem carceris declinasse.

GULIELMUS BECKLEY. 187.

GULIELMUS Beckley Carmelita, eximia eruditione ac pietate insigni, monachum in Scotia induit, tum patriae fato exul factus in Gallias se contulit, tum a rege Scotiae Jacobo III. domum revocatus substitit in Anglia, ut in Collectionibus Gilberti Brouni habetur. Imprudens est Joannes Pitsaeus, qui Anglum facit, cum Scotum praeter nostrates eum faciat R. P. M. Thomas Saracenus, sacrae theologiae doctor Bononiensis, et Ferrariae exprofessor. Scripsit

Quodlibeta quaedam lib. I.
De Fraterculorum Decimis lib. I.
Quaestiones ordinarias lib. I.
Conciones varias lib. I.

Floruit anno MCCCCXXXVIII.

WILHELMUS BENYNG. 188.

WILHELMUS Benyng, prior de Neubottel, et postea abbas Cupri, vir insigni pietate, nec minore literatura, religiosi voti diligens observator, scripsit

De Vita Sancti Jo. Scoti, nati in villa Podoen prope Cestriam in Anglia, sed deinde Sancti Andreae episcopi electi, lib. I.

Vixit anno MCLXXXVIII. Elegantem porro illum libellum vocat Scotichronicon lib. VI. cap. XL. Alia edidit, sed non extant, neque apices ad me venerunt.

ALEXANDER BETONUS. 189.

ALEXANDER Betonus, nobilis genere, nec virtute dispari, in Patavino Lyceo medicinae doctor non ita pridem renuncia-

is summa sui et patriae fama, ut audio, scripsit

Poemata varia	lib. I.
Epigrammata varia	lib. I.
Observationes circa veteres Medicos	lib. I.

Vivit adhuc apud suos, et Hippocratem illustrat.

S. BIGITANUS. 190.

. BIGITANUS eo florebat seculo, quo nostrates Europam celeberri-ia suae pietatis fama repleverant: itaque tunc Fursaeus, Foillanus, Ultanus extra patriam, domi vero non minus insignes, Connanus, Chroniacus, Dimaus, Damianus, et Bigitanus, omnes episcopali dig-nitate ac vitae sanctitate perillustres. H. Boethius libro IX. Hist. Scot. pag. CLXXVI. Jo. Leslaeus lib. IV. pag. CLIX. Ubi tamen Bigi-anus episcopalia munia in Scotia exercuerit, incertum: puto quia aetate illa nulli certae civitati episcoporum cura alligata. Scripsisse perhibetur

De Religionis apud Scotos Progressu	lib. I.
Epistolas ad varias Ecclesias	lib. I.

Floruit anno DCLXIV. Colitur die XV. Januarii.

HUGO DE BENHYEM. 191.

HUGO de Benhyem, Aberdoniae episcopus XI. Romae a Martino IV. pontifice inauguratus, post annum in Scotiam redux gravem inter populum et clerum controversiam de decimis, praesente rege, com-posuit, ac causas futurae dissensionis penitus sustulit. Scripsit, ut in vita ejus habetur,

Provincialium Statutorum Sanctiones	lib. I.
Novas Episcoporum Praerogativas	lib. I.

Catarrho defluente exstinctus est anno XXIX. Alexandri III. re-gis, humanae salutis [MCCLXXIX.]

JACOBUS BRUNUS. 192.

JACOBUS Brunus, Aberdoniensis ecclesiae decanus, sacris literis ex-cultissimus, scripsit

Notas in utrumque Testamentum lib. I.

Floruit anno MDXX. Boethio memoratus in vita Gulielmi Elphinstoni.

ARTHURUS BOETHIUS. 193.

ARTHURUS Boethius, Hectoris frater, vir rarae eruditionis, cultissimae eloquentiae, et a vulgari abhorrentis, gravis dictionis et candidae, juris pontificii doctor, scripsit

Excerpta ex Jure Pontificio, quae sunt veluti Paratitla, lib. I.

Docebat Aberdoniae anno MDXX.

ALEXANDER BARCLAYUS. 194.

ALEXANDER Barclayus Scotus, ut retulit ipse Joannes Pitsaeus aetate XVI. ab habitu D. Benedicti ad Franciscanos, puta a facilioris vitae libertate ad severioris regulae observantiam, transivit; poeta et orator in paucis celebris, Thomae Cornitii, Tavenensis antistitis, capellanus, tum Bathoniensis episcopatus suffraganei. Scripsit, seu verius ex Latino Anglicos fecit,

Mancium de Virtutibus	lib. I.
Vitam S. Margaretae	lib. I.
Vitam S. Catharinae	lib. I.
Vitam S. Ethelredae	lib. I.
Vitam S. Georgii, ex Mantuano,	lib. I.
Quinque Eclogas ejusdem	lib. I.
Castellum Laboris	lib. I.
Bucolicon Codri	lib. I.
Eclogam quartam	lib. I.
Navem stultiferam	lib. I.
Contra Sceltonum	lib. I.
De Miseriis Aulicorum	lib. I.
Sallustium de Bello Jugurthino	lib. I.
De Pronunciatione Gallica	lib. I.

Obiit Croydonae in Anglia anno MDLII. mense Junio.

THOMAS DE BARRY. 195.

THOMAS de Barry, canonicus Glascuensis, et primus praepositus de Bothwel, vir elegantis ingenii, et disertus, scripsit

De Praelio Otterburnensi, seu de Victoria Scotorum Duce Comite Duglassio, contra Anglos Duce Comite Persaeo.

Vixit anno MCCCXC. Scotichronicon lib. XIV. cap. L.

STEPHANUS BROUNUS. 196.

STEPHANUS Brounus, Carmelitani ordinis monachus, unus ex duodecim viris summae apud suos auctoritatis, quos ideo Eduardus I. Angliae rex, tyrannice vexata Scotia, Oxoniam ablegavit, ibique per suum nefas invitos veluti in custodia tenuit, ne conatus suos impedirent. Jo. Leslaeus lib. Hist. Scot. Meminit etiam ejus Conradus Tremonius, Carmelita Germanus, in Catalogo Episcoporum sui ordinis. Fuit hic, si quisquam, eo aevo in sacris literis erudite versatus. Ejus sunt:

Conciones eruditae, ait Balaeus,	lib. I.
Lecturae in Theologia	lib. I.
Psalterii Expositio	lib. I.
Epistolae	lib. I.

Florebat anno MCCCXL.

JACOBUS BALLANTYN. 197.

JACOBUS Ballantyn, S. theologiae doctor, archidiaconus Moraviensis, laboriosa cura et incredibili studio artes omnes humanas, atque etiam divinas, percepit. Ejus sunt:

Boethii Historiae Versio in Scoticum	lib. XIX.
Historiae Scoticae Cosmographia	lib. I.
Albaniae Descriptio	lib. I.
Epistolae ad Jacobum V.	lib. I.
De Litera Pythagorae	lib. I.
De Virtute et Voluptate	lib. I.
Super quodam Somnio	lib. I.
Diversi generis Carmina	lib. I.

Obiit Romae anno, ut puto, MDL.

JACOBUS BASSANTINUS. 198.

JACOBUS Bassantinus omnes sui seculi mathematicos longe post se reliquit; in Galliis et Germaniis bonas artes et didicit et do-

cuit. Ejus ad me venerunt:

Super Astrologia, ingens et doctum volumen ter editum Latine et Gallice, lib. I.
Super Mathematica Genethliaca lib. I.
Arithmetica lib. I.
Musica secundum Platonicos lib. I.
De Mathesi in genere lib. I.

Floruit anno MDLXIV.

BUNDEVICA. 199.

BUNDEVICAM quandam, Amazonio ritu bellicosam, inter nostrates eruditione et scriptis insignes referunt. Haec Scotorum regis filia, Britannorum, qui nunc sunt Angli, regina, multa contra Romanos strenue gessit, coloniamque delevit. Tacitus, Dio, Xiphilinus. Quam scripsisse volunt varia, et in his,

Conciones Militares lib. I.
Querelam suorum Temporum lib. I.
Epistolas ad Principes Provinciarum (Balaeus) lib. I.
De excutiendo Jugo Romano lib. I. Andreas Tiraquellus, Nobilit. cap. XXXI. num. CCCXVI.
De Obsidionibus Urbium lib. I.
De Exercitu pedestri ducendo lib. I.

Vixit anno salutis CX. sed nihil ipsius praeter nomen ad me pervenisse fateor: fides sit penes illos. Eam extulit eleganti et suavi versu Edmundus Spenserus, poeta doctissimus, in Ruinis Temporis.

GEORGIUS BUCHANANUS. 200.

" GEORGIUS Buchananus, Minorita excucullatus, Bacchicus histrio, et atheus poeta," inquit Gilbertus Genebrardus Chronologia ad annum MDLXXII. De religione enim Catholica pessime est meritus, et ideo contumeliosas voces facile viro religioso dono, cui majoris fuit momenti pietas quam eruditio. Paucis totam ipsius vitam attingam. Nobili loco in Levinia natus, sed tenui, prima studia in patria, mox Parisiis exercuit; vir factus, ma-

ıa cum gloria Lutetiae est professus bonas artes, tum Burdegalae, deinde in Lusitania, ubi periculum adiit, ad quaesitores imetatis delatus; inde in Angliam, et festinato cursu in Liguriam ıntendit, Timoleontis Cossaei pueritiae admotus, cujus pater prorex agnos exercitus ea in gente ductabat. Tandem ad Scotos suos edux, Jacobo VI. regi, qui nunc totius Magnae Britanniae sceptra nus conjunxit, erudiendo praepositus, praeter viri boni partes omia exsecutus, principi sanctissimae, reginae ac dominae suae, famam levare contumeliosissima satyra quatuor libris Historiae suae ultiıis est conatus, mercenarius scilicet Jacobi nothi, qui tum manis conatibus, proregis auctoritate, ad principatum tendebat. Ejus unt:

Grammaticae Thomae Linacris ex Anglico in Latinum Versio (Gesnerus) lib. I.
Axiomata (Balaeus) lib. I.
Historia Scotorum lib. XIX.
De Jure Regni apud Scotos lib. I. quo opere cum Hottomanno et aliis haereticis regiam auctoritatem acriter impugnat.
Psalmi Davidis CL. versu elegantissimo, quos musicis legibus accommodavit Jo. Servianus, et edidit Lugduni anno MDLXXIX.
Tragoediae IV. quarum prima Jephthes ultima publicata, lib. I.
Silvae lib. I.
Miscellanea lib. I.
Hendecasyllabi lib. I.
Elegiae lib. I.
Epigrammata lib. II.
Alia indigna hic referri, quod iis et S. R. E. majestas, et religiosa D. Francisci familia, non vulgariter offendatur.
Chamaeleon lib. I. quo opere Lidintonium mutabiliorem chamaeleonte carpserat. Gul. Camden. Hist. Ang. ad annum MDLXXIII.
Detectio in Mortem Darnlii Reginae mariti, opus tur-

bulentum, quo ille sanctissimam feminam caedis accusat, lib. I. Idem Camdenus ad annum MDLXVII. princ.

De Rebus gestis Hispanorum ad Dium in India, liber tersissimus, editus supposito nomine Jacobi Tevii primum in Hispania, tum Romae, lib. I.

Iambi Simonidis ex Stobaeo lib. I. Prodiit ea versio tom. II. Poetarum Graecorum.

Ut hominis igitur impietatem damno, ita laudibus in eruditione non vulgaribus lubens faveo. Praeclara itaque de eo testimonia doctorum extant. Adrian. Turneb. lib. I. Adversar. cap. II. "Neminem esse in Gallia existimo paulo humaniorem, cui Georgius Buchananus non sit notus, non solum eximius poeta, verum etiam vir omni liberali eruditione non leviter tinctus, sed penitus imbutus." Joan. Rayus, "inaccessam Buchanani divinitatem" (ut ipse ait, de opere, non de homine sentiens) admiratus, imitatus Julii Scaligeri de Virgilio versus, sic canit:

Mirande vates, fons beati carminis,
Latina Siren, patriae
Illustre decus, et mel leporis Attici,
Doctissime nepos Romuli,
Latinae Athenae, Flacce duplex, et triplex
Homere, mens poeseos,
O absque vitio monstrum, et absque fluctibus
Pontum profundum, nubibus
Coelum absque purum; O posteris miraculum! &c.

Joannis Posthii, archiatri Palatini, Latinum epigramma, et duo Graeca Joannis Lundorpii, editioni ultimae operum Buchanani praefixa, videantur, tam felicis et tam sublimis ingenii poetae. Non defuit tamen qui ignaviae patrum memoria argueret homo Italus dicax, et ignaviae summae, a Joanne Matthaeo Toscano inter Carmina illustrium Poetarum Italorum tom. I. publicatus, pag. LXXXVI.

Sugillat, dum laudare vult videri, Gulielmus Camdenus Histor. Anglic. ad annum MDLXVII. in principio: "Buchananus partium studio, et Moravii munificentia abreptus, ita scripsit ut libri isti falsitatis damnati sint ab ordinibus regni Scotiae, quorum fidei plus tribuendum, et ipse coram rege, cui fuit paedagogus, ingemiscens subin-

de se reprehendit, quod tam virulentum calamum in reginam bene meritam strinxisset, moriensque optavit ut tantisper superesset, donec maculas quas maledicentia falso asperserat, revocata veritate, vel sanguine elueret." Et ad ann. MDLXVIII. " Buchananus in Moravii verba juratissimus :" fuit enim inter illos qui contra reginam Eboracum perduelles convenerunt, Deo hominibusque invisi. Et ad annum MCLXXXII. " Buchananus factiosorum causam contra principes jam antea suscepisse dolenter ingemuit, et paulo post obiit. Vir qui nec coelo, nec solo, nec seculo erudito, ut ille cecinit, natus, ad summum tamen poeticae facultatis culmen tam feliciter ascendit, ut poetarum hujus seculi princeps merito habeatur." Magna sane laus Scoti ex ore Angli, nisi invidiae et malignitatis hostilis sale temperaretur: nam cur coelum solumque Scoticum aversatur, Anglicum in eadem insula et vicinia laudet? Dicet se nescire cosmographus? Hanc tamen immerenti Scotiae impactam contumeliam tot viri ingenio clari eluent, et tibi, ut opinor, mi lector, felix eruditumque Scotiae coelum et solum a bis mille retro annis facile persuadebunt: seculum autem illud cur eruditum esse et haberi non debeat, cum et literae Graecae quasi ab Orco revocatae, et humaniores aliae literae, ipsaque philosophia, theologia, mathematica, medicina ita floruerunt, ut certatim Itali, Galli, Germani, Belgae, Anglique, ac Scoti nostri in id studiorum tam acriter incubuerint, ut vetustatis Romanae, et aureae ipsius sub Augusto aetatis, prae cura nostri seculi hominum, pudere potuerit? Discat ergo Anglus moderatius loqui; et ego ad Buchananum redeo, de quo idem ad annum MDLXXXIV. " Buchanani Historia, et de Jure Regni apud Scotos Dialogus, probrosa in regem, ejus matrem, et consiliarios scripta, interdicta, ut quae multa culpanda et delenda contineant." Satyrica haec, et impietatis plena scripta Buchanani et Knoxii ipse rex Jacobus toto regno suo proscribit et eliminat; nam lib. II. Basilici Dori pag. CLV. ita filium suum rex alloquitur: " Proximum est, ut te ad lectionem hist. authenticarum, et chronologias evolvendas adhorter, praesertim vero in domesticis nostris historiis te versatissimum esse cupio, ne sis domi peregrinus, nam et istiusmodi exempla te propius attingunt; neque tamen famosos illos libellos Buchanani, aut Knoxii Chronica intelligi hic volo: si quod hujusmo-

di scriptum superstes inveneris, ejusdem depositarii legis severitatem sentiant, nam in eo Pythagorae discipulum te esse velim, ut existimes ipsos manes istorum seditionum flabellorum μετεμψυχώσει quadam in eorum corpora transisse, qui eorum vel libros retinent, vel dogmata defendunt, quos non minore supplicio plectendos censeo, quam si ipsi auctores jam a mortuis essent resuscitati." Hucusque ipse princeps. Jacobus vero Gretserus, gravis Societatis Jesu theologus, Commentario Exegetico pag. XXXII. " Optime, rectissime, et meritissime serenissimus rex sic statuit: nihil enim his duobus in reges immodestius et impudentius, nihil calumniosius. Haec quidem non ingenium, sed perversam fidem attingunt, eruditionem nemo vituperat." Atque Itali quidem illiteratissimi literionis criminatio, quam falsa sit, et res ipsa abunde loquitur, et tot doctorum versus diluent. Georgius Fabricius Chemnicensis de Re Poetica: " Psalterium verterunt Germani aliquot pie, Itali, ut solent, eleganter, imprimis Flaminius, sed nunc omnium industriam vicit Buchananus, Scotus, varietate sententiarum, et puritate sermonis." Nec minus honoratam ingenii illius fecere mentionem Germani; in his Christophorus Manlius:

Dum Jephthen tragico Buchananus syrmate vestit,
Dum Latia Isaiden tangere plectra docet,
Dum castis sic tincta jocis epigrammata ludit,
Ut metuat palmae Bilbilis ipsa suae,
Cernis ut ad Scotos migrent, Helicone relicto,
Laurigerae tanti vatis amore Deae?
Nec vivo hoc reditus spes est: utrum ergo vocabo,
Langi, Heliconiades, anne Caledonides?

Et rursus ad Jo. Langium:

Illic imperium fore jactavere Quirites,
Esset ubi sedes, Scipio magne, tua.
Illic Pierides, illic erat alma poesis,
Illic Phoebus erit, qua Buchananus erit.

Celebrat Paulus Melissus ad Cissam:

Quod lyra nulla polo fulget, quam vindicet Orpheus,
Hanc spolium vates Scotus ab axe tulit.
Si qua tamen cygnum prope lucet in aethere, Cissa,
Davidis haec cithara est, non lyra Threicii.

Cultum de eodem est Henningi Cunradini carmen:

Tantum Scotia protulit poetam,
Quamvis sit sub iniquiore coelo,
Quantum non capit ipsa tota regno.
Vix Graii et Latii tulere tantum,
Quamvis sint sub amoeniore coelo,
Quantum Scotia protulit poetam.

Stephanus senior:

Ecce Caledonia Maro, Naso, et Flaccus in ora,
Pro Jove nunc discunt posse sonare Jovam.

Idem alio epigrammate:

Davidis hic corpus, sed tectum veste Latina,
Quae picta est Flacci, picta Maronis acu.

Paulus Melissus Francus:

Diversos multi varie elicuere sonores,
Aptando Latiae plectra Syrissa lyrae.
Barbiton hic citharaeque fides, chelyn increpat alter,
Et suus ex merito quemque secutus honos.
Quod, Buchanane, canis, modulamina caetera vincit,
Ceu reliquas liquidae Daulia vocis aves.
Et quisquam dubitet plenis edicere buccis,
Haec superat cunctas buccina clara tubas?

Nec minus celebre encomium de eo est apud Stephanum Paschasium in Iconibus, in Delitiis Poetarum Gallorum tom. II.

Virgiliis, Flaccis, Nasonibus, atque Catullis,
Hisne ego sim tantis vatibus inferior?
In genere unicuique suo concedo; sed in me
Collige cuncta simul, plus ego promerui.

Idem alio epigrammate:

In te uno quod sint multi, Buchanane, Marones,
Ac dederint talem secula nulla virum,
Hoc de te primo coelum spondebat ab ortu,
Nomine subque tuo nomen et omen erat.
Nam canere est vatum; vatum tuba, buccina, bucca,
Et canis annis nobilitatur opus.

Haec tua sunt, Buchanane, tuoque in nomine cuncta,
Canus et annus, item buccina, bucca, cano.

Carolus Utenhovius:

Tres Italos Galli senos vicere, sed unum
Vincere Scotigenam non valuere novem.

Est et praeconium eximium ejusdem, apud Conradum Rittershusium in Commentariis ad Oppianum, Jul. Caesaris Scaligeri:

Felix Georgi, lacteae venae pater,
Quae ditat immensum mare, &c.

Idem pleno ore:

Heri legebam nuper allatum mihi
Sapidum, tenellum, molle carmen, aureum,
Intelligendum vel puellis omnibus,
Si splendor, atque puritas, decus, nitor
Animum subire luculentum ullum queat;
Intelligendum non facile doctis viris,
Nisi mentis excitetur ardor efficax,
Sententiarum propter ardorem merum, &c.

Alius nominari indignus:

Aonidum immortale decus, Buchanane, sororum,
Namque tibi extremae prope nato ad littora Thules,
Os tenerum Aonides sic formavere puellae,
Sic Graio pariter melle illevere labella,
Pectora Romano sic implevere sonore,
Ut te Roma, licet Scotorum ad littora natum,
Aequoreas inter cautes, atque horrida cete,
Tanquam urbe in media civem sibi vindicet ortum.
Inde autem magni te Mantua clara Maronis
Juret stirpe satum, at contra Verona Catulli;
Asserat hinc Venusinus, et hinc Pelignus, et inde
Corduba te repetat, repetat quoque Bilbilis inde.
At vatem interea Buchananum, Scotia, jactes
Una tuum, felix tantis natalibus una:
Macte quoque ingenii tanta virtute, Georgi,
Aeternum, et Latii spoliis ornatus opimis,
Invidiaque omni major, Buchanane, triumpha.

Andreas Melvinus Georgio Buchanano praeceptori suo, et Musarum parenti:

Nuper te, Buchanane, cum viderem
Aegrum, languidulum, toro jacentem,
Et fato, et capulo, heu! nimis propinquum,
Visus tum mihi sum videre Musas
Aegras, languidulas, toro jacentes,
Et fato, et capulo, heu! nimis propinquas.
Tum sensi ut meliuscule te habere,
Nec tristi vigilem toro jacere,
Verum exsurgere, munia ampla obire,
Regem visere, regis et senatum:
Mox Musas meliuscule se habere,
Nec tristi vigiles toro jacere,
Verum exsurgere, munia ampla obire,
Regem visere, &c.

Natus est calend. Februar. anno MDVI. obiit vero XXVIII. Septemb. anno MDLXXXII. ut in Indice Chronologico observatur; quo magis mirari subeat amentiam contumeliosissimi apostatae Balaei, qui centuria XIV. numero LXXI. "Buchananum" ait "evangelium magno fervore docuisse, ac deinde igne crematum ob veritatis professionem a Sodomae tyrannis." Impostura multiplex, nam neque ille unquam evangelium docuit, ut vita a se scripta ante mortem biennio testatur; neque igne crematus, cum praeceptor regis Jacobi, ut dixi, Edimburgi decesserit, Bucholzeri pag. DCCXVII. sed haeresis mendaciis crescit, et nihil tam impurum quod Balaeo non sit dignum. Epitaphium ejus a Josepho Scaligero conditum apponam, quia elegans, et vera laude plenum, nec tam ipsum laudat, quam patriam.

Postquam laude tua patriam, meritisque beasti,
Buchanane, tuis solis utrumque latus,
Contemptis opibus, spretis popularibus auris,
Ventosaeque fugax ambitionis obis,
Praemia quina quater Pisaeae functus olivae,
Et linquens animi pignora rara tui:
In quibus haud tibi se anteferent, quos Itala vates
Terra dedit; nec quos Gallia mater alit,

Aequabunt genium felicis carminis, et quae
Orbis habet famae conscia signa tuae:
Namque ad supremum perducta poetica culmen
In te stat, nec quo progrediatur habet.
Imperii fuerat Romani Scotia limes,
Romani eloquii Scotia finis erit.

HENRICUS BLACVODAEUS. 201.

HENRICUS Blacvodaeus Sanctandreanus clarissimo nomine philosophiam Lutetiae profitebatur anno salut. MDLI. ut in actis academiae ejusdem; exinde medicinae doctor eam artem ingenti suo nomine, multorum vero commodo, praecipue peste saeviente, ibidem exercuit. Ejus sunt edita:

In Organum Aristotelis Commentaria	lib. I.
Collatio Philosophiae atque Medicinae	lib. I.
De claris Medicis	lib. XII.

MSS. vero apud heredes quam plurima: in his,

Animadversio in omnes Galeni Libros	lib. I.
Hippocratis quaedam cum MSS. collata	lib. I.
In Alexandrum Trallianum Comment.	lib. I.
Locorum quorundam Plinii Explicatio	lib. I.

Obiit Lutetiae anno MDCXIV.

ADAMUS BLACVODAEUS. 202.

ADAMUS Blacvodaeus, frater Henrici, eodem etiam tempore eidem studio Parisiis se addixit; nam ubi celebratissima eruditionis fama, et maximo auditorum concursu publice philosophiam fuisset professus, in famulitium augustissimae Scotorum reginae ascitus et boni subditi et literatissimi viri partes implevit; tum demum in municipalem Pictonum curiam allectus, judex aequissimus habitus, gloria abunde parta, senio confectus excessit. Ejus sunt infinita, sed in manus meas venerunt pauca.

Martyrium Reginae Scotiae	lib. I.
Jesabelis Anglicanae Vituperium	lib. I.
Scotici Regni cum aliis Comparatio	lib. I.
De stabili Scotorum Fide post susceptam Evangelii lucem	lib. I.

Orationes disertissimae lib. I.
Epistolae lib. I.

Obiit Augustae Pictonum decurio anno MDCXV. Vide infra, *Jones Irlandus*, lib. IX.

GEORGIUS BLACVODAEUS. 203.

GEORGIUS Blacvodaeus, Henrici et Adami affinis, Dumfermilini natus, non levi nomine Parisiis philosophiam professus, edidit

Compendium Logicae lib. I.
Compendium Physicae lib. I.

Quando obiit, non reperi; at profitebatur Lutetiae anno MDLXXI.

THOMAS BICARTON. 204.

THOMAS Bicarton Sanctandreanus, quas in Scotia domi bonas artes didicit, in Galliis docuit apud Pictones et Xantones. Edidit

Miscellanea lib. I.
Poemata Latina lib. I.
Poemata Gallica lib. I.

Florebat anno MDCXIV.

ALEXANDER BODIUS. 205.

ALEXANDER Bodius, nobili loco natus, literas optimas et studiose coluit et honorifice exercuit. Multa scripsit memoratu dignissima, sed ego tantum typis mandata vidi, eleganti sane stylo, et antiquitatem sapiente,

Epigrammata lib. II.
Heroidum Epistolas lib. I. imitatione Ovidiana, ad cujus dignitatem prope accessit.

Obiit anno MDLXXXII. in Galliis.

HENRICUS BRUSIUS. 206.

HENRICUS Brusius Fifensis illustri aestimatione sui et patriae Daniam, Sarmatiam, ac Germaniam lustravit, principibus

ubique gratus; demum concurrentibus in Britanniam literatis ad Jacobi regis inaugurationem veluti ad agonem Albanum, ipse eo etiam se contulit, ubi cum pauculos in aula menses vixisset, dum manus ablueret, intercepto spiritu, interiit, cum ipse ex astrologia diu antea deprehendisset, nec publicare cessisset, aqua se periturum. Fuit vir moribus sinceris, et comi affabilique vitae consuetudine: eum elegia commendat Henricus Hussanus Isenacensis. Scripsit

Principum quorundam Geneses	lib. I.
In Algebram Commentaria	lib. I.
In Opticen Conclusiones	lib. I.

Ac nescio quid in controversia quadam cum patribus Jesuitis.

Obiit Dantisci anno MDCXI.

GUILIELMUS BARCLAIUS. 207.

GUILIELMUS Barclaius Aberdonensis, si non nobili, saltem honesto loco natus, summa claritudine ingenii XL. annis totis in Ponti-Mussana academia jus publice professus, paucos suo aevo jurisconsultos pares, superiorem nullum habuit. Ex Anglicano secessu, quo regi Scotia egresso congratulaturus se contulerat, Mussipontum redire frustra fuit: vocatus itaque ab Andegavensibus primarius antecessor in ea academia senectam aquilinam honestissimis studiis oblectavit. Ejus sunt:

De Potestate Papae (suspectum opus)	lib. I.
Contra Monarchomachos	lib. I.
In titulum de Pactis	lib. I.
In titulum de Jurejurando	lib. I.

Sed duo prima opera multorum doctorum lucubrationibus sunt agitata; nam, ut illustriss. Robertum Bellarminum omittam, scripsit in eum Josephus Bonfadius Venetiis, et Adamus Reutterus Codbus Marpurgi.

Obiit Andegavi ultima senecta et penuria anno MDCXI.

JOANNES BARCLAIUS. 208.

JOANNES Barclaius, medicinae doctor, vir fuit sine dubio literatissimus, sed ad me pauca ipsius scripta pervenerunt; unicum tan-

ım opusculum vidi, vernacule editum, sub titulo,

Nepenthes, seu de Nicotianae Herbae Viribus, lib. I.

Vivit adhuc in Scotia.

ROBERTUS BALFOREUS. 209.

ROBERTUS Balforeus, sui seculi phoenix, Graece et Latine doctissiıus, philosophus et mathematicus priscis conferendus; ad haec inredibili morum suavitate, caritate in populares suos et cives rarisma, ac veluti totius gentis sacra anchora; triginta jam annis Lycem Burdegalense summa prudentia est moderatus, cujus claritudini on parum splendoris accessit ex judicio DN. Candalii, qui eum tesımento honoravit, libris suis omnibus mathematicis ei legatis. Ejus ınt:

Cleomedes Graece et Latine cum notis lib. I.

Concilium Nicaeum Graece et Latine cum notis lib. I. Gelasius Cyzicenus Graece commentarium in Acta illius Concilii ediderat, hic civitate Latina donavit; prodiit Parisiis.

Commentaria in Aristotelis Logicam lib. I.

Commentaria in Aristotelis Physicam lib. I.

Commentaria in Aristotelis Ethicen lib. I.

In Mechanicas Aristotelis Notae; quas anno deinde sequente Josephus Blancanus Soc. Jesu presbyter alio commentario illustravit, sed tanta proximitate, ut facile appareret eadem studia colentibus eandem interdum esse industriam et eventum.

Vivit adhuc Burdegalae, amicorum subsidium, et gentis ornamentum.

GUILIELMUS BELLENDENUS. 210.

GUILIELMUS Bellendenus, sive Ballantinus, honestissimo bonaum artium studio Parisiis inclaruit professor in academia, paonus causarum in supremo Galliarum senatu; tum demum oraoris munere honestatus principibus suis, Reginae Mariae, filioue Jacobo, fidelem operam navavit, a quo posteriore magistri li-

bellorum supplicum elogio honorifico est donatus. Ejus sunt:

Princeps Ciceronis	lib. I.
Orator Ciceronis	lib. I.
Senator Ciceronis	lib. I.
In omnia Ciceronis Opera Observationes	lib. I.

Vivit adhuc Lutetiae, et plura molitur.

GUILIELMUS BARCLAIUS. 211.

GUILIELMUS Barclaius, nobilissimo loco ortus, baronis Tauvi frater, generis magnitudinem ingenii felicitate depressit. Parisiis humaniores literas cum ingenti omnium admiratione professus est, quas Lovanii in schola Lipsii didicerat, cujus ad eum est epist. XXXIII. centur. III. Inde in Scotiam profectus aliquantisper substitit, donec ministri illi Sathanae magna eum molestia afficientes solum vertere coegerunt, qui in Galliis iterum docere bonas artes sustinuit Nanneti in Britannia Minore.

Ejus sunt multa; in his,

Commentarius in Vitam Julii Agricolae Cornelii Taciti (non placet mihi, nec tanto ingenio dignus videtur)	lib. I.
Genethliacon Jacobi Regis	lib. I.
Orationes	lib. I.
Declarationes	lib. I.
Epistolae, eloquentissimo stylo,	lib. I.
De Aquis Spadanis	lib. I.

Vivit adhuc in Scotia, et medicinam, ut aiunt, popularem exercet.

GILBERTUS BURNATUS. 212.

GILBERTUS Burnatus, nobili ortus familia, bonas artes domi didicit, quas deinde foris magna ingenii gloria et ostentatione doceret. Itaque lustrata Germania, professus etiam in celebrioribus academiis philosophiam, venit Volcas Arecomicorum, ubi viginti jam retro annis eidem professioni cum laude, et nominis aestimatione incumbit. Scripsit

Praefationes solemnes lib. I.
In Ethicen Commentarium uberem lib. I.
In Politicen Aristotelis Observationes Historicas lib. I.
Epigrammata Graeca et Latina lib. I.

Vivit adhuc ibidem loci, vir suavissimo morum temperamento.

ROBERTUS BRUSIUS. 213.

ROBERTUS Brusius, Calvinianus, regius concionator, ac regiae majestati juratus hostis, ac contumax perduellis. Reliqua omitto in caput optimi regis machinamenta, unum sufficiet crimen, cui diluendo nulla erit par unquam facundia. Cum rex anno MDXCVI. die XVII. Septembris, allegisset in senatum pios quosdam et Catholicos viros, indicta sunt statim comitia, quibus de rege in ordinem redigendo, ex evangelii praescripto est actum; secundum ea Robertus Brusius literas dedit ad comitem Hamiltonium proximum regni haeredem, plenas quidem illas impii in regiam majestatem consilii, quarum hic tenor est fideliter ex Scotico in Latinum versarum.

" Non ambigimus quin jam audieris quid secutum sit ex colloquio, inter nos et Majestatem suam habito, crebra utrinque altercatio, atque etiam a constitutis discessio: illa specie fiduciae et induciarum, multa sibi arrogavit, donec tandem malignitas palam facta est. Eo demum res devenit, ut stipendia abrogarentur, commeatus publicorum comitiorum abolitus, deputati urbe excedere jussi, David Black perduellii convictus custodiae mancipatus, et nos lege jam lata parem poenam passuri, et ad ultimum magnus piorum numerus, maximeque illi qui ferventiori studio piam hanc religionis causam amplexi, urbe pulsi; ita ut populus excitatus partim, ut apparet, vi verbi sacri, partim ne vis nobis inferatur tam violento rerum cursu, ad arma cucurrerit, cum videret nos suos pastores peti; sed nos Deo propitio hunc furentis multitudinis concitataeque tumultum e vestigio repressimus. Nihilominus pii barones et nobiles, qui hic in urbe erant, coierunt, ac patrocinium in se ecclesiae pastorumque ultro susceperunt. Deest factioni caput et primarius aliquis nobilitatis ductor, qui res tam ancipites praesens auctoritate sua firmet, ac contra regem tueatur. Quare unanimi consensu imposita fuit mihi ad te scribendi provincia; et cum is ho-

nor tibi potissimum a Deo destinetur, nos non potuimus non sequi eum in re tanti momenti vocantem, et tibi significare ut expeditissima diligentia huc festines, ut pronum erga tam bonam causam affectum palam facias. Age ergo viriliter, auctoritatem tuam impavidus interpone, nec honorem tibi debitum Deo offerente recusa; quod nos alacriter te facturum confidimus, et sperant multi, optant omnes. Vale Edimburgo die XVII. Septemb. MDLXXXXVI." Ita ille.

Hae sunt tam piae scholae Calvinianae velitationes, haec praeclara novatae religionis inter Christianos dogmata, regibus se palam opponere, multitudinem ad arma vocare, principes coronae propinquiores spe successionis in regum caput armare, conciliabula illicita in principum perniciem, legumque subversionem crebro convocare, magistratum supremum et sacrosanctum per vim praepostero pietatis obtentu in ordinem redigere, coelum miscere terrae, potius quam libidini suae non obsequi; uno verbo dicam, evangelium Jesu Christi seditionis impurae buccinam facere, unctumque a Domino nefarie violare. Comes Hamiltonius, ut erat sagaci animo, propensoque in regem obsequio, Majestati suae literas has ostendit, verbis quibusdam exemptis, quo et regem imminentis periculi commonefaceret, nec tamen in ministros exacerbaret; quare Brusius commotior secundas denuo ad eum dedit, quarum hic typus.

"Non possum satis mirari me impune et immerito sic a te traduci; audio literarum, quas ad te dedi, copiam te regi fecisse, sed ita vitiatas, truncatas, et immutatas, ut vix umbram nudam prototypi servent. Sciebam te semper natura fuisse facilem, nunquam tamen antea probatam habebam levitatem; et mihi certo persuasum, nepotem tuum comitem Huntlaeum nunquam hoc in me admittere voluisse, quod tu nunc diceris commisisse. Si literis illis error causari potest, hic solus est, quod in tui honoris praeconium impensius quam par erat calamum aptavi; sed id ambitioni, in quam proclivem te sciebam, concessi. Rex inquiete stomachatur, quasi ego te illi opposuerim, aut parem facere voluerim, quod sane nunquam mihi in mentem venit, atque id quidem hac ratione tentasse amentissimi et imprudentissimi fuisset: sed mens mihi unica et propositum tua auctoritate et favore causam meam, quae ecclesiae Dei conjuncta est, tueri; atque is quidem tremendus ec-

clesiae suae vindex, et omnium judex, te mendacii comperti reum severe plectet, nisi iram principis, quam injuria provocasti, caute lenias. Nam in quae incommoda ex eo tempore miser incurri, aut in quae non quotidie incurro magna cum mei, sed majori ecclesiae Dei, jactura? Omnia quae mihi adversa accidunt, tibi imputo; etsi conscientia, id est quod esse fertur, etsi nunc severa sopitaque obdormivit, nihilominus tandem evigilabit, et commissi criminis commonefaciet. Tunc ego tui miserebor, et pro criminis tanti reatu dolebo. Inter tuos me amicos semper habui, sed si ea ratio est amicis abutendi, erade me ex illo albo, nomen ex illa cohorte meum dele; nec, si parium mihi deinceps admissionalis diducat, video hoc esse experiundorum hominum tempus. Quod unusquisque tacitum celat, patebit: Deus, qui nos in hanc tentationem induxit, placidus educat, tutosque reddat, ad nominis sui gloriam, nostri solatium. Vale Edimburgo die XXVII. Septemb. anno MDXCVI."

O siren ecclesiastica! sic perduellium nefaria mente excogitas, scelesta manu attentas, et delatus regni proceres accusas mendacii, et contra chirographum proprium impudenter velitaris? Amicitiae non optimatum modo, sed et sanguinis regii principum inconsulto sic renuncias? Sed agnosco Calvinianae humilitatis ad vivum expressam imaginem, et novati evangelii submissam pietatem. Pene praeterierat subscriptio, quae scelestum in regem animum vel sola loquitur et accusat: sic enim; " addictissimus tibi cliens, spe sua multum dejectus." Et unum quidem perduellium altero accumulat, siquidem in ipso perduellii actu deprehensos Ruthvenos comites, ac regis periclitantis de capite jussu occisos, accusare recusavit, illud Papiniani ad Caracallam objiciens, " facilius esse homicidium perpetrare quam excusare:" sed Ruthvenus, scilicet in schola tui symmistae Calvini educatus, et haereseos lacte a teneris ebrius, post Germanica tyrocinia Elizabethae Anglicanae, congressus ministellorum obviam prodeuntium pompam, regi obstare videbatur ne Catholicis favere posset; et ideo non regis violati rationem, sed fidei asserendae affectum habendum Brusius voluit, vir vehemens in pietatis regiaeque dignitatis jacturam eloquens, et, ut ingenue fatear, multiscius. Scripsit multa, sed ego non legi, et nescio an non aliquid virulentae faecis e dolio Calvinianae improbitatis admiscuerit.

Vivit adhuc in Scotia, sed post diutinum carcerem concionandi libertate privatus, ut audio, saltem intra x. milliaria circa pomoerium Edimburgense.

ADAMUS BLACATER. 214.

ADAMUS Blacater, genere nobili, et nostratium ritu patriam deseruit, bonarumque artium studio Europam totam lustravit, Cracoviae in Polonia, Bononiae in Italia, philosophiam professus, in Germania magnam sui ingenii aestimationem reliquit, Lutetiae tandem substitit, et rector renunciatus, Tornacense collegium rexit. Acta nationis Germanicae ad D. Cosmi. Scripsit

Dissertationem pro Alexandro Magno contra T. Livii locum ex Decad. I. lib. IX. lib. I.

Prodiit Lugduni.

Claruit anno MCCCXIX.

BERTRAMUS PRIOR. 215.

BERTRAMUS, prior de Coldingham, vir magni fuit nominis, et in litibus ecclesiasticis terminandis apprime versatus, ut ex epistola Clementis III. pontificis liquet, Glascuensi et Aberdonensi episcopis scripta Pisis, referente Rogero de Hoveden Annal. part. II. pag. CCCLXVIII. Scripsit

Epistolas ad Lucium et Clementem super Episcoporum Controversia lib. I.

Floruit anno MCLXXXVIII.

THOMAS BARCLAIUS. 216.

THOMAS Barclaius Aberdonensis, Burdegalae humaniores ac philosophicas artes adolescens est cum laude professus sub auspiciis illius Balforei magni; Tolosam postea vocatus, Squillanae scholae praefectus est, sub quo inibi ego stipendia literaria feci. Mox animum ad jus appulit, et, quod ibi non licuit, Pictonum Augustae feliciter obvenit ut professor regius fieret; vir felicissima

memoria, ac eloquentia summa, a Tolosatibus revocatus, jus civile interpretatus, magno studiosorum concursu frequentatur. Ejus sunt:

In Logicam Aristotelis	lib. I.
In Physicam Aristotelis	lib. I.
In quosdam Pandectarum titulos	lib. I.

Vivit adhuc Tolosae, et patriam suam non vulgariter ornat. "Rector academiae Tolosanae, professor regius, vir eruditissimus," vocatur a Gabriele Bartholomaeo lib. VI. Prostratae Rebellionis, cap. I.

JACOBUS BETONUS. 217.

JACOBUS Betonus, Glascuensis archiepiscopus, Davidis cardinalis ex fratre nepos, nobili familia de Balfour, ex qua etiam majores ducis Suillii, magnae apud Henricum IV. dignationis viri, in Gallias venientes apud Neustrios sedem fixerant. Betonus noster, religionis ergo patria profugus, Romae consecratus est archiepiscopus anno MDLII. Gallorum postea regum liberalitate opima sacerdotia consecutus, abbas B. Virginis Labsiae in Pictonibus, quaestor S. Hilarii Magni Augustae Pictonum, prior Sancti Petri Pontesiae, " vita honorata et actuosa domi forisque, orator in Gallia annis XLII. bona moriens in annuos pauperum scholasticorum Scotorum usus eroganda reliquit." Sed epitaphium apponam ad D. Joannis Lateranensis Parisiis, ubi obiit; est enim cultum, et dignum non ibi tantum, sed ubique, legi.

Praesul et orator fuerat qui maximus orbis
  Aetate hac, parvo marmore contegitur.
Quinquaginta unum praesul transegerat annos,
  Quadraginta duos regia jussa subit;
Sed vidit reges Gallorum quinque secutus
  Orator, patriae profuit usque suae.
Est voto fructus, Scotos Anglosque sub uno
  Unius Scoti viderat imperio:
Illud restabat, voluit quod utrosque sub unum
  Divinae legis mittier imperium,
Quodque suum cupiit regem venerarier, et mors
  Fertur in hoc uno praecipitasse senem.

Ille oratorum, quos Scotia sola superbos
Mittit ad heroas, ultimus extiterat,
Ultimus illorum, quos magna Britannia fovit,
Secta exturbavit devia, praesul erat.

Scripsit multa, erudito otio longum exilium solatus, eaque in bibliotheca sua selectissima reliquit MSS. posteris vulganda. In his,

In Libros Regum Commentaria	lib. I.
Deploratio Regni Scotiae	lib. I.
Controversiae contra Sectarios	lib. I.
In Decretum Gratiani Observationes	lib. I.
Adagia Scotica	lib. I.

Obiit Lutetiae an. aetatis LXXXVI. salut. vero humanae MDCIII. XXIV. April.

Laudat illum Joannes Gessaeus Gallus in Delitiis Poetarum Gallorum ex collectione Ranutii Gheri part. I.

Phoenix prisca novat Phariae miracula terrae,
Solius Aegypti nam loca sola colit.
At tu Scotorum decus, et pars maxima, praesul,
Unus es e multis, quem loca multa colunt.

ROB. BODIUS. 218.

ROBERTUS Bodius, adolescens optimae indolis, Aberdoniae bonas artes didicit, quas secum Lovanium inferens, aetatem suam mirifice ornavit; exinde Romam destinatus, theologica ita delibavit, ut paucos pares ea aetate habeat; ad haec optimus poeta, antiquarius insignis, et, quod omnia superat, patriae amans. Scripsit

Epigrammata culta	lib. I.
Epistolas de Rebus Scoticis ad Thomam Dempsterum	lib. I.

Dicitur Societatem Jesu ingressus.

JOANNES BARCLAIUS. 219.

JOANNES Barclaius, Guilielmi Ponti-Mussani professoris filius, quia patre Scoto natus, inter Scotos locum habebit. Ejus sunt:

Ecloga, Corydon,	lib. I.
Poemata	lib. I.
Paterna Pietas, sive Defensio Operis Patris,	lib. I.

De Potestate Papae (impietate plena, et ab ecclesia proscripta—Andreas Eudaemon docta sua illa Epistola) lib. I.
Strenae lib. I.
Euphormionis Lusinini Satyricon lib. I.
Icon animorum. Ex Hispanico scripto, de Examine Ingeniorum. Quo opere de omnibus gentibus male, de Scotis vero pessime sensit. Aiunt Palinodiam cecinisse, sed non vidi.
Paraenesis ad Sectarios lib. II. Vivit adhuc Romae.

ROB. BODIUS. 220.

ROBERTUS Bodius Trochoregius, vir nobili loco natus, et amoeno ingenio, variam lectionem acerrimo judicio temperans, artes optimas et didicit feliciter, et gloriose in Galliis docuit. Ejus sunt multa; in his,

Harmonia Evangeliorum lib. I.
Orationes lib. I.
Epistolae lib. I.

Vivit in Scotia, et literato domi otio fruitur, doctissimus ipse, et doctorum fautor, regi ac principibus carus. Aiunt haeresi deposita ecclesiae nomen dedisse, alioqui locum hic non haberet.

Alexander Bodius 221.
Robertus Balcanguail 222.
Gualt. Ballantinus 223.
Petrus Brusius 224.
Andreas Brusius 225.
Jacobus Blarus 226.
Robertus Blarus 227.
Robertus Baronius 228.

Viri domi nobiles ac in bonis artibus exercitatissimi, ut plurimi, regis ad Scotos suos accessum orationibus aut poematiis sunt congratulati; et non dubito quin multa alia publicaverint illi, sed in manus meas nihil praeter haec quae commemoravi pervenit, et certa scire locorum distantia vetat: nec in iis quicquam vituperandum, nisi iniqua in haeresi quorundam educatio, o utinam ut aliqui, ita omnes resipiscant!

HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

LIBER TERTIUS.

S. CAIUS SEDULIUS. 229.

S. Caius Sedulius, sive Coelius, cognomento, ut videtur, Romano, ingens patriae suae ornamentum. Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CXXXIV. "Dei amans" a Jo. Groppero tom. I. de Praestantissimo Altaris Sacramento in indice appellatur. Bibliotheca Minorum Patrum apud Jo. Gualterium Chronico Chronic. pag. DCCCCLXXV. "Coelius Sedulius Scotus." Joan. Trithem. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis: "Sedulius presbyter, natione Scotus, Hildeberti Scotorum archiepiscopi ab ineunte aetate discipulus, vir in divinis literis exercitatus, et secularibus literatissimus, carmine excellens et prosa, amore discendi Scotiam relinquens venit in Franciam; deinde Italiam perlustravit, et Asiam; postremo Achaiae finibus excedens, in urbe Roma mirabili doctrina clarus effulsit. Hic tandem, ut Sigebertus scribit, episcopus ordinatus fuit, sed ecclesiam, vel urbem ubi, non exprimit." Auctius exemplar Sigeberti viderat Trithemius nostro; nam in vulgata editione, de Sedulio ne verbum ullum, nisi forte in historia ejus meminerit, quam MS. extare scimus, aut in Viris Illustribus, et forte legerat ille.

Tantum illius vel pietati, vel probitati, et doctrinae tributum, ut ecclesia hymnos ab eo compositos celebrioribus anni festis canat, imo et in Augusto missae sacrificio,

Salve sancta parens, enixa puerpera regem.

Inter veteres nonnulli magni ejus doctrinam fecere, eumque laudavere. Aurel. Cassiodor. lib. de Divin. Lectionib. cap. XXVII. "Ubi Sedulii illi versus dicendi sunt;" adfert deinde locum, sed corruptissimum; tu lege,

Grandia posco quidem, sed tu dare grandia nosti.
Quem magis offendit, quisquis sperando tepescit.

Isidorus Hispalensis advocat lib. XX. cap. IV. Asser Menensis libr. de Vita Aelfredi Regis in limine: "Getam jamdudum pagani pro Deo

venerebantur, cujus Sedulius poeta mentionem facit in Paschali metrico carmine, ita dicens,

Cum sua gentiles studeant figmenta poetae
Grandisonis pompare modis," &c.

Matthaeus Westmonasteriensis in Flor. Historiar. anno DCCLVIII. " Hunc Getam dudum Pagani venerabantur, cujus Sedulius poeta in Paschali carmine mentionem faciens ita exorsus est;" et eundem locum repetit. Venantius Fortunatus, presbyter Italus, et Pictonum episcopus, eum sibi sequendum proponit, nisi quod de assequenda ingenii ejus et venae ubertate desperet; ita enim lib. VIII. num. I.

Quod tonat Ambrosius, Hieronymus atque coruscat,
Sive Augustinus fonte fluente rigat,
Sedulius dulcis, quod Orosius edit acutus.

Et de Vita S. Martini in principio:

Hinc quoque conspicui radiavit lingua Sedulî.

Omnia, quantumlibet praeclara, encomia superat Gelasii papae judicium in Decreto Gratiani distinct. XV. cap. III. " Venerabilis viri Sedulii Paschale opus, quod heroicis scripsit versibus, insigni laude proferimus." Est et tomo V. Biblioth. SS. Patrum Liberii poetae acrostichum:

S	edulius Domini per culta novalia pergen	S
E	n loca conspexit multo radiantia flor	E
D	iscurrit per prata libens, quo gramine Davi	D
V	idit divino modulantem carmina cant	U
L	audato psallente viro refluit citharae me	L
I	lle ubi grandisoni captus dulcedine plectr	I
U	titur, et celeri graditur per lilia pass	U
S	acratosque iterum late prospexit amoeno	S
A	eterna Christi fluvios quos abluit und	A
N	ec passus torpere diu doctoris acume	N
T	unc sua Davidico delectu plectra poposci	T
I	rrita polluti contempsit numina mund	I
S	igna crucis fronti ponit, breviterque triumpho	S
T	angit, Christe, tuos, numerosaque praelia liba	T
E	rgo his dum vario decorat sua rura color	E
S	tabunt hi gracili ducti testudine versu	S.

Ibidem loci, et aliud carmen acrostichum extat Belisarii poetae :

S	edulius Christi miracula versibus eden .	S
E	micat, invitans parva ad solennia mensa	E
D	ignum convivam ; non hunc, qui carperet illu	D
V	ix quod nobilium profert triplici aula parat	U
L	aetum quod ponitque sub aurea tecta tribuna	L
I	n quo gemmiferi, totque aurea vasa canistr	I
V	ivida pro modico portant sibi gaudia vict	U
S	ed quod olus vilis producit pauperis hortu	S
A	c post delitias properant qui sumere magn	A
N	ituntur parvum miserorum spernere grame	N
T	antum quod nihil est, dum nil cum ventre tumesci	T
I	nsidias membrisque movens, animaeque luent	I
S	i tamen his dapibus vesci dignentur egeni	S
T	emnat divitias animus, paucisque quiesca	T
E	xemplo assumpto Domini, qui millia quinqu	E
S	emotis cunctis, modicis satiavit ab esci	S.

Tota scribentium turba Scotum facit cum annalibus nostris; quo magis miror theologos Colonienses, in ultima editione Biblioth. Sanctorum Patrum, illum Scotum cum adjectione *Hibernensem* appellasse; quod nomen a sciolis est, nam neque probato ullo id asseritur testimonio, nec ea vox usurpata Sedulii aevo cultissimo, sed postea ad distinguendos Scotos silvestres seu montanos a mediterraneis et inferiores regiones habitantibus excogitata. Bucholzer. Indice Chronolog. pag. CCLXIII. " In ecclesia clari fuerunt Sedulius Scotus," &c. Vitam ejus compilavit Antonius Nebrissensis patrum memoria, ut in Bibliotheca docet Gesnerus, et epitomastes Josias Simlerus, sed nondum vidi. Ut illi moderni in gente ipsius et patria errant, ita cum Gennadio Massiliensi viri magni, qui Carmen suum Paschale volunt Theodosio juniori inscripsisse; errant inquam, vel ipso Sedulio teste, nam in praefatione sua ad Theodosium Augustum scribens, orat eum commendet opus suum minori Arcadio, quod de Theodosio juniori dici non potest, cui nullus erat Arcadius. Sic itaque ille, sed corrupte; tu lege mecum,

> Haec relegas, servesque diu, tradasque minori
> Arcadio, ille suo generi; sic haec tua semper
> Accipiat doceatque suos augusta propago.

Opera ille sua dispersa reliquit, quae publicavit Asterius, ut docuit vir doctissimus Jacobus Sirmondus Societ. Jesu ad Ennod. lib. I. epist. XXIV. ex MS. Rhemensi codice, qui haec praeferebat: "Hoc opus Sedulius inter chartulas dispersum reliquit, quod recollectum adornatumque ad omnem elegantiam divulgatum est a Turcio Rufio Asterio, V. C. Consule ordinario, et Patricio." Sequitur deinde in eodem MS. epigramma Asterii:

Sume, sacer meritis, veracia dicta poetae,
Quae sine figmenti condita sunt vitio.
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
Per quam justus ait talia Sedulius.
Asteriique tui semper meminisse jubeto,
Cujus ope et curis reddita sunt populis.
Quae quamvis summi celebrent per secula fasti,
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Indubitatum ergo relinquo sub Theodosio Hispano illum claruisse, quo seculo Scoti, ut supra monui, plerique exulabant. Ejus sunt:

Paschale opus, sive Mirabilium Divinorum lib. V. versu.
De eadem re, eodemque argumento, lib. V. soluta oratione.
In omnes Epistolas Pauli Commentarii, quos primus Henricus Petri Basileae edidit anno MDLXI.
Hymnus de Vita Christi.

Vivebat, secundum quosdam, sub Theodosio seniore, anno CCCCXXX. eaque verior sententia, et magis placens; vel CCCLXXXI. dum Valens Augustus obiit, Albert. Stadensis Chron. pag. XLIX. vel anno CCCCXLIX. Sanctis adnumeratum probat Joannes Groperus tom. I. de Praestantissimo Altaris Sacramento pag. CCCLX. ut vertit Christophorus Cassianus Trarbachensis.

S. CEDDA. 230.

S. CEDDA, sive Ceadda, ut vult Matth. Westmonast. ad annum DCLVII. unus fuit ex quatuor presbyteris qui S. Finnanum in Angliam secuti mediterraneos Anglos sacro fidei Christianae dogmate informarunt. Super quo verba scriptoris Angli Florentii Vigorniensis apponam: "Mediterranei Angli sub Penda principe,

filio Pendae regis Merciorum, fidem et sacramenta Christi perceperunt, ipso principe primum a Finnano episcopo apud Oswium in Northumbria, cum omnibus qui secum venerant, baptizato, postmodum vero eo domum reverso, caeteris de sua gente baptizatis a presbyteris quatuor Cedda, Adda, Betta, et Duina, quos secum de praefata adduxerat provincia." Hic idem orientalium Saxonum apostolus, regem Sigebertum commendante rege Oswino, praeclaram in ea gente Christi fide imbuenda operam navavit. Dictus Florentius Vigorniensis, licet Scotico nomini infensissimus hostis, testimonium facit pag. DLX. " Quo (Sigeberto rege) regni sui sedem repetente, rex Oswinus misit cum illo virum Dei Ceddam presbyterum ad praedicandum verbum Dei East-Saxonicis, ubi cum ille multam Domino ecclesiam congregasset, et propter colloquium Finnani episcopi domum reversus esset, gradum episcopatus ab eo accepit, et in provinciam reversus majori auctoritate coeptum opus explevit." Videant Angli quantum Scotis debeant, ad fidem ab iis conversi, in gremium sanctae ecclesiae eorundem ministerio recepti. Fuit ergo East-Saxonum, sive orientalium Anglorum, primus episcopus ; sed et per absentiam Wilfridi Eboracensis archiepiscopus consecratus est ; tum illo redeunte, sponte cedens ei, in Leastingaigam monasterium, a se constructum liberalitate Sigeberti regis, monasticam vitam deinceps professurus secessit, idque Theodori Cantuariensis archiepiscopi rogatu, neque enim nisi rege Egfrido Northumbriae id procurante sedem Eboracensem occupaverat. Quare archiepiscopus Lindisfarorum dicitur a Trithemio lib. III. de Viris illustrib. Ord. Sancti Benedicti. Elogium ei magnificum appingit Beda, dum vocat " virum sanctum, modestum moribus, scripturarum lectione sufficienter imbutum, et ea quae agenda in scripturis didicerat, operibus solerter exequentem." Beda lib. III. Ecclesiast. Histor. cap. XXV.

Praeter has laudes accessit memorabilis ipsius pietas in fundando coenobio Eadbarna in usum peregrinantium, cujus fama celebratissima in rebus Angliae ecclesiasticis. Tum demum Vulfherus Merciae rex, Iarumanno episcopo Lichfeldensi defuncto, hunc nostrum Ceddam substituit, qui in controversia illa gravi, ut ea ferebant tempora, de celebratione Paschatis, egregiam Romanae ecclesiae navavit operam. Et scripsit

De legitimo Paschae celebrandae Tempore lib. I.
In Evangelia lib. I.
Homilias lib. I. Alia apud Balaeum vide.

Episcopus orientalium Saxonum consecratus est anno salut. DCLX. monasterium Leastingaig. a fundamentis erexit anno DCLVII. archiepiscopi Eboracensis honorem suscepit an. DCLXVI. ad episcopatum Coventrensem et Lichfeldensem transiit anno DCLXIX. denique obiit an. DCLXXI. sepultus Lichfeldiae. In sanctorum numerum relatus colitur die II. Martii. Molan. Addition. Usuardi. Vitam ejus scripsit Daniel episcopus Ventanus vel Vintoniensis, qui obiit anno salut. DCCXLVI.

S. CHILLENUS. 231.

De S. Chilleno meminit Joan. Aventinus apud Genebrardum, citante Ferreolo Locrio Chron. Belgici pag. L. Chronograph. Camerac. anonymus auctor in Vita S. Faronis episcopi Meldensis apud Laur. Surium tom. V. die XXVIII. Octobris: verba apponam: "Chillenum Scotum, virum sanctum ad Atrebatenses ipse misit, quos ille fama doctrinae et illustribus miraculis ad Christum traduxit." Fuit ergo hic Atrebatensium apostolus. In margine eo loci Surius observat a quibusdam fratrem Faronis hunc censeri; quod si verum est, erit etiam S. Faro Scotus. Surii observatio auctorem habet Anton. Democharem in Catalogo Episcoporum Meldensium; Petrus Catalogo lib. IX. cap. CXVII. consentit. Vide Vincentium Speculo lib. XXIII. cap. XV. Nugatur Locrius, exerrat Arnoldus Uvion lib. V. cap. L. Pergit porro anonymus scriptor ille: "Sedente quandoque eodem Chilleno ad mensam cum Farone, poculum vitreum e manibus pincernae excidens confractum est; cernens ea re ministri animum perturbatum Chillenus, vultumque ejus pallore suffusum, clam ei innuit fragmenta poculi ipsi praeberet, quae cum accepisset, fusis ad Dominum precibus pro fragmentis poculi redintegratum poculum homini moerenti restituit." Hic tam gloriosae vitae sanctus in Martyrologio Romano locum non habet. O calamitatem tuam, Scotia! O negligentes nostrarum rerum scriptores! An aliquid scripserit, non reperi. "Discipulus fuit S. Columbani

et Eustasii, vir magnae et incomparabilis sanctitatis." Trithem. lib. III. de Vir. illustrib. Ordin. S. Benedicti cap. LXXV. Regii sanguinis. Vita S. Fiacrii. Uvion. lib. III. pag. DCCII. Atrebatensium apostolus audit.

Claruit anno DCXXIV. vel anno DCXL. Patriam ei Scotiam adsignat Chronicum Cameracense: "In vico Albiniaco est monasterium canonicorum Sancti Chiliani, qui Scotus fuisse traditur." Corrige *Chilleni*. Joan. Molan. Indic. SS. Belgii pag. XXI.

S. CAHINNECHUS. 232.

S. CAHINNECHUS, et vita et monasticae disciplinae fundatione celebris, multorum monachorum pater, memoratur ab Adamanno Scoto in Vita S. Columbae Scoti lib. III. cap. XXI. "Monasteriorum sancti fundatores de Scotia, quorum illustria vocabula, Congellus, Cahinnechus, Brendenus, Cormacus;" nec alibi de eo, quod sciam, quicquam legere me memini. Scripsit vero

Regulam ad Fratres lib. I.

Floruit anno DLV.

S. COLUMBANUS. 233.

S. COLUMBANUS magna vir pietate fuisse perhibetur, de quo Petrus Catalogo lib. X. cap. XCV. Calendarium S. Benedicti de Mantua MS. et S. Jonas abbas Scotus in Vita S. Columbani cap. XVII. ex vetusto scriptore Chagnoaldo Lauduni Clanati episc. "Columbanus erat sanguine conjunctus beato Columbano, parebantque illi etiam bestiae et volucres, sicut viro Dei Columbano, de quo nobis referre solebat Chagnoaldus [in quibusdam codicibus est Canoaldus] Lauduni Clanati pontifex, qui ejus minister et discipulus fuerat, cum in eremo precibus et jejunio vacans deambularet, saepe eum, se inspectante, feras belluas et aves accersiisse, illum vero blanda manu eas attrectasse, ferasque et aves mire laetabundas et ludibundas, ut solent catuli coram dominis suis, exultasse; saepe etiam illum ab altissimis arboribus evocasse sciuros, manibus eos apprehendisse, collo suo imposuisse, atque illos in sinum ejus et intrasse et

inde exiisse." Nec de eo alibi. Scripta ejus perierunt injuria temporis.

Vixit anno DC. Colitur XXII. die Novemb. Arnold. Uvion lib. III. Lig. Vitae pag. CCCLXXV. " magnae simplicitatis et innocentiae virum" vocat.

S. CUTHBERTUS. 234.

S. CUTHBERTUS, sive Gunpertus, aut Cudpertus, Wingarten. Chron. pag. CCXVII. in Scotia natus, in coenobio Mailrosiensi educatus, et, more gentis nostrae eo seculo, in Northumbriam profectus in monasticae vitae sanctitate mirabiles progressus fecit sub regula S. Aidani Scoti, ut lib. I. hoc opere supra ostensum. S. Wiro dicitur in vita ipsius in Surio ejus sanctitatem ut civis imitari. Vide locum lib. XIX. infra. Martyrolog. Rom. die XX. Martii: " In Britannia depositio S. Cuthberti episcopi Lindisfarnensis, qui a pueritia ad obitum usque sanctis operibus et miraculorum signis effulsit." Usuard. Martyrolog. eodem die: " Apud Britanniam depositio S. Cuthberti, qui ex anachoreta ecclesiae Lindisfarnensis antistes, totam ab infantia ad senium usque vitam miraculorum signis inclytam duxit." Paria recentiores Martyrologiorum auctores, et prae aliis Ado Trevirensis, qui Usuardi verba syllabatim transcripsit.

Hujus vitam monumentis primi commisere fratres Lindisfarnenses, ut auctor est Beda Historia Gentis Anglorum ; deinde ipse Beda primum versu XLVI. capitibus, deinde prosa seu soluta oratione, ut ipse tradidit lib. IV. Histor. Ecclesiast. Gent. Anglor. cap. XXVII. XXVIII. XXIX. Videatur idem Beda in fine Ecclesiast. Histor. Haec vita extat apud Bedam tomo III. et Surium tomo II. qui patriam tacet.

Quanta apud nostrates, dum pietas vigeret, ejus observatio esset, ex rerum nostrarum lectione abunde liquet. Nam et " Northumbriam a Pictorum rabie, precibus suis, tutam reddit," H. Boeth. lib. IX. Hist. Scot. pag. CLXXIX. et sub ejus vexillo Edgarus rex hostem profligavit, in cujus victoriae significationem multa ei donaria et anathemata idem rex religiose obtulit. Idem lib. XII. cap. CCLXI. CCLXII. Et cum " Davidem regem per somnium admoneret incoepto ut abstineret, nec ille morem gereret, captus est in acie, omnibus suis, qui plurimi erant, aut in fugam versis, aut captis, aut caesis." Idem Boeth. lib. XV. Hist. Scot. pag. CCCXXV. Multa ejus

insignia monumenta et reliquiae in ecclesia Dunelmensi asservabantur, quo ex insula Lindisfarorum sacrum ipsius corpus translatum. Acta illius ecclesiae. Scripsit

Exhortationes ad Fratres lib. I.
Regulam Monasticam lib. I. Et alia quae ego non vidi, nec, ut puto, extant, recitat tamen Balaeus.

Florebat anno DCLXXIII. Sedere coepit Lindisfarnae consecratus antistes anno DCLXXXV. Obiit anno DCLXXXVIII. vel, ut Sigebertus Gemblacensis vult, anno DCLXXXVII. Sacrum ejus corpus, metu piratarum, ex insula illa cui praefuit Eadulfus episcopus sustulit, et septennio toto vagatus, Dunelmi tandem deposuit anno DCCCLXXV. Matth. Westmonast. ad illum annum.

S. CEOLFRIDUS. 235.

S. CEOLFRIDUS, illustri loco natus, Glastoniensis in Anglia abbas, ex eorum numero qui Sanctos Adanum et Finnanum in Angliam secuti, strenuam operam, Christianam pietatem ut ibi plantarent, navarunt, regibus Scotis Malduino et Eugenio V. familiaris, Eugenii etiam praeceptor. Reginaldus cardinalis. Cum Nerano Pictorum rege amicitiam coluit, et consultus ab eodem multa utilia in ejus gratiam in scripta retulit, ut testatum Arnold. Uvion reliquit. Tanti autem momenti haec fuere opera, ut Sergius papa ea sibi Romam mitti a S. Beda postulaverit, ut ipse prodit sub annum DCCVII. Vitam ejus scripsit Wichbertus Deirus ad Gregorium II. Relatus in sanctos colitur die XXV. Septembr. Usuard. Addition. Ejus habentur:

Epistolae ad Neranum seu Naitanum, aut Neetanum, Pictorum Regem, lib. I. seu Epistola, ut habetur apud Bedam lib. V. cap. XXII.
De Celebratione Paschae lib. I.
De Tonsura Clericorum lib. I.
Homiliarum solemnium lib. I.
Testamentum ad Humbertum lib. I.
Epistolae ad Monachos lib. I.
De baptizando secundum Ritum Romanum lib. I.

Scribebat anno DCXCIX. Obiit in itinere Romano Lingonibus in

Gallia, aetatis suae anno LXXXIV. salutis DCCXXIV. Scotum inveni in Historia patria Henrici Sinclari Glascoensis archiepiscopi, sed non suffragor, qui in Anglia ortum existimo; tamen silere quod reperi non oportebat.

S. CIBTACUS. 235.

S. CIBTACUS, sive Cibthacus, unus ex illis duodecim comitibus D. Columbae, qui indefesso labore populum Scoticum Picticumque divinum cultum docuerunt, quique, eo in Hiberniam navigante, sedem in Iona insula fixerunt multorum monachorum patres, nam usque ad eam aetatem nullae monachorum congregationes, sed omnes, eremitico ritu, in agris aut vicinis urbibus villisque habitantes, Deo inserviebant. Primus D. Columba coenobia instituit, et piorum hominum sodalitia, ut ita dixerim, ad pietatem spectare indicavit. H. Boeth. lib. IX. Histor. Scot. CLXVII. Erat autem Cibthacus germanus Ethernani, et nepos ex fratre D. Columbae. In SS. relatus numerum, sed die incerto. Arnold. Uvion. lib. III. Ligni Vit. pag. CDXII. Joan. Leslaeus lib. IV. Scripsit

De Gentilium Erroribus	lib. I.
De Gratia Dei	lib. I.
De Gubernatione Dei	lib. I.
Epistolas	lib. I.

Floruit apud nostrates seculo piorum et doctorum hominum feracissimo, sub Conuallo scilicet rege, et Bonifacio IV. pontifice, qui annus fuit salutis reparatae DC. Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CLII.

S. CAROLUS. 236.

S. CAROLUS ad episcopatum Corcagiensem in Hibernia divinitus electus traditur a S. Bernardo in Vita S. Malachiae, et res tota sic se habet. Carolus ad invisendas S. Patricii reliquias in Hiberniam se contulerat, et sub idem plane tempus obierat Corcagiensis antistes; at clerus, ut ei successorem designaret, varie movebatur, quibusdam suo commodo studentibus, aliis mundi potius

quam Dei honorem ambientibus; quibus sic anxie laborantibus, et vario animorum motu distractis, supervenit S. Malachias, et rei totius arbitrio ad se delato a contendentibus, Carolum, lecto ex gravi valetudine decumbentem, vacanti ecclesiae praefecit, qui pie adeo et continenter se gessit, ut SS. catalogo adscribi fuerit meritus. Scripsit

Statuta ad Ecclesiam suam	lib. I.
Super Sanctorum Miraculis	lib. I.
Epistolas ad Bernardum et Malachiam	lib. I.
Decreta Theologica	lib. I.

Claruit an. MC. S. Davidi Scotiae regi fuerat a sacris confessionibus, ut in ejus vita continetur. Sedit annis XIII. quo anno tamen obierit, non deprehendi, nec quo die colatur. Meminit Petrus in Catalogo lib. X. cap. XXVII.

S. CATHANUS. 237.

S. CATHANUS, episcopus in Hibernia, patriam suam deseruit, ut "studiosius monasticae quieti vacaret, et se totum contemplationi impenderet," ait Georgius Neutonus archidiaconus Dumblanensis in vita S. Blani. Itaque in insulam Butam, quae Hebudum una occidentalem Scotiae partem claudit, vetus regiae familiae Stuartae patrimonium, cum sorore Ertha descendit; ex qua sorore per vim a venustissimo adolescente compressa natus S. Blanus, ut in ejus vita superiori libro dictum: sed Cathanus, plenus bonorum operum et dierum in bona senectute, in Buta obdormivit, unde loco Kilcathan nomen. Scripsit, dum inibi ageret,

Meditationes	lib. I.
Confessiones secretas	lib. I.
De suis Apparitionibus	lib. I.

Florebat in Scotia anno CDLX. quando venerit ex Hibernia, aut in Domino obdormiverit, non deprehendi. Colitur XVII. Maii.

S. CHILIANUS. 238.

S. CHILIANUS, orientalis Franciae apostolus, et Herbipolensis antistes, magna sanctitatis claritudine vixit, et cum sociis martyrio confectus. Vide infra *Kilianus.*

S. COLMANNUS. 239.

S. COLMANNUS inter splendidissima Scotiae nostrae ornamenta habendus. Joan. Leslaeus lib. IV. Hist. Scoticae pag. CXLIII. Hect. Boethius lib. VIII. in fine Historiae Scoticae: "Inter nostrates Colmannus, Priscus, Medanus, Modanus, et Euchinus, episcopi, Christi dogmatis per Scotorum et Pictorum agros pii concionatores." Monasticam vitam est professus sub regula S. Congelli, non autem S. Benedicti, contra quam quibusdam eruditis placuisse video. Carissimus Oswio Northumbriorum regi ob insignem prudentiam, parsimoniam, et vitae continentiam, sed supra omnia, egregium in pauperes affectum. Lindisfarnae episcopus III. S. Finnano successit, "quo tempore gravior de observatione Paschae, nec non et de aliis ecclesiasticae vitae disciplinis, controversia nata est," ait Beda lib. III. cap. XXV. super quibus rebus ingentem suscepit concertationem cum Wilfrido Eboracensi episcopo, ut prolixe exequitur Beda, et Matthaeus Westmonast. ex quo liquet regem ipsum interfuisse disputationi, a qua cum visus esset inferior recedere, sine dolore seu poenitudine, "cum suis in Scotiam reversus," ut loquitur Westmonast. mox e Scotia in insulas Hebrides, quarum a nonnullis apostolus habetur, collegio ibi erecto. Joan. Major lib. II. Hist. Scot. cap. XI. Archiepiscopum facit Arnoldus Uvion lib. II. Ligni Vitae pag. CCXLVI. et male cum patrono Austriae confundit. Vide *S. Colmannus* alius infra. Anton. Demochar. Sacrific. Miss. tom. III. cap. XV. Scripsit pro re disceptata,

Pro Sociis quartadecumanis lib. I. quo nomine Pascha Romano ritu celebrantes deridebat.

De Tonsura Clericorum lib. I. nam ea quaestio non minima tunc erat, ait Beda.

Exhortationem ad Hebridianos lib. I. MS. in bibliotheca regis Christianiss.

Episcopatum Lindisfarnensem occupavit an. sal. DCLXI. Franc. Godwin. In Scotiam vero rediit anno DCLXIV. et eodem anno Hebrides adnavigavit. M. Westmonaster. Obiisse creditur anno DCLXX. sub Mailduino rege. Colitur XIII. Octob. Martyr. Angl.

S. COLMANNUS. 240.

S. COLMANNUS alius, sive Colomannus, ejusdem gentis et professionis monachus, sed, ut puto, Benedictinus Huensis monasterii. Trithem. lib. IV. de Vir. illustrib. Ordin. Sancti Benedicti, cap. CLIII. Pessime hunc confundit cum praecedente Arnold. Uvion lib. III. Lig. Vitae pag. CCCXXXIX. Anton. Demochar. tom. II. Sacrif. Miss. cap. XXXIX. Petr. Cratepol. Episcop. German. Aliquot post priorem annis floruit, non in Anglia aut Hebridibus, ut prior, sed in Gallia Germaniaque, omnium laborum et peregrinationis, imo etiam martyrii, Sancti Kiliani socius. Nec episcopi dignitate sublimis, sed solo presbyteratus ordine contentus, ut liquido constet duos esse, et diversos. Sigeberti verba sunt in Chronico: "Apud Wirziburchz castrum Ostro-Franciae S. Kilianus cum discipulis Colmanno et Tolmanno clam martyrizatur a Geilana uxore Gozberti principis Wirziburgensium, quae timebat separari a viro suo, arguente eum Kiliano, quod eam uxorem quondam fratris ejus, etiam ipse uxorem haberet; quorum mors, cum diu omnes lateret, Geilana et percussoribus martyrum a daemonio arreptis, eorum confessione divulgata est." Qui praeterea hujus meminerit, non legi. Ejus sunt:

De Voto Peregrinationis	lib. II.
Pro Fide ad Gentes	lib. I.

Martyrio coronatus est anno DCXCVII. adscriptus Martyrologii Romani tabulis ad diem Julii VIII. Plura infra hoc opere, ubi de Sancto Kiliano.

S. COLOMANNUS. 241.

S. COLOMANNUS, regio sanguine ortus, Malcolmi I. ut puto, filius, Ethelredus primum dictus, bello civili lacerata patria, graviterque de regno fratribus inter se certantibus, optimatum factione invalescente, pulsus in exilium Germaniam adivit, ubi rixa subitarie orta ab agricolis est interfectus. Auctor Bruschius, et de eo Democharis, Cratepolius, Uvion, superius laudati in Colomanno. "Scotiae Princeps." Laz. lib. IIX. pag. CCCCXX. Eucharius Sangius suffraganeus Wirceburgensis Orat. de Translatione B. Macharii,

cujus verba vide supra in Sancto *Bonifacio*. Cratepol. pag. XLIII. "Colomannus martyr Christi, fuerat hic ex Scotia natus." Ejus sunt:

De Exilio suo lib. I.
Epistolae lib. I.

De Sancti Colomanni martyrio Joannes Stabius Maximiliani I. imp. historicus:

Austriae sanctus canitur patronus,
Fulgidum sidus radians ab Arcto,
Scoticae gentis Colomannus acer,
Regia proles.
Ille dum sanctam Solymorum ad urbem
Transiit, dulcem patriam relinquens,
Regios fastus, trabeam, coronam,
Sceptraque tempsit.
Propter et Christum peregrinus exul
Factus in terris alienus ultro,
Caelicam pura meditatus aulam
Mente, fideque.
Dumque diversos populos pererrat,
Rhaeticas tandem veniens ad oras, &c.

Memoriam recolit non Austria modo, sed et tota Germania Superior die XIII. Octobr. ut Laurent. Surius notat tom. v. et Baronius eodem die. Passum vult anno MXII. Joan. Cuspinian. in Austria, ut aliis placet DCCCCLVIII.

S. CLEMENS. 242.

S. CLEMENS, "presbyter, natione Scotus," ait Joannes Gualterius Chronico Chronicorum in Bibliotheca Minorum Patrum pag. DCCCCXCVI. et, ut intelligas non eundem cum S. Claudio Clemente Parisiensis academiae fundatore, paulo post subdit, "Claudius Clemens natione Scotus, episcopus Altissiodorensis." Fuit hic unus ex iis sanctissimis viris qui cum S. Disybodio ex Hibernia, id est, montanis Scotiae partibus, egressi, ad montem S. Petri vixerunt. Vita S. Disybodi apud Surium tom. IV. Scripsit

Quaedam spiritualia lib. I.

Scotia egressus anno DCLXIV. Diem non reperi.

S. CONANUS. 243.

S. CONANUS, monachus et presbyter, unus e duodecim illis apostolicis viris qui magistrum Columbanum de Scotia secuti, in Burgundiam pervenerunt, eoque inde expulso, vel evangelici muneris cum illo, per Aurelios, Turonenses, Nannetes, et Parisienses, participes, vel hinc inde ad ecclesiarum curas, eo mandante, dilapsi, ut de SS. Sampsone et Potentino infra dicetur. Hic vero an claustrum fratrum in Gallia susceperit regendum, an cum Sancto Gallo in Helvetiis haeserit, an demum cum magistro Bobii vixerit, non definio, nec S. Jonas Scotus prodidit.

Vixit anno DXL. et quod excurrit. Diem non deprehendi.

S. COLONATUS. 244.

S. COLONATUS peregrinationis S. Kiliani et martyrii collega. Joan. Capgravius et Balaeus Sudovolga, uterque Anglus, ille etiam apostata, sanctum hunc virum honorifice compellant, nec nomen ejus in Martyrologio; existimo ergo plures illius martyrii socios fuisse, quam hactenus sint numerati. Nec plura de Colonato, qui scripsit multa, sed injuria temporis aut studiosorum negligentia perierunt, nec quicquam nisi nomen superest.

Floruit anno DCXCVII. quo a Geilana cum magistro est interemptus. Colitur die XVII. Martii, ut ex Annalib. Artimani monachi colligit Petrus Galesinius; sed quae sit ea commemoratio, ignoro. Vide Uvionem lib. III. Lign. Vitae pag. LXXVII. Baronius illustriss. ad Martyrolog. Rom.

S. COLUMBANUS. 245.

S. COLUMBANUS, sive Columbus, aut Columba, ea enim nomina confundit Beda lib. III. Historiar. cap. IV. XXV. ex Walafrido, et in epitome anno DLXV. Baron. ad diem IX. Junii in Martyrol. inter sanctissimos gentis nostrae censendus. Multa [scripsit] eleganti stylo, ait Gesnerus correctus in Bibliotheca, nobilissima stirpe oriundus; et

quod ea aetate eminentissimum, Druidum princeps e Benochorensi coenobio in Burgundiam profectus, monasterium Luxoviense condidit. D. Bernardus, Vit. S. Malachiae: " Ad has nostras Gallicanas partes ascendens S. Columbanus Lexoviense construxit monasterium;" sed legendum est *Luxoviense*. Beda in Vita S. Eustathii cap. I. et in Vita S. Attalae cap. I. et de Benochorensi coenobio D. Bernardus fuse loco laudato. Theodoricum Austrasiorum regem paulo liberius quam par erat carpsit, quo nomine in exilium est actus. Trithemius eum in Annalibus Francorum reprehendit, quod Pascha Congelli ritu, hoc est, Asiatico more, celebraret; quod in eo excusat Beda loco proxime laudato. " Permissu Theodorici regis coenobium Luxovium aedificare coepit," ait Sigebert. Gemblacensis in Chronico; et post ab eodem rege, " instinctu Brunichildis Aviae, expellitur Francia, qui post, relicto discipulo suo Gallo in Alemannia, coenobium Bobium construxit in Italia," ut loquitur idem Sigebertus. Matth. Westmonast. " Columbanus, doctor Scotorum et Pictorum, qui suis posteris multa pietatis reliquit documenta." Celebrarunt eum Walafridus, Wettinus, Ratpertus, Hepidannus, et Herimannus apud Melchiorem Heiminsfeldum Goldastum notis ad Panegyricos octo veteres. Notkerus Balbulus in Martyrologio: " In Scotia, insula Hibern. depositio S. Columbae, cognomento apud suos Columbkilli, eo quod multarum cellarum, id est, monasteriorum vel ecclesiarum, institutor, fundator, et rector extiterit, adeo ut abbas monasterii, cui novissime praefuit, et ubi requiescit, contra morem ecclesiasticum primus omnium Hibernensium habeatur episcoporum." Et ut de S. Columbano, quem etiam Columbam seu Columbkillum vocat, ea dici intelligas, ipse Notkerus ibidem loci Congellum, sive alio nomine " faustum praeceptorem" vocat " beatissimi Columbani." Effecit sane patria communis, et nominum vicinia, nec multum dispar aetas, ut rerum nostrarum minus periti scriptores hos duos sanctos viros confuderint.

De gente, etsi consensus sit melioris notae scriptorum, tamen dubitatum video a quibusdam male feriatis. Nam Georgius Merula Alexandrin. lib. I. Antiquit. Vicecomit. pag. CCVII. " Columbanum a Gothis progenitum, integritate vitae reverendum, et in quo divinitatis aliquid relucebat, benigne suscepere; acceptisque donis opu-

lentum coenobium inter Alpes Coctias exstruxit, quod postea in civitatem traductum, Bobii habuit nomen." Eadem Leander Albert. falso prodidit in Descriptione Liguriae pag. CCCLXVIII. Platina in Bonifacio IV. " Columbanus abbas, vir sanctissimus, genere Gothus, ut quidam affirmant, ex Scotia in Burgundiam primo veniens Lixoviense monasterium exstruxit, deinde in Italiam pergens," &c. Corrige, " *Luxoviense* monasterium exstruxit." In Concilio Aurelianiensi V. haec nomina confusa anno DXLIX. Ibi enim " Sabaudus Luxoviensis episcopus," sed lege *Lexoviensis* episcopus : nam Luxovium coenobium in Burgundia, Lexovium sedes episcopalis in Normania, vulgo *Lizieux ;* et alii erroris sequaces. Coenobium hoc Saxonice dicebatur olim Scaphus. Translatio S. Bernwardi, edit. Browerii pagina LXI. ex Tangwardone presbytero Hildeneshemensis episcopi.

Quinimo in tanta certitudine sunt Itali, qui Bobium non ad eum, sed ad alium referant conditorem. Fr. Blondus in Longobardia pag. XCIX. a beato Gallo conditum vult post adventum in Italiam Longobardorum annis LXXXVII. impensis Addoaldi filii Theudolindae reginae. Volaterranus auctorem facit ipsam Theudolindam, cum tamen lib. III. pag. LIV. et lib. IV. pag. LXXXVII. honorifice compellet Columbanum, a quo supra Ticinum structum coenobium fatetur : a cujus sancti nomine plura in Italia oppida, unum in Hetruria, quatuor millibus passuum Florentia, aliud juxta Cremam anno salut. MCLXV. conditum a Frederico Barbarossa, vexatum graviter a Carolo V. et Francisco I. Paul. Merula part. II. lib. IV. cap. XXXVI.

Aequiores alii fuerunt ; in his Gerbertus Rhemorum primum, deinde Ravennatium archiepiscopus, demum pontifex maximus sub nomine Sylvestri II. Is epist. IV. et V. " Quod abbatiam S. Columbani habere videmur, Italorum nulli gratias agimus." Epist. XII. " Nam quae pars Italiae possessiones beati Columbani non continet ?" Epist. LXXXIII. " Bobiensibus utriusque ordinis." Epist. LXXXIV. " Ut fessis rebus beati Columbani subveniatis." Epist. CXXX. affectum suum in illum sanctum prolixe exequitur. Paul. Warnefrid. libro secundo Histor. Longobard. cap. XVI. in V. provincia Bobium locat, et lib. IV. cap. XLIII. " Circa haec tempora beatus Columbanus ex Scotorum genere oriundus, postquam in Gallia, in loco qui Luxovius

dicitur, monasterium construxerat, in Italiam veniens a Longobardorum rege Adoloaldo gratanter exceptus est, coenobiumque quod Bobium appellatur, in Alpibus Cottiis aedificavit, quod quadraginta millibus ab urbe dividitur Ticinensi; quo loco et multae possessiones a singulis principibus sive Longobardis largitae sunt, et magna facta est ibi monachorum congregatio." Nec dissentit Martyrologium Romanum XXI. Novembris: "In monasterio Bobiensi depositio S. Columbani abbatis, qui multorum coenobiorum fundator, plurimorum monachorum extitit pater, multisque virtutibus clarus in senectute bona quievit." Eadem Ado, Usuardus, alii. Bobium antea Libernam dictum, vide Hieron. Suritam ad Itinerarium Scoti. Ipse vero de senectute sua in Epist. ad Fedolium, ex qua liquet XC. annos excessisse; sic enim in fine:

Haec tibi dictaram morbis oppressus acerbis,
Corpore quos fragili patior, tristique senecta;
Nam dum praecipiti labuntur tempora cursu,
Nunc ad Olympiadis ter senos venimus annos.

Scotum faciunt, praeter laudatos, Joan. Leslaeus lib. IV. Hist. Scot. pag. CXLVIII. Arnold. Uvion lib. II. Lig. Vit. cap. XIV. "S. Columbanus Scotus, monachus monasterii congregationis Benochorensis," et infra. Anton. Possevin. tom. I. Appar. Sacr. pag. CCCXXXIX. Henricus Canisius, Melchior Goldastus. Gilbertus Genebrardus Chronico, ubi tamen male eum collocat in annum DCXXIII. ut mox videbitur: "S. Columbanus Scotus Angliam, Galliam, Italiam, Germaniam, cujus multos populos ad fidem anno DCXXX. convertit, partim per sese, partim per discipulos, monasteriis replevit; nam nullum adhuc seculum tantam celebrium monachorum segetem protulit." Westmonast. anno DCLXVI. "S. Columbanus de Scotia veniens in Brittanniam clarus habetur." H. Boethius non tantum domo Scotum, sed etiam "veteri regum Scotorum stemmate" ortum scribit lib. IX. pag. CLXXII. Vincent. Bellovac. lib. XXIII. Speculi cap. IV. S. Anton. Florentin. part. II. tit. XIII. cap. VI. num. XI. Trithem. de Viris illustribus Ordin. S. Benedicti lib. II. cap. V. lib. III. cap. XXVI. Petrus in Catalogo lib. X. cap. XCV. et alii qui mihi non sunt ad manum videantur. Multa Rolandus Huerlebeut Vasco. contra Irland. Franciscus Sansovinus Illustr. Ital. Famil. pag. CXI. "Sub annum

DCCC. Donatus Scotus, episcopus Bobiensis, exstruxit ecclesiam S. Brigidae Placentiae, et adsignavit monasterio S. Columbani, non solum amore Dei, sed etiam quia S. Columbanus oriundus erat ex Hibernia Scotiae insula." Auctor peregrinus falso putavit Hiberniam eo seculo Scoticae fuisse ditionis; et illud sane constat Donatum, Scotia oriundum, illud honori divino, et patriae suae ornamento dedisse, ut SS. Brigidae et Columbani memoriam revocaret; quorum illa in Scotia ipsa continente, hic in insulis Hebridibus Scotiae adjacentibus, et Scoticae semper ditionis, orti essent. De hoc testimonium haeretici, patriae meae infensi, Gulielmi Camdeni in Damnoniis, seu Cornualia, pag. CXXII. " Oppidum mercatorium Columbani Scoti, viri sanctissimi, memoriae consecratum sedet." Id asserit fidentius vir pius et Catholicus Fridegodus in Vita S. Audoeni apud Surium tom. IV. pag. CCLXXII. " Vir Deo dilectus Columbanus, genere Scotus." Arnold. Uvion lib. V. cap. XI. " Et tulit se postmodum ordo Benedictinus in Scotiam Angliamque . . . . . e quibus ad Burgundicas Galliae partes S. Columbanus ascendens." Nec vero Hirlandi exultent, si S. Jonas Scotus, in Vita, eum in Lagenia natum dicat, nam vox corrupta, et dicendum Ladenia, nam Ptolomaeus lib. II. tab. III. in Albione locat Gadenos, qui Γαδηνοὶ, et uno elemento mutato rectius Ladeni, nunc Laudien, in qua regia Edimburgus: atque ita Maeatae sub valle Pictico sunt, nunc Merchia, quia limes Scotiae, ut in Dione, et Xiphilino in Severo, post hos Laudenia, quae usque ad oceanum occiduum pertingit: hinc facile et hunc et Divam Brigidam Scotiae nostrae vindicabis, quia nati in Laudenia dicuntur, et haec quidem ibi nata, postmodum patre in Cathenesiam misso, ad insulas se contulit Scoticas, velumque virginitatis induit.

Vitam ejus actaque omnia Adamandus, seu Adamannus, Scotus, de quo supra, libris III. complexus erat, et Jonas ejusdem discipulus, sed in cujus scripto multa sint depravata, inserente Laurentio Surio tom. VI. Wandelbert. Prumien. Martyrologio:

> Undenam abba Columbanus sibi servat ab ipso
> Oceano, multis vitae qui dogmata sanctae
> Religione pia sparsit sermone manuque, &c.

Inter ecclesiasticos scriptores a Sigeberto reponitur cap. LXI. et ve-

re multa scripsit, sed quae ad me, nomine tenus saltem, venerunt, sunt:

In totum Psalterium Commentarius lib. I.
Collationes ad Monachos lib. I.
De Moribus eorum lib. I. versu.
Monasteriorum Methodi lib. I.
Epistolae ad Commilitones lib. I.
Adversus Regem adulterum lib. I.
Epistolae ad Hunaldum Acrostichis, ad Sethum, ad Fedolium, a Melchiore Goldasto publicatae, et notis illustratae, lib. I.
Carmina Monasticha, quorum editio prima Henrico Canisio debetur, lib. I.
Regula Coenobialis, MS. in bibliotheca S. Galli in Helvetia, lib. I.
Epistolae de Miseria humanae Vitae, MS. ibidem loci, lib. I.
Liber Poenitentiarum (Trithem.) lib. I.
Instructio de Fide, et alia nonnulla, ait Hartmotus in notatione librorum qui sunt in Sancti Galli bibliotheca, lib. I.

Venit ex Hibernia in Britanniam anno DXXXVII. ut Rhegino abbas Pruviensis vult, sed multo serius e Scotia in Angliam descendit, ut loquitur Matthaeus Westmonasteriensis anno DLXVI. Eum sub Mauritio Aug. locat Wingartensis monachus in Chron. tom. I. Antiquar. Lection. Canisii. Coenobium Luxovium condidit anno DCII. Sigebert. Bobium vero, sive Bovium, struxit anno DXC. ut Mariano placet, vel anno DCIV. Sigebert. Obiit anno DXCVIII. Westmonaster. vel Marian. vel anno DCXX. Boethius, vel DCXXX. ut plerisque visum. Ejus discipuli, ut nominatos omittam omnes, sanctis adnumerati, Deicolus, Chanoaldus, Walbertus, Chillenus, Valaricus, Wandelinus. Trithem. lib. III. de Vir. illustrib. Ordin. S. Benedicti; et meminit Egilwardus lib. III. de S. Burchardo cap. II.

S. CELSUS. 245.

S. CELSUS, religiosissimo peregrinandi voto suscepto, in Angliam, atque inde in Belgium profectus, incredibili ardore Christi cau-

sam promovit, et in sancto opere extinctus, miraculorum gloria coruscavit. Hunc Anglum facit nonnemo, imperite, cum Petrus Cratepolius diserte Scotum faciat, et vulgari versiculo patet :

Vulganii Celsi, quem Belgis Scotia misit.

Maligne commenti sunt Anglum fuisse ex supposito versu :

Vulganii Celsi, qui ad nos procedit ab Anglis.

Quasi ab Anglis procedere, sit esse Anglum, cum omnes nostrates peregrinationes suas ab Anglia inciperent. An aliquid scripserit, ignoro.

Sacrae ejus reliquiae in Lensiensi ecclesia conservantur in Belgii confinio, et colitur die XXVI. Julii, Molano et Ferreolo Locrio auctoribus.

Quo anno floruerit, non deprehendi, puto tamen MC.

S. CONSTANTINUS. 246.

S. CONSTANTINUS III. Scotorum rex, Ethi F. ingenti acie ab Anglis victus, regnum reliquit Malcolmo I. Donaldi VI. filio, et ad D. Andreae, sanctissimo proposito, monachum induit, et post multos labores exantlatos vinculis vitae caducae solutus, ad aeternam abiit quietem. Hect. Boeth. lib. XL. Histor. Scot. Joan. Leslaeus lib. V. et alii. Scripsit, ut volunt,

Ad Athelstanum Angliae Regem super Pace cum Scotis lib. I.
Laudat hoc opus Historia Scotica Forduni.
Meditationes pias lib. I.

Vixit religioso habitu annis XXXV. rex fuit annis V. obiit anno DCCCCXLIII. Arnoldus Uvion lib. IV. Ligni Vitae cap. VII. Errat non leviter Ingulphus Croylanden. Hist. pag. CCCCXCIX. eum in acie ait interfectum a Singino Wicciorum centurione. Colitur XI. Martii.

S. COMUS, AB. 247.

S. COMUS, abbas in Scotia sub Aidano VIII. rege, sanctorum illo ferace seculo, canonicorum pater, scripsit

Enchiridion Precum lib. I. et alia.

Colitur die IX. Junii. Obiit anno DCCX. Calendarium Adami Regii, et Scotichronicon meminit non uno loco. Abbas fuit regii in Maia insula claustri, seu prior, transtulitque S. Colmoci reliquias die V. Febr. anno laudato, ut in actis loci.

S. CONGALLUS. 248.

S. CONGALLUS alius a laudato, aetate, officio, et scriptis; nam posteriorem paulo minus sexcentis annis praecessit, et cum ille fuerit abbas, hic Culdeorum episcopus sanctissimus sedebat, dum Ertha ab insula Buta cum S. Blano filio in ulteriorem Scotiam appulit, ut ex Hist. Ecclesiae Dumblanensis et vita S. Blani ex Georgio Neutono archidiacono liquet, S. Kennethi collega. Vide supra lib. II. in S. Blano. Scripsit

Conciones ad Scotos et Pictos	lib. I.
Homiliarum opus	lib. I.
Contra Arrianos	lib. I.

Florebat anno CCCCXLVI. Colitur die XII. Maii. Regius.

S. COLUMBUS. 249.

S. COLUMBUS vel Columba: Martyrologium Romanum IX. Junii Scotum facit, incolatu scilicet; revera in insulis Scotiam ab Hibernia secernentibus natus, recte habetur Hibernus: XXXII. annis in Scotia versatus, multorum monachorum pater, et regum sanctissimus educator; de quo, qui plura cupis, adi annales nostrates, et in his Hectorem Boethium lib. IX. ubi Brudanum Pictorum et Aidanum Scotorum reges dissentientes reconciliat, et eidem Aidano insignem victoriam precibus impetrat, multaque pia alia opera in gente illa patrat.

Nonnulli hunc cum Columbano, ut dicebam, confundunt; nam licet tempus quadret, unde errorem ortum existimo, tamen caetera disparia; nam hic nunquam extra Hiberniam et Scotiam progressus, ille totam pene Europam pia peregrinatione lustravit; hic in Scotia obiit in Huyo insula, ut Bedae placet, ille Bobiense coenobium morte sua cohonestavit: denique multa ille scripsit; ab hoc, praeter sanc-

titatem, nihil ad posteros manasse credo.

Obiit anno DCVI. sepultus Duni in Hibernia, ut ex vulgato epitaphio manifestum, cujus fidem infirmam hoc opere probavi.

S. COMINUS. 250.

S. COMINUS abbas, discipulus S. Columbae, de quo Joan. Leslaeus lib. IV. pag. XLII. H. Boethius lib. IX. pag. CLXVI. " Venere cum eo (S. Columba) in Albionem viri duodecim Christi dogmate insigniter imbuti, sed magis longe sanctissimis decorati moribus, Bathenus et Cominus, qui, post Columbae exitum, monachorum claustris praefecti inter Scotos haud mediocre Christi ecclesiae decus attulere." Fama tenet antiquissima, Deirae monasterio praepositum hunc non sine sanctitatis opinione Murthlaci obiise. Ejus sunt:

De vera Pietate	lib. I. Bostonus Buriensis.
In Apocalypsin	lib. I.

Floruit an. DCXLVI. in sanctorum relatus numerum, Arnold. Uvion lib. III. Lig. Vit. pag. CCCCXIII. die XVI. Octobr. Martyrol. Angl.

S. CLARUS, SEU GUILLERMUS. 251.

GUILLERMUS, Scotia relicta, vitam eremiticam in Galliis acturus totum se pietati speculatrici impendit: multorum caecitate divinitus curata, et restituto oculorum usu plerisque, et in his dominae loci, Clari nomen sortitus est, coliturque in pago Neustriae, publico Rhotomagum itinere, qui et nomen ab eo accepit. Hect. Boethius lib. IX. Histor. Scotiae pag. CLXXII. " Eodem Eugenio regnante, Guillermus et Columbanus, veteri Scotorum stemmate insignes, verae religioni devoti, in Gallia multa habiti sunt veneratione." Arnold. Uvion lib. III. Lig. Vit. pag. CCXXVII. " In Normania S. Clari monachi, et martyris." Eadem Molanus addition. ad Usuard. qui addit, " de ejus passione sermonem Nicolai de Nise extare." Asservantur in eodem oppido quaedam ejus memoriae, et in his nuper ipse vidi membranam vetustissimam, ac plane erosam, longis literis, ac manu ipsius, ut putatur, scriptam: titulum tantum assequi potui, qui praeferebat,

Divini Officii Formulae	lib. I.

Vivebat anno DC. aut circiter. Colitur die XVIII. Julii. Uvion loco laudato.

S. CHRONIACUS. 252.

S. CHRONIACUS eo vixit seculo quo nostrates, Aidani pientissimi regis auspiciis, fidei Christianae fundamenta in Anglia jacebant. H. Boethius lib. IX. Histor. Scot. pagina CLXXVI. "In Scotia Connanum, Columbanum, Chroniacum, Dimaum, Bigitanum, et Damianum, eximiae pietatis episcopos, vitae sanctimonia illustratos. Ad hos scripsere epistolas Hilarius archiepiscopus, servans tunc locum sanctae sedis apostolicae, Joannes ejusdem sedis consiliarius, et Joan. primicerius." Ut certum est episcopalem hunc dignitatem administrasse, ita quam rexerit ecclesiam, incertum puto, pro consuetudine illius seculi apud nostrates, nulli certae sedi fuisse alligatum. Magna ipsius sollicitudo pro reconciliandis popularibus sanctae sedi Romanae, in celebratione Paschatis: ea enim tum quaestio unice ingenia exercebat in nostra insula. Ejus sunt:

De Errore in Pascha celebranda	lib. I.
Epistolae ad Hilarium	lib. I.
Concordia inter Britones tentata	lib. I.

Floruit anno DCLXVI. Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CLIX. Sanctus habitus. Uvion lib. III. Lig. Vit. pag. CCCCXII. Colitur XXI. Maii.

S. CONGANUS. 253.

S. CONGANUS abbas, seu Cognanus, miraculis claruit (Uvion lib. III. Lig. Vit. pag. CDXIII. eum tamen in annum DCCLX. male reponit) insigni eruditione, et vitae innocentia. Successit Rabano, in Gallias ad Carolum Magnum profecto, et diu creditur Dumfermelinum coenobium administrasse. Meminit non uno loco Joannes Fordunus MS. Hect. Boeth. lib. IX. Histor. Scot. in fine. Scripsit

In Evangelium Joannis	lib. I.
In Epistolas Petri	lib. I.
Homilias ex Sanctis Patribus	lib. I.
Exhortationes ad Fratres	lib. I.

Desiit vivere anno DCCCLXXX. vel anno M. Hect. Boeth. lib. XI.

pag. CCXXXIV. Alius est Conganus abbas, cujus hortatu D. Bernardus vitam S. Malachiae scribendam suscepit, ut ipse in praefatione profitetur. Colitur XXIV. Novemb.

S. CONGELLUS FAUSTUS. 254.

"S. CONGELLUS Scotus," ait Antonius Possevinus tom. I. Apparat. Sacr. pag. CCCXLV. "auctor congregationis Benchorensis." Cognomentum ei Faustus. Plenius Notkerus Balbulus in Martyrologio, ubi de S. Columbano: "Qui cum plurimos discipulos vel socios sanctitatis suae suppares habuisset, unum tamen, Congellum scilicet, Latine Fausti nomine illustrem, praeceptorem beatissimi Columbani, magistri, domini, et patris nostri Galli, virtutum ac meritorum suorum quasi unicum, exemplo Isaac, reliquit haeredem." Arnoldus Uvion lib. II. Lig. Vit. cap. LXIV. "D. Congellus Scotus, abbas Benchorensis, et illius congregationis auctor." Academiam Benchorensem in monasterium mutasse, stulte tradit Jacobus Middendorpius lib. III. de Academiis. Ejus sunt:

Regularis Vitae Methodus	lib. I.
Ad Coenobiorum Patres	lib. I.
Epistolae plures	lib. I.

Vivebat, secundum quosdam, anno DCLXXXI. quod falsum esse ex eo convincitur quod S. Columbani fuerit praeceptor, qui in Scotia excessit, ut supra probabam hoc opere, anno DXXXVII. quare ea aetas verior erit: quando aut ubi obierit, non reperi. S. Columbae consanguineus fuit. S. Adaman. lib. III. Vit. S. Columb. cap. XVII. Abbas monasterii, quod Cambas dicitur eidem lib. I. cap. XXXI. et sanctus monasteriorum fundator. Idem lib. III. cap. XXI. Colitur X. XII. Maii. Calend. Regii.

S. COLMOCUS. 255.

S. COLMOCUS episcopus, summa integritate vitae, civium suorum vitia admirabili libertate carpsit; at cum illi nollent resipiscere, neque ad bonam frugem redire, comminationes effectum gravissimum sortitae, gliscente crudeli bello civili inter Constantinum regem et Malcolmum Kennethi regis filium. Ejus sunt:

Monita salutaria lib. I.
Ecclesiae Scoticae Successio lib. I. Citat Joannes Fordunus, quod opus utinam hodie extaret; certe Scotia ornamenta sua, quibus nulli genti videretur inferior, haberet.
Ad Regem pro Pace stabilienda lib. I.

Obiit circa annum MX. Sanctorum albo ascriptum scribit Scotichronicon, et templa ei erecta testantur. Colitur IV. Maii, translatus V. Februarii anno DCCLX. Vide hoc libro supra in S. Como.

S. CONNANUS. 256.

IN S. Connano rara ingenii felicitas, et simplex morum candor: episcopali dignitate Scoticam ecclesiam rexerat eo praecipue tempore, quo reguli Angli legationibus ad reges nostros missis doctores erudiendo populo suo acceperant, ut Vigorniensis monachus, Sigebertus, Uspergensis, Polydorus Virgilius lib. IV. Hist. pag. LXXVII. et alii testantur. Ea tum tempestate plerisque cum S. Finnano et S. Aidano in Angliam evangelii praedicandi gratia profectis, Connanus, Columbanus, Chroniacus, Dimaus, Bigitanus, et Damianus, episcopi eximiae pietatis, sanctimonia illustres, domi consederunt. Hect. Boeth. lib. IX. Histor. Scot. pag. CLXXVI. Ejus sunt:

Pia Exempla, ex SS. Patribus selecta, lib. I.
Meditationes lib. I.
Homiliae lib. I.

Florebat an. DCLXIV. Episcopus hic Sodorensis, in divorum album relatus, colebatur insigni devotione. Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CLV. Ferquhardum regem pie instituit. Arnold. Uvion lib. III. pag. CCCXIII. Colitur XXIV. Novemb.

S. CORMANUS. 257.

S. CORMANUS, Northumbrorum primus apostolus, et SS. albo scriptus. Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CLVIII. "Vir gravis, et eruditione vitaque insignis, missus est ad Northumbros Christi dogmate instituendos," ait H. Boethius lib. IX. Hist. Scot. pag. CLXXV.

Hinc Osualdus rex per legatos a Donevaldo Scotorum rege petiit ut labem gentilitatis, quam invexerant Ofricus et Eufredus reges, pia praedicatione extergeret. Sed " cum Cormanus bonus vir esset, sed asperiori ingenio praeditus," ut ex Beda loquitur Franciscus Godwinus de Praesul. Anglican. p. II. pag. XCI. sive " quod arcana Dei sublimia magno verborum strepitu, ad ostentationem potius ingenii quam auditorum rudium utilitatem ingereret, ut nec bonos mores concionibus suis induceret, nec ad suscipienda fidei initia animos blandioribus praeceptis molliret," in patriam re infecta rediit, cui successor Aidanus missus totam regionem ad Christum convertit, ut lib. I. supra hoc opere docui, et consentiunt annalium nostratium scriptores, nec dissentiunt Anglici. Polydor. Virgilius lib. IV. pag. LXXXI. qui de Aidano, et Osualdo rege per eum, dum in Scotia exularet, Christiano facto, de Cormano nihil, uti nec Matthaeus Westmonasteriensis ad annum DCXXXV. " Osualdus regnum Northanhumbrorum integrum suscipiens, ut fidem augeret in regno suo, misit in Scotiam ubi exularat, et accepit pontificem Aidanum magnae religionis virum : venienti igitur episcopo rex Osualdus sedem episcopalem in insula Lindisfarnensi concessit : ubi igitur fides coepit dilatari, contigit ut evangelizante Aidano, qui Anglicum perfecte non noverat, ipse rex suis ducibus et ministris interpres existeret, longo enim exilii sui tempore linguam Scotorum plene didicerat. Inde contigit, ut fides adeo brevi cresceret, ut in regione illa incredulus nullus inveniretur." Ut haec perfecta per S. Aidanum, ita incoepta per Cormanum, quem scriptores Anglici, quod sciam, non nominant. Florent. Vigorniens. ad eundem annum : " Rex Osualdus misit ad majores Scotorum natu, petens ut sibi mitteretur antistes, cui pontifex missus est Aidanus, per quem, et per ipsum clarissimum et sanctissimum regem Osualdum, in provincia Berniciorum primum fundatur ecclesia Christi, et instituitur." Scripserat Cormanus

Documenta Fidei ad Northanhumbros	lib. I.
Conciones	lib. I.
Commentarios in Scripturas	lib. I.
Acta Legationis	lib. I.

Floruit anno DCXXX. Colitur XII. Martii.

S. CONSTANTINUS. 258.

S. CONSTANTINUS Anglorum Guallorum rex, teste Beda, victus fugatusque ab hostibus, liberis ac conjuge orbatus in Hiberniam profugit, ubi aliquandiu in pistrino pauperum, amore Christi incitatus, deservivit incognitus, tum monachum indutus in Scotiam descendit, impetrataque a loci antistite concionandi facultate, impiorum manibus passus est martyrium, et pro sancto religiose cultus, cui aliquot post secula relato in divorum numerum, templa multi Scoti erexerunt, quae etiam aetate H. Boethii conspiciebantur, ut ipse ait lib. IX. Histor. Scotiae pag. CLXVI. Eadem Anglicanarum rerum commentatores, licet nulla martyrologia memorent, cum tamen diligentiores nostratibus, aut certe feliciores semper fuerint. Servatus autem Constantino in Gareotha, ut audio, honor, et in Gourea. Scripsit

Meditationes	lib. I.
Ad Fratres Homilias	lib. I.
De Regno amisso	lib. I.
De Hostium suorum Crudelitate Epistolas ad Conuallum, ante monachismum ut existimo,	lib. I.
Psalterium	lib. I.

Vivebat anno DLXXVIII. sub Conuallo Eugenii III. fratre, Scotorum rege; sedebat Romae Benedictus I. imperabat Tiberius II. Francorum rex erat Chilpericus. Operum apices ex Catalogo Sconano habui.

S. CONVALLANUS. 259.

S. CONVALLANUS, monachorum qui in Mona insula, regum Scotorum sepultura, pie Christo militabant, abbas, " vita probatus, insignis doctrina," ait Boethius lib. IX. Hist. Scot. pag. CLIX. sanctorum albo ascriptus, Uvion loco proxime laudato ex Jo. Leslaeo lib. IV. Hujus suasu clerus Scoticus supplicationes ob cladem imminentem solennes, a D. Mamerto episcopo Viennensi institutas, lubens recepit, easque postea universalis ecclesia ante ascen-

sionem Domini celebrari praecepit. Meminere Sidonius Apollinaris lib. VII. epist. I. Gregor. Turonen. lib. II. Histor. Franc. cap. XXXIV. Albin. seu Alcuin. Flaccus lib. de Divin. Offic. cap. LXVII. Ado Vien. Chronic. aetate VI. Fuit in Convallano quidpiam divinitatis, nam secretiora scelera quibusdam optimatibus detexit, quo nomine illi a flagitioso actu vitae ad sanam mentem redierunt. Joannes Campusbellus et Veremundus auctores sunt, non pauca ab illo praedicta, quae postea eventus comprobavit. Ejus sunt vaticinia,

De Pictorum Britannorumque Regni Excidio lib. I.
De Scotorum Regum Successione lib. I.
De Anglorum Gentis futura in Christum Pietate lib. I.
Monita ad Proceres lib. I.

Vivebat anno CCCXCVI. Ado Viennen. vel anno CCCCLXVIII. Sigebert.

S. CORMACUS. 260.

S. CORMACUS, Sancti Beani et Donortii in episcopatu Murthlacensi successor, et eruditus et pius antistes, de quo nihil addendum iis quae ab Hectore Boethio sunt prodita lib. de Episcopis Aberdonensibus. Ejus sunt:

Conciones piae lib. I.

Ecclesiam regebat suam MXLI. Hector. Boeth. lib. IX. Histor. Scot. pag. CCXLV.

S. CORMACUS ALIUS. 261.

S. CORMACUS alius multis seculis priorem praecessit, "primus Scoticae ecclesiae illustrator." S. Adamani lib. III. de Vita S. Columbae, cap. XXI. " Monasteriorum sanctorum fundatores de Scotia, quorum illustria vocabula, Congellus, Cahinnechus, Brendenus, Cormacus," nec plura. Scripsit

Regulam ad Fratres lib. I.

Vivebat anno DC. Abest ab omnibus martyrologiis.

S. CANICUS. 262.

" S. CANICUS in Scotia abbas," ait Martyrologium Romanum die XI. Octobris. Usuardus etiam eodem die, ubi Jo. Molanus

notat Kenicum in quibusdam vocari codicibus. Franciscus Maurolycus dicto die: "In Scotia B. Cannitii abbatis." Meminit et Petr. Galesinius in suo Martyrologio, et Petr. in Catalogo lib. XI. cap. ult. Felici. in Ephemeridib. Arnold. Uvion lib. III. Lign. Vit. pag. CCCXXXVII. qui non est mihi ad manum. Scripta interierunt. Nec ullus mortalium pro mendicis stat, omnes enim nominati diserte Scotum vocant, et Jo. a Nigra Valle bibliothecar. S. R. E. "Canicius abbas canonicae Scotiensis confessor." Ghinius: "In Scotia Sancti Canici abbatis."

Nec quo tempore floruerit, certo potui constituere, quod annales nostri sileant, nec martyrologia loquantur. Canonicum regularem facit Constantinus Ghinius. Hoc unum constat, Hiberniam incolatu suo mire olim nobilitasse. Hinc Kilkennia episcopatus, qui Osseria, quasi Kanici fanum: sic Kilpatrik, Colonkil, Kilmaur, Kilreul, Patricii, Columbae, Maurae, Reguli, templa, lingua nostrate. Colitur XI. Octobr.

S. CONUALLUS. 263.

"S. CONUALLUS, D. Kentigerni discipulus, cujus reliquiae celebri monumento in Inchemnen, haud procul a Glasguensi civitate, a Christiano populo hactenus in magna habentur veneratione. Affuit is Aidani regis funeri, dum a Kylsthorain in Canter funebri pompa efferretur in insulam Ionam. Affuit et non multo post populi comitiis in Argadiam indictis, patribus auctoribus, regis novi in demortui locum eligendi causa." Hect. Boeth. lib. IX. Hist. Scot. pag. CLXXI. Jo. Leslaeus lib. IV. pag. CLIII. Arnold. Uvion lib. III. loco toties laudato.

Martyrologia silent, nec quo die ejus memoriam Scotica recolat ecclesia, ex annalibus nostratibus scire potui: anonymo tamen scriptori Scoto lib. de Antiquitate Scoticae Ecclesiae videtur festum ejus recoli postridie calend. Quintil. Viderit ipse. Certe breviaria Scotica die XVIII. Maii cultum volunt, et primum fuisse Glascoensem archidiaconum. Scripsit

Kentigerni Magistri Vitam	lib. I.
Contra Ritus Ethnicorum	lib. I.

Ad Clerum Scoticum super Ecclesiae Statutis lib. I.

Floruit anno DCVI. seculo SS. apud nostrates feracissimo.

S. COLUMBANUS. 264.

S. COLUMBANUS monachus Benedictinus, alius a Bobiensi et episcopo [eodem] cognomine, de quibus supra, egregia " sanctitatis suae testimonia posteris reliquit," ait Arnold. Uvion lib. III. Lign. Vit. pag. CCCCXIII. ex Jo. Leslaeo lib. IV. Hist. Scot. Sed vereor ne erret, et eum monachum Benedictinum faciat, qui aliis episcopus, eo seculo quo acris in Scotia agitabatur de Paschatis celebratione controversia. Ipse viderit. An hic aliquid scripserit, incertum.

Claruit domi in Scotia anno DCXL. Uvion loco laudato. Quo die ejus memoria recolatur, nec mihi exploratum.

S. CHUNIALDUS. 265.

S. CHUNIALDUS presbyter, ex Scotia in Germaniam secutus S. Rudbertum Salisburgensem antistitem primum, multum momenti attulit ad populum Christianis ritibus imbuendum. Scripsit

Acta Rudberti Magistri lib. I. Anonymus auctor Vitae S. Rudberti cap. XVIII. publicatus ab Henrico Canisio tom. VI. Antiquar. Lection.

Floruit anno DCXX. Colitur sanctus XXIV. Septembr. Discipulus S. Eberhardi in Vita Episcoporum Salzburgensium, tom. II. Antiq. Lection. pag. CCLII.

S. CONGALLUS. 266.

S. CONGALLUS, abbas monasterii illius nobilissimi, quod *Haliwode* vocarunt, mirabili sanctitate vitae effulsit praecipuus virginitatis cultor et assertor, ut solo attactu multos continentissimos ex dissolute lascivis reddiderit, ut liber Miraculorum ipsius testatur, quem Patricius Andersonus se vidisse scribit. Scripsit

Trophaea Cruce signatorum lib. I. versu eleganti. Laudat Fordunus.

Catenam Bibliorum, MS. Parisiis, lib. I.

Claruit anno MCXIII. Colitur die XII. Maii, templis ei, variis regni locis, dedicatis. Breviar. Scotic.

S. COLMUS. 267.

S. COLMUS incomparabili vitae sanctitate suis praeluxit, episcopus doctissimus Orcadum, qui Romae consecratus familiaris Benedicto VII. ei sua opera nuncupavit, ut in Indice Maiano. Scripsit

De inaestimabili Missae Sacrificio lib. I.
Passionis Dominicae Mysteria lib. I.
De Conciliis generalibus lib. I.

Floruit anno MX. Colitur praecipua quadam religione, templa Deo, sub invocatione ipsius, varia dicata, die VI. Junii. Breviar. Scotic.

S. CHRISTIANA. 268.

S. CHRISTIANA, vel Christina, filia Agathae, de qua lib. I. supra, soror S. Margaretae, monasticam vitam amplexa, Buchanan. lib. VII. Hist. Scot. ex eo Jacobus Gretserus Commentar. Exeget. monialem induit. Westmon. Matth. Paris. Polydor. Virgil. et alii. Scripsit

Epistolas ad Patrem Regno pulsum lib. I.

Claruit anno MLXVII. Vide Matthaeum Paris ad annum MC. Polydorum lib. IX. Colitur VII. Septemb.

JOANNES CAMPUSBELLUS. 269.

JOANNES Campusbellus, vernacule Cammel, nobilissima comitum Argatheliae domo oriundus, foecundo ingenio, et omnibus scientiis accommodato, et in academia Parisiensi, ac Bononiensi in Italia, et domi apud suos summa claritudine viguit. Eum "probatum auctorem" appellat H. Boethius, et in his eum numerat quos sibi sequendos in patria adornanda proponit. Scripsit

Scotorum Chronicon lib. I.

Vixit anno MCCLX. regnante apud Scotos Alexandro III.

S. CALANUS. 270.

CALANUS ex vetustissimis illis Scotis qui rudes populos fidem docuerunt. Joan. Leslaeus lib. III. pag. CXXII. Hector Boethius lib. VI. Hist. Scot. pag. XCIX. " Inter nostrates eadem fuere tempestate, sacra doctrina pollentes, Amphibalus antistes, Modocus, Priscus, Calanus, Ferranus, Ambianus, et Carnocus, Dei cultores, Culdei prisca nostra lingua vulgari dicti, Christi Servatoris doctrinam omnes per Scotorum regiones concionando, multis piisque sudoribus seminantes." Nomen ei fortassis a gymnosophista illo celebri, qui Alexandrum Macedonem secutus pyrae se comburendum injecit, ut Plutarchus, Arrianus, Q. Curtius, et alii proditum monumentis reliquerunt; certe enim diu ante haec tempora reges nostri antiquarum historiarum cognitionem invexerant, et familiaritas cum doctis hominibus, a Ptolomaeo rege ad situm regionis explorandum missis, contracta fuerat. Utcunque se res habet, certe Calanus vir praecipuae dignationis. Scripsit

Homilias de Sanctis	lib. I.
Conciones ad Populum	lib. I.

Florebat anno CCCLVIII. Colitur XXVIII. Novemb.

S. CARNOCUS. 271.

EADEM professione et virtute Carnocus habebatur, cujus memoriam audio in Sutherlandia tanquam sanctitate vitae clari diu conservatam; sive ibi loci natus, seu sanctis officiis functus tantum, pro comperto non habeo. Scripta interierunt temporis injuria.

Vivebat anno CCCLVIII. Joan. Leslaeus loco laudato. Colitur XV. Junii.

S. CELLACH. 272.

S. CELLACH, sive Colleacus, aut Coellachus, ex eorum Scotorum fuit numero qui evangelii semina in Anglia sparserunt, vel in adultam segetem et bonam frugem eduxerunt. " Colachus, monachus Huensis," vocatur " Merciorum episcopus" a Trithem. lib. IV. de illustrib. Viris Ordin. S. Benedicti cap. CXLVII. Episcopatum

Coventriae et Lichfeldiae secundus administravit. Malmesbur. lib. IV. Gest. Pont. pag. CLXIV. "Diuma et Cellach, ambo de Scotia." Fr. Godwinus de Praesul. Anglic. pag. CCCLXIII. "Episcopus Lichfeldensis secundus fuit Cellach, e Scotia, sicuti etiam antecessor, oriundus: annos non multos cum praefuisset, deposito sponte episcopatu rediit in patriam suam." Eundem etiam Lindisfarniae antistitem fuisse reperio. Florent. Vigorn. ad annum DCLV. "Primus in provincia Lindisfarorum, et Merciorum, et mediterraneorum Anglorum factus est episcopus Duina, secundus Ceollachus de genere Scotorum." Uno tantum anno posteriorem ejus praesulatum facit Matth. Westmonasteriensis; nam anno DCLVI. "Secundus ejusdem provinciae Lindisfarorum episcopus Coellachus fuit, qui relicto episcopatus officio, ad Scotiam rediit." Uvion lib. II. cap. XLVI. "Diurnas monachus coenobii in Scotia:" et rursus: "Coelachus, seu Colachus Scotus." Huntindon. lib. III. pag. CXCI. "Diumae successit Coellet, qui ad Scotos, unde venerat, rediit." Sub hujus, ut existimo, pontificatum exorta illa de Paschate celebrando disceptatio, quam diserte Vigorniensis refert in XXX. annum ab episcopatu a Scotis in mediterranea Anglia erecto. Itaque pro seculi illius modulo, scripsit

De Paschate celebrando	lib. I.
De Petri Praerogativa	lib. I.
De Concordia Ecclesiastica	lib. I.
Meditationes	lib. I.

Claruit anno salut. DCLVII. quo tempore aut ubi obierit, non deprehendi, suspicor tamen in Scotia, quo concesserat, [ut] auctores laudati testantur, supremum obiisse diem. Colitur XIV. Februarii.

S. CANDIDUS. 273.

S. CANDIDUS presbyter, in Scotia natus ubi coenobium est dictum Sedes Animarum, in tenera pueritia missus ad Lindisfarnensem insulam, et monachum induit, et praeceptorem habuit S. Higbaldum Scotum, indeque, ut religiosorum mos est, translatus Melrosiam S. Alcuino Scoto se totum addixit, cum quo in Gallias profectus ingentem famam retulit a pietate et literatura. Sed inde in Scotiam remissus, ad monasterium Lindisfarnense regressus est,

ut S. Alcuinus Epist. ad Flavium Demetam scribit, cui etiam in Scotia agenti quosdam commentarios suos S. Alcuinus dedicat. Scripsit

Epistolas ad Alcuinum magistrum lib. I. Reliqua opera, Danis insulam illam Scoticam devastantibus, et bibliothecam incendentibus, perierunt.

Claruit anno DCCXC. Colitur XVI. Januar.

JOANNES CURRAR. 274.

JOANNES Currar, sive Currerius, domo Banfiensis, sed insigni militari fortitudine regi Wilhelmo carus. Cum recepisset Northumbriam rex, Currerio data provinciae administratio; itaque ille regio nomine provinciam lustravit, ac circumiens in commentarios retulit vires civitatum, atque populorum qui bello inservire possent multitudinem, ut faceret quoddam veluti summarium aut breviarium regionis, ut vocat Suetonius in Augusto. Titulum operi fecit,

De septuaginta et octo munitis Castellis Northumbriae Comitatus lib. I.
De Possessoribus eorum continua serie lib. I.
De Officio Limitum Praefecti lib. I.
Epistolae ad Wilhelmum Regem lib. I.

Floruit circa annum MCCLXX.

S. COLUMBANUS. 275.

S. COLUMBANUS, et iste ab aliis diversus aetate, et vitae conditione, nam post illos multis annis vixit, et cum illi monasticae se vitae tradidissent, hic episcopus cum Thomiano, Chromano, Dimano, et Bathano coepiscopis, Scoticam ecclesiam regebat, cum orta est illa perniciosa de celebrando Paschate inter Scotos et Britannos quaestio, ut habetur in Decretis Honorii I. cap. XIX. tom. III. Concilior. pag. LXIII. Scripsit

Epistolas ad Hilarium Archipresbyterum, Joannem Primicerium, Joannem Diaconum, Joannem servum Dei, S. R. E. locum servantes, et alios, ut Boethius memorat lib. IX. Hist. Scot. pag. CLXXVI.
De Paschate celebrando lib. I.

Floruit anno DCLXVI. Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CLIX.

S. COMINIUS. 276.

S. COMINIUS discipulus S. Columbani memoratur a Jona abbate Scoto in Vita ejusdem sancti cap. XIII. " Quatuor insigni religione viros per quatuor messis angulos disponit, puta Cominium, Eunocum, atque Atquananum ex genere Scotorum, quartum Guorganum natione Britonem." Cum magistro ex Scotia seu Hibernia egressus, e Luxovio cum eodem a sicariis expulsus, Turones, Aureliam, Nannetes, Parisios lustravit, cum eo Luxovium rediit, in Helvetios venit, in Italiam descendit. Scripsit

Acta Beati Patris Columbani magistri lib. I.

Floruit anno DCLXVI. Sanctis ascribit Martyrologium Angliae colendum die XVI. Octobris.

S. CAILTANUS. 277.

S. CAILTANUS, socius ejusdem Columbae, et discipulus, celebri nomine audit apud S. Adamannum Scotum Vita ejusdem sancti cap. XVII. lib. I. ubi "cellae praepositus" vocatur. Nec alibi de eo legere memini quicquam, quod sciam, nisi quod Bruni collectanea eum in Sutherlandia abbatem fuisse ferant. Scripsit

Meditationes lib. I.

Floruit anno DCVI. Sanctum nonnulli faciunt. Colitur XIII. Mart. Reg.

S. CATALDUS. 278.

S. CATALDUS, Scotus ortu, in Knapdalia monasterio Sancti Philani educatus, et quia natus in Scotiae montanis, quae Hiberniae nomen habuerunt, ideo a nonnullis Hibernus audiit; sed Vita ejus diserte in Iona Scotorum insula natum prodit, quae extat MS. in Ambrosiana bibliotheca, ut ex literis R. P. Georgii Archangeli Leslaei Capucini apparet: praeterea in praefatione ad Successionem Ecclesiae Dunkeldensis Alexander Millus canonicus ait hunc sanctum in Duncaledoniensi tractu et Dumblanensi diu munia epi-

scopalia obiisse, idque probat ex actis ibidem MSS. et ex Veremundo presbytero: verum est, postea, ritu gentis recepto, trajecisse in Hiberniam, atque ibi aliquandiu substitisse, exindeque et ex insulis aut ex Anglia XII. comites sibi adscivisse, ut apostolicum opus aggrederetur, ac tum quidem, hoc comitatu sanctissimorum virorum collecto, iterum rediit in Scotiam, et Lismorae evangelium explicare coepit. Philip. Ferrar. IIX. Martii in SS. Italiae, qui maxima ejus miracula ibidem habet, ut et Ghinius, et Petrus lib. IV. Catalogi cap. CXLIV. ut, cum natus esset, marmor capite percussisset, lapis tenello capiti cessit, mollior cera, recepitque capitis figuram; tum matrem ex dolore partus exanimatam, eodem in loco amplexu suo ad vitam revocavit; duos infantes a morte suscitavit, leprosos mundavit, ac demum a Sancto Petro in somnis monitus, in Italiam profectus, Tarenti factus episcopus, et vivus et mortuus gloriosis miraculorum actibus apparuit. Dicere autem eum Hibernum ortu, est omni historiae ecclesiasticae luce destitui, nam nec tunc quidem, nec centum triginta annos postea, ullus Catholicae fidei Hirlandiae radius illuxit, ut ex Vita Sancti Patricii Scoti apparet, qui primus illius gentis anno CCCXCI. apostolus conversionem tentavit: viderint ergo viri docti quomodo Cataldus, vir adeo apostolicus, inter ethnicos nasci, nec deinde in fide instrui, quae illi toti genti ignota, potuit. Scotum ergo fuisse oportet, et id ratione firmum, etsi auctores deessent. Scripsit vir sanctus

Homilias ad Populum	lib. I.
De Visionibus suis	lib. I.

Floruit anno CCCLXI. qui annus est, ut puto, depositionis. Colitur diebus IIX. Martii, Ferrar. et IIX. et X. Maii, Ghin. Acta Eccles. Tarentinae. De sanctis Scotis Italicarum civitatum patronis, excellentissimus Galeottus Picus, Mirandulae princeps:

Lux tenebras, aurum plumbum, sic Scotia Iernen
Vincit, doctrina, relligione, viris.
Clara etenim Innocuo pietas est Romula primo,
Tu, Bonifaci, isto clarus in orbe nites,
Cyriacus decorat sedem, atque exornat eandem:
Multi alii proceres, purpureique patres.
Inde Tarentinis pergit radiare Cataldus,
Donatus Lupios frater et inde docet;

Inde Columbanus Bobii fundamina jecit,
Casta Fluentina Brigida in urbe sonat,
Faesulae ab Andrea et Donato lumina ducunt,
Sancte Faventinos Aemiliane beas,
Et Gunifortis Ticinum corpore gaudet,
Clara domus Plinî te, Gunibalde, canit.
Dempstero Veneti assurgunt, et bella loquuntur
Parthenopes Scotos martia corda duces.
Lanea sus, celebris dira olim clade Ravenna,
Laudem horum Tarrus sanguinolentus habet.
Hos sanctos fortesque simul colit Ausonis ora.

S. CHRISTIANCIA. 279.

S. CHRISTIANCIA, Ursulanarum virginum una, mirando modo Colonia in monasterium Cisterciense translata, ut Caesarius monachus scripsit lib. IIX. cap. XXCV. Nec plura de hac diva Scota.

Passa martyrium anno CDLIV.

S. CLEOMATA. 280.

S. CLEOMATA, et ipsa Ursulae comitum una, cum diu nesciretur locus suae sepulturae, ipsa evidenti revelatione indicavit, et ut decenter transferretur cum duabus sociis, effecit: demum cum in eo monasterio Cisterciensium negligenter asservarentur sacra earum pignora, redierunt Coloniam, ut cum miraculis retulit Caesarius loco laudato.

Caesa est anno eodem; sed diem translationis incertum reor, uti et praecedentis.

S. COLUMBANUS. 281.

S. COLUMBANUS, abbas Benedictinus, alius ab iis quos supra descripsi, nam in Scotia semper vixit, et a severitate silentii et disciplinae vocatus *Reclusus*. Scripsit

Pias Sententias, versu, lib. I.

Annus incertus. Colitur die XIII. Februarii. Jo. Molanus in Natal. Sanctorum Belgii.

S. COLUMBANUS. 282.

S. COLUMBANUS, dignitate illo superior, nec sanctorum operum gloria inferior, episcopatum gessit Longiniensem; sed ubi locus ille, in Scotia, an alibi, quaerant alii, nam ego non reperio, non mo-

do non in Scotia, sed ne ullibi quidem terrarum, nisi forte sit Longovicum, cujus meminit anonymus noster Scotus in Notitia utriusque Imperii, et oppidum est hodie nobile in episcopatu Dunelmensi in confinio Scotiae, vulgo Langcaster; nescio itaque an hic locus ille sit, et *Longovicensis* legendum sit: certe S. Adamannus Scotus lib. II. de Vita Sancti Columbae eum nominat tanquam virum episcopatu dignum, et primitivae apud Saxones ecclesiae praesulem; quapropter auguror hunc nostrum unum ex successoribus Sancti Aidani Scoti fuisse in Anglici populi institutione, sed conjectura tantum est.

Floruit circa annum DCLX. Dies ejus cultus incertus, et soli Deo notus.

S. CONLEATUS. 283.

S. CONLEATUS, episcopus Scotus ex Keldeorum genere, sed, ut eo seculo consuetum, nulli certae sedi illigatus: familiarem eum Sanctae Brigidae virgini facit in illius Vita Cogitosus Nepos; de quo nihil ultra cognitum. Claruit circa annum DXX.

S. CONSTANTIA. 284.

S. CONSTANTIA ex Scotia S. Ursulam secuta, cum ea virginitatem Deo vovit, terreni sponsi amplexus fugit, Romam profecta, inde Coloniam secundo Rheno delata, una cum aliis virginibus, magna ex parte Scotis, ab Hunnis dira barbarie Christo immolata. Martyrolog. Canis.

Passa est, et colitur eodem anno CDLIV. et die XXI. Octobr.

S. CHUVILDA. 285.

S. CHUVILDA, martyr et virgo Scota, amore Dei peregrina, post Gallias Germaniasque lustratas maxima sanctimonia apud Boios substitit, una ex Sancti Willibrordi Scoti discipulis. Ferunt eam monasterio praefectam, et Sancto Bonifacio Scoto Germaniarum apostolo familiarem; tempus certe id patitur, et hagiologi Germani id asserunt, ex quibus Wolfang. Lazius lib. VII. Migration. Gent. pag. CCXXXIX. Scripsit

Meditationes super Passione Domini lib. I.

Florebat anno DCCXXXIV. Dies incertus.

S. CONNALLUS. 286.

S. CONNALLUS Scotus, monachus, Sancto Columbae se junxit ex insulis in Albionem venienti, nec diu post monasterio Divini Ruris ab eodem sancto constructo praefectus, summa continentia vixit, ut erat illud seculum Deo placens, nec aliud sanctorum feracius temere judicarim. Scripta Connalli perierunt.

Florebat in Scotia anno DCIX. Colitur die II. Junii.

S. CORBICANUS. 287.

S. CORBICANUS, monachus ac presbyter Scotus, zelo domus Dei incensus, ad populorum conversionem animum intendit, et cum S. Adalgiso Scotia egressus, in Belgium se contulit, ubi inter gentis illius apostolicos viros numeratur, ut ex Vita S. Adalgisi docemur. Scripta interierunt.

Peregrinabatur anno DCLI. ut ex Sigeberto clarum. Colitur die XXV. Junii.

S. CYRIACUS. 288.

S. CYRIACUS, vir summi nominis, episcopus Scotus, et martyr: hic enim Romae cardinalis agebat, cum S. Ursula virginea cum legione eo venit, et " quia erat ex ejus patria," ut loquitur Catalogi auctor Petrus lib. IX. cap. XXCVII. ideo cum illa martyrii desiderio fervens, Coloniam se contulit, ubi optatam diu palmam percepit, cum virginibus caesus. Errat vero Petrus Equilinus, nuper loco laudato, qui eum pontificem maximum et ecclesiae caput fuisse scribit, et insuper in Petri cathedra sedisse anno uno, mensibus decem, diebus viginti; cum non sit verisimile eum, ut ille ait, " quia cardinalibus et clero invitis decessit, erasum pontificum albo;" non est, inquam, verisimile, quia historica ecclesiastica non memorat ullum ad eam sedem electum, sponte discessisse, praeter S. Petrum Coele-

stinorum auctorem, Bonifacii VIII. decessorem. Ut verum non sit ergo eum pontificem fuisse, certe in aperto est, maxima sanctitatis opinione floruisse olim, et nunc hodie Coloniae miraculis inclarescere, ubi templum habet Deo sub invocatione ipsius, et versus appositi, quibus papatus honorem eum fugisse proditum. Acta ecclesiae Coloniensis, et Petrus Cratepolius Minorita in successione illius sedis. Joannes Gualterius in Chronico Chronicorum pag. MCCLXI. ex loci archivis :

Clemens Cyriace, papatum renuis,
Ad nutum Ursulae decedens strenuus
Triremibus ad Ubios.

Passus est anno CDLIV. Colitur die aliis communi, XXI. Octobr. translatio vero agitur XXIX. April.

S. CORDULA. 289.

" S. CORDULA, Ursulana virgo et martyr, una et ex praecipuis virginibus, quae apud Coloniam sunt passae cum Ursula ac toto collegio." Verba sunt Petri Cratepolii in Sanct. German. pag. XLIII. tum ex nescio quo Roberto ait eam ab Alberto Magno translatam et levatam; additque, " apud Dominas Joannitas conservatur, cujus sepulchrum in horto visitur :" nec plura.

Passa est anno CDLIV. translationis dies est ignotus apud me.

S. CONSTANTIUS. 290.

S. CONSTANTIUS Scotus, una cum Ursulanis Deo mactatus, cum antea fuisset laborum, voti, castitatis, ac peregrinationis comes : hinc liquet aliquos viros, pietate insignes, virgines sanctas domo comitatos, nam praeter Cyriacum, de quo hic supra, Jacobum Patriarcham Antiochenum, Scotos, Manthulum episcopum Basiliensem, alii quoque viri in comitatu fuere. Petri verba sunt lib. IX. cap. XXCVII. " Pater Ursulae Maurus Christianissimus rex Scotiae, cum iram regis Angliae formidaret. . . . . eis honorabilem comitatum multorum episcoporum et baronum Angliae et Scotiae tradidit." Ex horum episcoporum vel baronum numero Sanctus

Constantinus hic noster censendus, cujus gloriosae reliquiae Coloniae claustro RR. PP. Augustinianorum, ut habet Cratepolius SS. German. pag. XLII. Scripsisse videri potest aliquid, sed ne apices quidem supersunt. Passus est anno CDLIV. Colitur XXI. Octobr.

GUL. CARRIUS. 291.

GULIELMUS Carrius, seu Carus, nobili in Scotia stirpe oriundus, diu peregrinatus, Roma redux in Anglia aliquantisper substitit, ubi misertus illius populi a Danis infidelibus adeo misere oppressi, scripsit quaedam, quae postea in illius gentilium manus cum devenissent, perierunt, ut ex Foxio haeretico Parsonius Jesuita ostendit alicubi.

Historia Cariana lib. I.

Haec historia scripta videtur anno DCCCCXL.

THO. CONFERENUS. 292.

THOMAS Conferenus, canonicus regularis Augustinianus in insula Maia professus, vir magna nobilitate seculi, nec minore in literis merito, clarrissimum aevi sui jubar, frater Rudolphi illius Confereni, quem Eduardus I. Angliae rex cum numeroso exercitu contra Scotiam miserat, ut narrat Polydorus Virgilius lib. XVII. Hist. Angl. sed Thomas, patriae amans, suasit saepe fratri ne infestis armis patriam parentesque impeteret. Itaque varia eruditione insignis scripsit haec, quorum ex Indice Maiano nomenclatura:

Epist. ad Rudolphum Fratrem lib. I. Contra Bachonem lib. I.
De Mathematicis lib. I. Optica lib. I.

Vivebat anno MCCCXX. Non fuit cum aliis viris doctis Scotia ablegatus ab Eduardo tyranno, quia tum ille Romae erat, negotia ordinis sui procurans, et sero domum rediit.

ROB. CALDER. 293.

ROBERTUS Calder Scotus, unus e nobilissimis academiae Parisiensis doctoribus, rector erat cum ingens ea controversia inter scholares et cives accidit tempore Philippi regis Primi; itaque causam suorum gnaviter suscepit, scribens

De Causa Scholarium ad Regem Philippum lib. I.

Vivebat anno MCC. Acta Nationis Germanicae, Parisiis. Hujus discordiae meminit historia Gallica, et insuper Hovedenus part. II. Annalium pag. CCCCLVII.

JACOBUS CURLAEUS. 294.

JACOBUS Curlaeus, presbyter Societatis Jesu, patre Scoto in Belgio natus, qui reginae Mariae a secretis et epistolis fuit: hic vero in Hispaniis diu professus philosophiam, theologiam, ac literas humaniores, vir Scotiae et Belgii lux ingens ac fama; cui Scoti, cum multam grati animi significationem exhibuerimus, plura debebimus, quod facultates suas amplissimas fratri suo Hippolyto reliquerit, atque eas ille societatem etiam ingressus, nostro Duaci collegio assignarit. Scripsit Jacobus, ut a multis accepi,

Controversias Theologicas lib. I. Dramata lingua Hispanica lib. I. quae rex ipse Hispanus spectavit.

Obiit anno MDCXV. Tales surculos jejuna Hirlandiae arbos non producit.

ALEX. CRAGIUS. 295.

ALEXANDER Cragius Bamfiensis, mediocri loco natus, sed claro ingenio, Gallias vidit, ut audio, et Angliam, nec bene ei cum sectariis convenit, plurimum vero religioni orthodoxae favet; nam scripsit *Monachum et Adolescentem, sive Bivium Herculis*, lib. I. argumento ab Xenophonte petito. Vivit adhuc Bamfiae.

GEORG. CONAEUS. 296.

GEORGIUS Conaeus, perantiqua et imprimis nobili stirpe natus, quae per varias frequentesque affinitates illustribus Gordoniorum, Leslaeorum, Setoniorum, Cheynaeorum familiis juncta, tandem dedit Patricium Achryi longo sanguinis jure dominum, virum Catholicae religionis professione, et fortitudine clarissimum; cujus industria et virtus in mirabili illa trecentorum equitum Catholicorum contra decem millia haereticorum peditum Bellerenessensi victoria, bis ipso in conflictu mutato equo, magnum ad hostium internecionem momentum attulit. Georgius filius, parentibus ob emicantes etiam in infantia ad virtutem omnem et probitatem scintillas prae caetera prole amatus, pene puer ad capiendum ingenii cultum ad exteros missus, in Belgio Duaci, ubi decurso philosophiae stadio egregiam elegantis ingenii ex publica concertatione laudem reportavit, in Galliis Lutetiae, in Italia Romae et Bononiae, omni liberalis doctrinae genere animum serio subegit. Dumque Bononiae esset, illectus constanti supra adolescentis aetatem gravitate Mirandulae

dux, unico filio, et principatus haeredi, studiorum morumque magno ambitu ascivit formatorem et ducem, admiratusque canam prudentiam de retinendo apud se, ornandoque perpetua aliqua et lauta fortunarum conditione Conaeo, saepe cogitavit. Eo in secessu complurium virorum cum natalibus, tum literarum cognitione inclytorum, amicitiam sibi conciliavit, in queis familiarissime est usus illo Nestore Hercule Rondinellio, et ab eo vehementer aestimatus. Ne vero sine fructu et linea tempus illud laberetur, aliquot viridibus adhuc et herbescentibus annis, opuscula canae eruditionis et consiliorum plena est meditatus: inter quae eminet Institutio Principis, ex adytis prudentiae et pietatis dictata, luculentum certumque animi ad rerum magnarum tractationem nati argumentum; et velitatio, sive prolusio adversus Scotorum hostes, edita Bononiae absente auctore, titulo Praemetiarum, quam epigraphen ascripsere amici homines suam sententiam secuti. Cum autem vitae genus ecclesiasticum sibi proposuisset Conaeus, nec aulam saecularem ei cogitationi idoneum esse intelligeret, adulta jam aestate anni MDCXXIII. maximo aestu, ita volente Deo, Romam venit, statimque in illustrissimi cardinalis Montisalti familiam admissus, ita se generosissimo principi probavit morum suavitate et compositione, ut post menses sex moriens honestissimo legato Conaeum auxerit: qui patrono orbatus in amicitiam illustrissimi D. Francisci Barberini, Maphaei tunc cardinalis, nunc Urbani VIII. Pontificis Opt. Max. fratris filii, se penetravit, qui Conaei consuetudine delectatus, statim admoto ecclesiae clavo patruo inter primos in familiam suam, volente pontifice, vocavit; quo ipso tempore dedit publico, dicavitque novo principi, Historiam de serenissimae Scotorum Reginae et Martyris Mariae Steuartae Vita; quae ut conspecta publicataque fuit, tantopere doctis prudentibusque placuit, ut non defuerint, qui in linguam Italicam verterit unus, alter universam narrationem politissimis versibus Hetruscis includeret, clarissimus vir, et tersissimus poeta, Franciscus Braciolinus. Maximam isto scripto expectationem apud omnes excitavit majora olim praestandi; atque nunc prae manibus habet de Religionis apud Scotos in hunc usque diem Statu compendiosam historiam, quam re-

ducem ex Gallia, ubi principi suo illustrissimo legato Barberino admodum utilem operam navare dicitur, editurum speramus. Scripsit ad haec, Panegyricos, Poemata varia, ut est ingenio ad prosam orationem versumque foecundo et facili.

THOMAS CARCART. 297.

THOMAS Carcart Scotus, ex Cataphractorum ductore in Belgio factus Franciscanus, ad regulae obedientiam vixit, et in Dei mandatis excessit. Uno quidem cingulo discinctus, sed meliori donatus, scripsit

De Militia Spirituali lib. I.

Obiit Antverpiae anno MDCXII.

GEORGIUS CAMERARIUS. 298.

GEORGIUS Camerarius, seu Calmer, adolescens doctissimus, post studiorum cursum in Scotia completum Lutetiam venit, quo doctior et melior fieret, et cum alterum annum ibi in literarum regina urbe substitisset, Hierosolymos iter intendit; verum cum in idoneo anni tempore in Italiam descendisset, Bononiam appulit, indeque Patavium, cataplum orientalem expectaturus: sed diu virtus illa, et solida majorque aetate doctrina, latere apud populum sagacissimum non potuit; nam ex latebris extractus in apertam lucem, publicae literarum humaniorum professioni est admotus, invitantibus et admittentibus clarissimis et illustrissimis viris Dominico Molino, senatore Veneto, annonae triumviro, Paulo Leonio, patricio Pataviensi, J. C. Comitum Schinellae, et Manfredo de Comitibus, Alexandro Synclytico, patricio Cyprio, C. Octavio Livello, equite Sanmarciano, J. C. et v. clar. Roberto Sperancinio, Pisaurensi philologo. Qua in statione ita se Camerarius gnaviter gerit, ut omnium spem expectationemque rarae eruditionis magnitudine et elegantia longe transgrediatur.

Scripsit ad illustrissimum Molinum,

Eclogas lib. I.
Epigrammata de variis rebus lib. I.
Pro Scotia contra Ptochogenen lib. I.

Vivit adhuc professione inclytus primo adolescentiae flore, Graece et Latine doctus, versu et prosa bonus.

THOMAS CARNIGILLUS. 299.

THOMAS Carnigillus, scholae Aberdonensis praefectus, vir literatissimus, primae meae juventae institutor. Scripsit

Poematum libros, et Justi Lipsii de Constantia libros in linguam Scoticam transtulit.

Obiit anno MDCII. hostis haereticorum.

JACOBUS CARMICHEL. 300.

JACOBUS Carmichel Hadintoniensis, Graece ac Latine doctissimus. Scripsit

Dictionarium Graeco-Latinum Scoticum lib. I. opus infiniti laboris, et reconditae disquisitionis, quod Thomas Thomasius Anglus vili pretio ab illo emit, et suo nomine publicavit; et cum ille fide data, jurejurando interposito, silentium promisisset, res vulgata ab iis qui chartas in museo ipsius autographas vidissent.

Vixit adhuc Hadintoniae in Scotia haereticus, sed catholicus obiit, a Patricio Andersono Societatis presbytero absolutus.

JOANNES CAMERON. 301.

JOANNES Cameron eloquentissimus bonas artes Galliis diu celebri nomine professus, vir maximus indubie futurus, si Catholicam fidem haeresi praetulisset. Scripsit

Orientalium Linguarum Collationem lib. I.

Hebraicos quosdam auctores Latine vertit lib. I.

Vixit Salmurii patriae ornamento: nunc audio Parisiis orthodoxam fidem professum, ac Glascuae agere.

B. CLAUDIA. 302.

B. CLAUDIA, Romano cognomento assumpto Rufina dicta, insignis Romae poetria, sub imperium Domitiani. M. Martialis Coquus lib. XI. epig. LIV.

Claudia caeruleis cum sit Rufina Britannis
Edita, quam Latiae pectora plebis habet!
Quale decus formae! Romanam dicere matres
Italides possent, Atthides esse suam.
Di bene, quod sancto peperit foecunda marito,
Quod sperat generos, quodque puella nurus.
Sic placeat superis, ut conjuge gaudeat uno,

Et semper natis gaudeat illa tribus.

Balaeus apostata Anglam facit impudenter et indocte, ut solet, cum revera Scota fuerit. Petrus Bandozianus Cestius in Synoptica Orbis Terrarum Epitome pag. CXXXIX. *Caeruleos Britannos* in versu Martialis laudato interpretatur *Scotos*, cum saepe nomen Britannorum diversum sit ab Anglis, ut in notis ad Historiam Belli sacri Benedicti Accolti docui.

Hanc Graece Latineque doctissimam A. Rufus Pudens, cum exul in Scotia esset, ut notum longinquas relegatis proscribi solitas regiones, in uxorem duxit: causa certe exilii, Christianae pietatis professio; nam imperatores ethnici in longinquis provinciis, procul Roma Christianos habitare permittebant. Cassiod. lib. I. Tripart. Hist. cap. VII. Ita ablegatum Pudentem alloquitur Mart. lib. VI. ep. LVIII.

Cernere Parrhasios dum te juvat, Aule, Triones
Comminus, et Scythici sidera ferre poli,
O! quam pene tibi Stygias ego raptus ad undas
Elysiae vidi nubila fusca plagae!
Quamvis lassa tuos quaerebant lumina vultus,
Atque erat in gelido plurimus ore Pudens.
Si mihi lanificae ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista Deos,
Sospite me sospes Latias reveheris ad urbes,
Et referes pili praemia clarus eques.

Qui locus exilii Pudentis dici Anglia non potest, ubi aura temperatior, et coelum clementius, sed Scotia, cujus ultimi tractus frigore horrendo infamantur, quod vox *comminus* apposite denotat: deinde quid vetat locum tentari?

Cernere Parrhasios dum te juvat, Aule, Triones
Comminus, et Scotici frigora ferre poli.

Maxime cum Florus vetustissimus poeta apud Ael. Spartianum in eadem voce depravatus sit. Ita enim de Adriano:

Ego nolo Caesar esse,
Ambulare per Brittannos,
Scythicas pati pruinas.

MS. meus optimae notae, in membrana oblonga forma, diserte praefert,

Ambulare per Britannos,

Scoticas pati pruinas.

Hanc ergo, uti dicebam, Romam reversus Pudens legitimo matrimonio sibi junxit. Vide Martial. lib. IV. epigr. XIII.

Nescio quid improbo Balaeo in mentem venerit Hetrusco eum sanguine ortum, sine ullo teste, et in senatorum numerum referre; cum eum in quatuordecim locet Martialis laudatus supra, et lib. I. ep. XXXII.

Grata Pudens meriti tulerit cum praemia pili.

Quod de tempore exilii, et nuptiarum cum Claudia, certe postea "senator ab apostolis Christo in baptismo vestitus," ait Martyrolog. Roman. XIX. Maii, "innocentem tunicam usque ad vitae coronam immaculate custodivit." Eadem Beda, Usuardus, Ado Trevirens. et alii. Meminit ejus Divus Paulus epist. II. ad Timotheum cap. IV. in fine, et in ejus aedibus D. Petrum apostolorum principem Romae primum diversatum constans ab antiquitate fama persuasit. Baron. ad locum Martyrolog. laudatum. Liberos autem peperit Pudenti Claudia tres sanctos, Novatum, Pudentianam, Paxedem; de quibus suis locis hoc opere. Nec vero Parsonius eam Anglam facit, imo probat in Conversione Anglicana non potuisse esse Anglam; et Scotam facit v. cl. Andreas Marianus Lucensis, doctor, ac professor Bononiae philosophiae, in literis hisce nostris longe versatissimus: is ergo in Ruinis Romae lib. III. epig. XXXIV. sic ad pontificem Urbanum IIX. loquitur:

Tu Romane Pudens, tu Scotae Claudia gentis,
Pontifici primum panditis hospitium.
Fortunati ambo, quorum domus hospita Petro
Tutus erat portus navis apostolicae.
Claudia vestalis numen navemque recepit,
Cepit naviculam Claudia, Petre, tuam.

Scripsisse autem Claudia dicitur

Epigrammata lib. I.

Florebat anno salut. XCIII. aut praeter propter. Eam etiam inter matronas laude continentiae clarissimas numerat Plutarchus lib. de Conjug. Praecept. ad finem.

S. CLAUDIUS. 303.

S. CLAUDIUS, Alcuini Scoti collega, cognomento Clemens, in academiis Parisiensi et Ticinensi erigendis operam navavit. Aegy-

dius Cortozetus cap. VII. Antiq. Parisiens. pag. XLV. Paul. Merula Cosmograph. part. II. lib. III. cap. XXI. id contigisse anno DCCLXXI. Franc. Belforestus auctor pag. LXXXI. sed vereor ne cum errore XX. annorum. Neque probo Zabarellae cardinalis, aut Petri Anchorani J. C. sententiam, qui academiam Parisiensem erectam volunt ad ejus quae jam Romae erat archetypum, cum eo seculo omnes literae silerent, neque ulla publici juris schola. De Claudio Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis: " Claudius monachus ordinis Sancti Benedicti, discipulus quondam Bedae in Anglia, et collegii Albini levitae et abbatis, natione Scotus, vir in divinis scripturis valde studiosus et eruditus, et secularis doctrinae non ignarus, carmine exercitatus et prosa." Extrema deinde senecta ob sapientiae summam opinionem creatus est episcopus Altissiodorensis in Gallia anno DCCLXI. ut numerat Democharès. Anton. Possev. Apparat. Sacr. tom. I. pag. CCCXXI. " D. Claudium Scotum Alcuini collegam in fundanda academia Parisiensi" vocat; et " episcopum XXXI. Altissiodorensem" vocat Arnold. Uvion in adjunctis ad Lignum Vitae. Successor Gilliani, decessor Adulfi. Chronicon Altissiodorense anonymi a Nicolao Camuzat editum pag. LXVII. " Scotum" vocat diserte Sangaliensis monachus lib. I. de Gest. Caroli Magni, " in secularibus et in sacris disciplinis incomparabiliter eruditum." Et inde prima editio Commentarii in Epistolas Pauli ad Galatas procurata ex biblioth. Petri Pesselieri coenobitae Altissiodorensis, cui praefixa haec erant: " Claudii Episcopi, Alcuini quondam, cum sub venerabili Beda, tum in fundatione academiae Parisiensis collegae, Commentarii." Elegans est testimonium de hoc et multis aliis nostratibus apud Paulum Langium monachum Bosnaviensem in Chronico Citizensi ad finem: " Si ordinis nostri sancti et devotissimi patres Columbanus, Gallus, Kilianus, Bonifacius, Willibrordus, Ludigerus, et pares, suis in monasteriis resedissent, quis Austrasiorum, quis Francorum, quis Gallorum, Baiariorum, Vindelicorum, Doringorum, Saxonum, Hessorum, Frisonum gentes ad Christi fidem convertisset? Si denique ordinis nostri praestantissimi, praesertim Augustinus, Mellitus, et Justus, magni Gregorii papae discipuli, c Alquinus, [corrupte, legendum enim est, *si Alcuinus*,] si Beda, Rabanus, Strabo, Marianus, Claudius, Lambertus, et similes domi mansissent, quis Angliam,

Scotiam, Hiberniam fidei rudimentis praedicando imbuisset? quis insuper in Gallia almificam et famatissimam illam Parisiensem universitatem instituisset? quis potentissimum nobilemque in Francia episcopatum illum Herbipolensem fundasset? quem utique D. Burchardum, primum ejus ecclesiae praesidem, sicuti et Parisiensem academiam Alquinum [lege ut supra, *Alcuinum*] nostri ordinis patres, fundasse certissimum est." Ejus sunt a Trithemio et Gesnero posita:

In quinque libros Moysis	lib. v.
In Judicum	lib. i.
In Ruth	lib. i.
In Divi Pauli Epistolas	lib. i. MS. Casini.

Uvion, qui opus illud, loco laudato, Longobardicis literis extare prodit scamno v.

In Josue	lib. i.
Matthaeus, seu Evangelistarum Concordia,	lib. i.
In Psalterium	lib. i.

Floruit sub Achaio Scotiae rege, et Carolo Magno Franciae rege, anno DCCXCI. obiit vero anno DCCC. vel DCCLXVI. die XIII. calend. April. Uvion ibidem loci.

CLAUDIUS CLEMENS ALTER. 304.

EADEM gente et cognomine Claudius Clemens, sed paulo serius SS. theologiae studia non vulgariter excoluit, illustri loco natus, carus Ludovico Pio imperatori, cujus expeditionis in Normanos susceptae meminit in praefatione ad Epistolam D. Pauli ad Galatas: a quo episcopus Taurinensis in Pedemontio consecratus, male de cruce sensit, contraque eum librum edidit Jonas episcopus Aurelian. Vigornien. anno DCCCLXII. Falso cum praecedenti confundunt tom. IX. Bibliothec. SS. Patrum theologi Colonienses; nam aetas non quadrat, etsi quaedam scripta eodem sint argumento suscepta, et titulo eodem emissa: hic tamen tempore posterior fuit, et cum ille in Galliis, hic in Italia sancte agebat. Joan. Major lib. II. Hist. Scot. cap. XIII. imperite etiam confundit. Inter Latinos poetas eum Lilius Gyraldus Ferrariensis ponit. Ejus sunt:

Sententiae quaedam Theologicae	lib. i. contra quas scri-

psit Dungalus. Vide quae notavit Papyrius Massonus J. C.

In D. Matthaeum exposuit Baronius tom. x. Annal.	lib. III. quem primus
In Pentateuchum	lib. V.
In Capita Judicum	lib. I.
Enarrationes in Ruth	lib. I.
Super Psalterium	lib. I.
In omnes Epistolas Pauli	lib. I.
De Evangelistarum Concordia	lib. XIV.
Memoriale Historiarum	lib. I.
Summa quaedam	lib. I.
Homiliae tradidit.	lib. I. ut Bostonus

Claritudo praecipua anno DCCCLXV. sed quando obierit, aut ubi, non reperi.

CLEMENS VI. 305.

CLEMENS VI. etsi ortu Lemovix, tamen inter Scotos meos jure reponetur ex Scotichronico lib. VI. cap. XLV. " Hic Papa Clemens VI. descendit linealiter de Maria comitissa Bononiae, filia S. Margaretae reginae, et Malcolmi regis Scotorum." Hoc nolui omissum, qui bona fide res Scotiae meae disquiro, et honorificos laudis non fictae titulos ei comparo. Consulenda hist. eccles.

Sedit annis [decem.] Electus est anno [MCCCXLII.]

S. CADUCANUS. 306.

S. CADUCANUS, illustri comitum de Galweia sanguine in Scotia natus, filius Fergusii, frater Othredi, cum diu bonis literis incubuisset in academia Oxoniensi, quae omnibus Scotis et Hibernis, ut dixi, non minus quam Anglis communis erat, et confirmat Clementina *de Magistris* lib. v. ex decreto concilii Viennensis sub Clemente V. inde extractus, ad Banchorensem sedem vacantem vocatus, diu eam pie et moderate administravit; sed regiminis pertaesus, derelicto honore, in Scotiam remigravit, et se in mo-

nasterium Tunglandiam, a patre suo non ita pridem fundatum, abdidit, religiosae quietis cupidus, ubi Cisterciensem habitum assumpsit, et sanctissimum in eo finem est consecutus. Delirat eruditionis omnis antiquariae rudissima bellua Joannes Pitsaeus cum suo Lelando, quem nunquam vidit, aut verius cum Balaeo improbitatis omnis architecto, cujus foeditatis tantum ramenta colligit, et hunc nostrum Anglum facit, et in Buriensi coenobio defunctum vult, cum historia comitum Galweiorum aperte ea quae posui confirmet, auctore Alano Turonensi, cujus fragmenta erudita habeo ex cura Richardi Bruni. Sed tota ineptia est Bostoni Buriensis, suum professionis locum nobilitare cupientis. Scripsit vero Caducanus

Speculum Christianorum	lib. I.
Homiliarum	lib. I.

Vivebat anno MCCXXV. Colitur XX. Januar.

CLEMENS. 307.

PAULO ante horum tempora Clemens alius insigni nomine gentem suam dedecorabat, qui ea egressus bonarum artium ergo in Gallias trajecit, indeque in superiorem Germaniam progressus, gravem cum Bonifacio cive suo, Moguntiae archiepiscopo, concertationem suscepit. Cognomen hoc ei fuisse apparet, nam revera Claudius etiam ei nomen, quem haereseos damnat Sebastianus Medices in Summa omnium Haeresium in verbo *baptismus*, et in verbo *oratio*. Balaeus vult illum in Catalogo Haereticorum censeri a Bernardo Lutzenburgo; sed abest a codice meo, qui prodiit Parisiis apud Joannem Parvum sub signo Lilii anno MDXXIV. ut suspicer postea insertum a malevolo quopiam gloriae nostratium invido. Eum in senectute resipuisse vult Christophorus Browerus in monasterium intrusum, ad Poemata Rabani pag. CXVIII. De eo intelligenda sunt ea ex MS. codice in Indice Abbatum Fuldensum: " Rabanum et Hattonem Thuronos direxit ad Albuinum magistrum, gratia liberales discendi artes, Brunonem et Einardum, variarum artium doctorem peritissimum, Modestum et Candidum, cum aliis, ad Clementem Scotum, grammaticae studendi gratia: sed

auro et argento, coronis et lucernis, et omnibus bonis locum hunc gloriose provexit." Meminit et Wicelius junior in Vita S. Bonifacii:

> Progenerans quosdam Stygio e foetore scatentes,
> Insipidum Albertum, Clementem et finibus isdem,
> Samsonem, Scotos, sinceri dogmatis hostes,
> Audentes sanae doctrinae opponere sancti.

Scripsit super mota controversia,

In Bonifacium	lib. I.
De Grammatica jam proxime laudato.	lib. I. ut ex MS. apparet
Epistolas ad populares Scotos	lib. I.
De Eucharistia	lib. I.

Damnatum volunt a S. Zacharia pontifice in synodo Romana anno DCCXLV. obiisse vero putatur DCCL. In concilio Vercellensi a Leone IX. pontifice, damnatis libris, ipsum non fuisse damnatum, prodit Fulgos. lib. I. cap. I. de Dict. memorabil.

B. CLEMENS. 308.

MULTIS post hos seculis Clemens Scotus Dominicanus ex Gallia, commendante eum ipso S. Dominico Alexandro regi in Galliis agenti, in Scotiam cum VII. fratribus trajecit, et Bervici monasterium ordinis sui erexit sub nomine S. Trinitatis. Floruit "vir fide et virtutibus plenus," ait Leander Alberti Bononiensis lib. III. de Vir. illustr. Praedicator. Egregie illum a literis et pietate extollit Philippus Wolpius lib. III. de Peritorum Virorum Vitis. Dublini episcopatum gessisse constat. Stephanus Sampayus in Stemmate, et Joan. Michael Plodius Bononiensis Annalibus Dominicanorum. Scripsit

Conciones	lib. I.
Vitam S. Dominici	lib. I. Forduno teste.
Ordinis sui in Scotiam Ingressus	lib. I.
De Peregrinatione ad Loca sancta	lib. II.

Florebat anno MCCL. sub Alexandro II. rege Scotiae. Ubi aut quando obierit, nullus, quod sciam, scriptum reliquit. Putant tamen Dublini excessisse; sed ille non Dublini antistes, verum Dumblani

in Scotia, ut ex Historia Alexandri Milli alibi fuse. Antonius Senensis Lusitanus Chronic. Ord. Praedic. pag. LXVII.

LUDOVICUS CERLEON. 309.

LUDOVICUS Cerleon, exul in Anglia, praeclara ingenii sui monumenta reliquit; nec plura de eo deprehendi, nisi in patriam revocatum statim excessisse. Ejus sunt:

Eduardi Angli Tyrannis	lib. I. Sconanus codex.
Epistolarum D. Pauli Explanatio	lib. I.
Philosophiae Compendium	lib. I. quae ultima duo opera Basileae prodierunt.

Vivebat anno MCCCLXIX.

COGITOSUS. 310.

COGITOSUS, nobilissima domo ortus, S. Brigidae Ladinensis nepos, et eidem aequalis, ut ipse in fine operis sui innuit. V. clar. Theodorus Marcilius monasticae professionis eum fuisse existimavit, sed nulla probabili ratione. Ignotum erat apud Scotos hujus nomen, donec Henricus Canisius e tenebris memoriam quasi fugitivam retraxit, et publicato opere recidivatu donavit. Cujus praefationem vide. Meminit Anton. Possevin. Apparat. Sacri Append. II. pag. XXIV. Scripsit

De Vita S. Brigidae	lib. I.

Et alia in bibliotheca Bavarica ejus monumenta conservari audio.

Vixit non anno MXXIII. ut viro alioquin docto visum, sed cum ipsa S. Brigitta, aevo scilicet Justini Minoris circa annum DX. Sitne nepos ex carne an nomine, penes alios sit quaestio.

S. CHRISTIANUS. 311.

S. CHRISTIANUS, monasterii Scotorum D. Jacobi Majoris suburbio Herbipolitano coenobiarcha, precibus ab Embrichone Herbipolensi episcopo obtinuit, ut coenobium illud in peregrinorum gratiam erigeretur, ut narrant literae fundationis ejusdem

monasterii. " Vir magnae religionis, et morum sanctitate integerrimus, sub cujus regimine donationes multae fidelium huic monasterio pro Dei honore, et S. Jacobi, factae sunt," ait Trithem. in Chronico ejusdem monasterii. Et paulo post: " Christianus abbas II. vir moribus et eruditione praeclarus, cujus vita et doctrina multos ab iniquitate ad normam justitiae convertit." Scripsit

Ad Embrichonem Episcopum super fundando Monasterio Scotis lib. I.

Obiit anno MCLXXIX. Sanctum putat relatumque in sanctos Henricus Fitzsimon, et ante eum Jo. Fraserius.

CAELESTINUS. 312.

CAELESTINUS, dicti loci coenobiarcha VIII. ordinatus ab Ottone de Londemburg episcopo Herbipolensi. Scripsit

In minores Prophetas lib. I.

Obiit anno MCCXXXIV. Rexit monasterium annis XI.

CULDEI. 313.

CULDEI, seu Keldei, sacerdotes erant, qui ab assiduis in fide laboribus sic dicti, id est, *Deum timentes.* Vide in Apparatu meo ad Hist. Scot. et lib. I. supra in *Auminus.* Ex horum corpore praesules electi. Scripserunt

Institutiones ad Clerum et Populum Scoticum lib. I.

Floruerunt ab initio fidei a Scotis receptae anno CCIII. nomen usque ad patrum nostrorum memoriam pervenit.

COLUMBANUS. 314.

DUCENTIS et amplius post Sanctum Columbanum annis vixit Columbanus alius hymnographus, cujus est ode ad Andream episcopum de obitu Caroli Magni, publicata pridem inter Rabani Mauri opera, seu poemata a R. P. Browero. In ea se nominat:

O Columbane, stringe tuas lacrymas,
Preces effunde pro illo ad Dominum.

Hic Scotus fuerit necne, divinare non sustineo, et solum infirmumque est a nomine argumentum. Utcunque extincto Carolo Magno hymnum illum scribebat, nam meminit exequiarum Aquisgrani ei persolutarum circa annum DCCCXIV. sed an hic ad peculium meum spectet, aliorum erit censura. Ego delibero.

GUL. CHEYSOLMUS. 315.

GULIELMUS Cheysolmus, nobilissimo sanguine baronum de Cromly ortus, vitae integritate morumque continentia clarissimus, XL. jam annis episcopatum Vasionensem in Avenionensi comitatu regit patriae ornamento, pauperibus unico solatio. Scripsit

Confutationem Confessionis Scoticae lib. I. Prodiit Avenione anno MDCI. laudat illustriss. Card. Bellarminus Responsione ad librum Regis cap. VIII.

Controversias Fidei lib. I. opus, ut ferunt, grave et eruditum. Ego non vidi.

Sedet adhuc, et ecclesiam suam pie fideliterque administrat.

BENEDICTUS CHELYDONIUS. 316.

BENEDICTUS Chelydonius, abbas Scotici ad Viennam in Austria monasterii, vir pius et eruditus, in quem honorifica multorum extant elogia, sed maxime Eckii theologi, cum quo arcta familiaritate vixit. Scripsit et vulgavit

Contra Lutherum Apostatam lib. I.

Bandini de Rebus Theologicis lib. IV. publici juris fecit.

Scribebat anno MDXIX.

CORNELIUS. 317.

CORNELIUS cognomento Hibernicus, quod in montibus Scotiae natus, quod genus hominum et olim atque etiamnum hodie Hiberni vel Hibernienses vocari soliti. Scripsit

Historias Scoticae [Gentis] lib. I. Non vidi opus, sed imitari eum Boethius non uno loco se fatetur, et multa fragmenta ruinae exortia apud me.

Floruit anno MCLXV.

ALEXANDER COCBURNUS. 318.

ALEXANDER Cocburnus, nobili comitum Bothuelliorum familia ortus, patrum memoria bonas artes Lutetiae profitebatur. Scripsit

Academiae Parisiensis Laudes	lib. I.
De Foedere inter Francos et Scotos	lib. I.
De Philosophia Orationem	lib. I.

Obiit anno MDIII.

ALEXANDER COCBURNUS. 319.

ALEXANDER Cocburnus alius, et ipse nobilissima familia ortus, juvenis meliorem Europae partem discendi studio peragravit, proba vita, et amoeno ingenio. Laudatur a poeta Scoto, poetarum sui seculi principe, lib. II. Epigrammat.

Omnia quae longa indulget mortalibus aetas,
Haec tibi, Alexander, prima juventa dedit.
Cum genere et forma generoso stemmate digna,
Ingenium velox, ingenuumque animum.
Excoluit virtus animum, ingeniumque Camoenae
Successu, studio, consilioque pari.
His ducibus primum peragrata Britannia, deinde
Gallia, ad armiferos qua patet Helvetios:
Doctus ibi linguas quas Roma, Sion, et Athenae,
Quas cum Germano Gallia docta sonat.
Te licet in prima rapuerunt fata juventa,
Non immaturo funere raptus obis.
Omnibus officiis vitae qui functus obivit,
Non est fas vitae de brevitate queri.

Praecocem ejus obitum et acerbum funus idem deplorat lib. Miscell.

Ingratis vexata hominum Natura querelis,
Et sterilis lassis credita visceribus,
Cocburnum in lucem dedit, et rude pignus alendum
Mnemosynes natis credidit, et Sophiae:

Sors, ubi maturis accessit robur ab annis,
Addidit et dotes ambitiosa suas.
Sed sibi praeferri Virtutem irata, doloris
Exegit poenas, vindice morte sui.
Si numeres annos, cecidit florente juventa,
Si studia, et mores, et benefacta, senex.

Edidit varia, sed ego tantum vidi

Itinerarium Galliae Sequanicae	lib. I. prodiit Parisiis.
Helvetiorum Mores	lib. I. MS. in bibliotheca Jacobi Bongarsii.
Elegias	lib. I. prodierunt Lugduni.

Obiit anno aetatis XXV. sal. MDLXXII. incertum ubi.

PATRICIUS COCBURNUS. 320.

PATRICIUS Cocburnus, gentilis alterius, Lutetiae etiam trium linguarum peritia inclaruerat, Graecae, Latinae, Hebraicae, ut paucos ea tempestate pares in Europa, nedum in Gallia, haberet. Professus est magna fama, et erudite scripsit

De vulgari sacrae Scripturae Phrasi	lib. I.
De Excellentia Verbi Dei	lib. I.
De Peccato in Spiritum Sanctum	lib. I.
Epistolas	lib. I.
Orationes	lib. I. Prima opuscula apud Robertum Gravionem Parisiis prodierunt.

Docebat anno MDLI.

COROVANUS. 321.

COROVANUS, poeta nostras vetustissimus, scilicet ex bardorum genere, de quo locum Adamanni Coludii Scoti lib. I. de Sancto Columbano Scoto pag. DLVI. " Alio tempore cum sanctus prope stagnum Cei, juxta ostium fluminis, quod Latinis Bos dicitur, die aliqua cum fratribus sederet, quidam ad eos Scoticus poeta devenit, qui cum post aliquam recessisset sermocinationem, fratres ad sanctum, cur, aiunt, a nobis regrediente Corovano aliquod suae artis canticum non postu-

lasti modulabiliter decantari? Quibus sanctus, quare et vos inutilia nunc profertis verba? quomodo ab illo misero homuncione postularem carmen laetitiae, qui nunc ab inimicis trucidatus usque ad finem ocius pervenit vitae?" Atque ita in conspectu ille e vestigio interfectus. Nec plura de eo apud alium memini me legere. Ejus sunt opuscula:

Carmina varia	lib. I.
Odae et Cantica	lib. I.

Vixit circa annum DC. coaetaneus S. Columbano, de quo plene supra.

GILBERTUS CRABBE. 322.

GILBERTUS Crabbe, celeberrimo per Gallias ingenio, eruditione, lingua, et nomine. Laudat impensius Arnoldus Amedelius de Sonis, Carmelita Condomensis, in Epistolis suis. Edita sunt ab eo:

Terminorum Moralium	lib. I.
Pro Puritate Mariae	lib. I
Ad suos Discipulos	lib. I.

Obiit Burdegaliae anno MDXX. Fuit provincialis ord. Carmelitani.

S. CUMENEUS ALBUS. 323.

S. CUMENEUS ab habitu corporis Albus vocatur, more illi seculo familiari, ut Brandanus Niger, Ewaldi Albus et Niger, unus ex primis Benedictinae familiae in Scotia monachis, ex bardorum genere: visitur ei in Iona insula sacellum prope Columbkill, quod putat Henricus Sinclarus aede majori antiquius esse, quia ipse senex esset dum S. Columba ingrederetur Scotiam. Scripsit

Sanctorum Genealogias, versu,	lib. I.

Depositus est anno DXCII. Colitur IV. April. Meminit sancti viri S. Adamannus Scotus in Vita S. Columbae lib. III. cap. IV. Vitam ejus scripsit S. Everhardus abbas in Holmo Cultram.

CHRYSOSTOMUS CAMBELLUS. 324.

CHRYSOSTOMUS Cambel, seu Campusbellus, Glascuensis, integerrimae vitae, ac sanctissimi D. Francisci ordinis sub nomine

Capucinorum socius, in Scotia sua multos labores pro Christi causa, imo et vinculorum non semel contumeliam passus, Lutetiae primas cathedras concionator tenuit, non minus eruditus quam pius: diu apud Austrasiae principes versatus, ordini suo in eam regionem aditum patefecit, conventus Nanceiani et Mussipontani auctor. Scripsit

Contra Calvinianae Haereseos Principia	lib. I.
Disputationes cum Ministris solemnes	lib. I.
Conciones	lib. I.
Spiritualia quaedam	lib. I.

Vivit adhuc in Belgio, ubi barones Forbassi, non ita pridem eundem habitum induti, et vixerunt et obierunt, quorum major sanctitate claret, et vita edita hoc titulo, *Alter Alexis*: non vidi, sed scio editam.

CONRADUS RUFFI. 325.

CONRADUS Ruffi, Sterlingensis Dominicanus, " vir literarum divinarum studiosus, et in scholastica et peripateticorum doctrina versatus," ait Antonius Senensis Lusitanus in Bibliotheca Praedicator. Scripsit

Abbreviationem Expositionis D. Thomae in Evangelia.
Homiliam super Evangelium, " Stabat juxta crucem," &c.
Homiliam in illud Evangelii, " Extollens vocem mulier quaedam," &c.

Florebat anno MCCCXIX.

THOMAS COLYNGHAMUS. 326.

THOMAS Colynghamus, monachus Cisterciensis, Parisiis doctoratus lauream, antequam monachum induisset, assecutus. Commentarii Sorbonici. Ejus est opus serium et grave

De Eucharistia, MS. in bibliotheca D. Victoris, et excusum olim Lutetiae per Joannem Cheyneum.

Vivebat anno MCCCLXXXVII.

ROBERTUS CREIITHIUS. 327.

ROBERTUS Creiithius, forte Kethius, D. Francisci habitum induit, ordinisque sui ornamentum eruditis et piis artibus quaesivit. "Ministeriatus munere bis functus, in sacra theologia consummatissimus," ait Franciscus Gonzaga p. III. Relig. Seraph. Orig. pagina DCCCXLVIII. Ejus est, in Belgio edita,

Harmonia Evangeliorum lib. I.

Floruit anno MCCCXLVII. dixi in Apparatu ad Histor. Scoticam. Sepultus jacet Ipris.

CLEMENS. 328.

CLEMENS monachus, discipulus et peregrinationum S. Mariani abbatis in Germaniam socius, fundati etiam noviter Ratisbonae monasterii incola, "vir doctus" vocatur a Wolfgango Lazio lib. VII. de Migratione Gent. pag. CCCXII. Scripsit, ut audio, in Hungarica Budae bibliotheca asservata, et alibi,

Collectanea ex SS. Patribus lib. I.
Flores Scripturarum lib. I.
Chronicon Hungariae lib. I.

Floruit MCLVIII. Obiit Budae procurans monasterium.

CANDIDUS. 329.

CANDIDUS Benedictinum monachum in Scotia induit, et Sanctum Marianum secutus in Germaniam venit, substititque Ratisbonae, coenobio nuper fundato. Scripsit

Homilias lib. I.

Claruit anno MCLVIII. Wolfgang. Lazius ibid.

RICHARDUS CORVEIL. 340.

RICHARDUS Corveil, decreti doctor, et archidiaconus Laudoniae, eo ipso anno quo ad Harlaw pagum cum Scotis montanis cruenta acie pugnatum est, felicibus auspiciis, primus jus pontificium in academia patria Santandreana profiteri coepit, con-

fluentibus undecunque ad scholae ornamentum et viris literatissimis, et auditoribus modestissimis. Hect. Boeth. lib. XVI. pagina CCCXLII. Multa scripsit.

Paratitla Decretalium, quae fatetur se vidisse Henricus Scrimgerus, cujus exemplo idem opus nuper procuravit Alexander Chassanaeus Parisinus.
Reductio locorum Decreti Gratiani, in Bibliotheca juridica, lib. I.
De Censuris Tractatus lib. I.
De Praescriptionibus in Materia beneficiali lib. I.
De Judice delegato lib. I.
In Titulum de Foro competenti Commentarius, quem laudat alicubi Eguinarius Baro, lib. I.
Orationes lib. I.

Docere incoepit anno MCCCCXI. quando obierit, non deprendi.

DAVID CRANSTOUN. 341.

DAVID Cranstoun, rarae probitatis, et felicis ingenii, dura et exercita juventute laboriose bonas artes Lutetiae didicit, ac deinde docuit magna fama. Inter benefactores Collegii Montisacuti reponitur, quod quaecunque ex honestissimo labore professionis illi obvenerant, testamento ejusdem loci pauperibus reliquit, quorum asper adeo victus est, ut nulli ordinum S. R. E. religiosorum disciplinae ecclesiasticae severitate non certent. Ab eo vidi publicatas Parisiis,

Orationes lib. I.
Votum ad D. Kentigernum lib. I.
Epistolas lib. I.

Testamentum condidit anno MDXII. Jacobus Breullius Antiquit. Parisien. lib. II. pag. DCLXXXIX. Mentio etiam in actis rectoriis et procuratoriis ejusdem academiae.

JACOBUS CRICHTONIUS. 342.

JACOBUS Crichtonius, sive Critonius, illustri familia Clunia natus, in patrio gymnasio prima Musarum stipendia meruit, inde,

ut erat vivaci ingenio, militiam adolescens secutus peregrinam, ejus etiam brevi conditionis pertaesus, in Italiam, literarum domicilium et humanitatis sacrarium, concessit; ubi Genua relicta, qua honorario satis amplo invitatus fuerat, Venetias abiit, eaque ingenii sui, et ad portentum stupendae memoriae, incredibili ea aetate lectione et judicio, monumenta edidit, ut vulgo miraculum orbis et diceretur et esset. Atque crebrescente secunda illa fama inde evocatus, principis Mantuani juventuti praepositus, ab eodem noctu interfectus, gravi ducis patris dolore, nec minore indignatione, summo vero sui, et apud cives suos, et Italos saltem aequiores virtutum aestimatores, desiderio relicto. Amicos habuit praecipuos Laurentium Massam, scriniarium Venetum, Speronem Speronium, qui egregie eum in epistolis commendat ad eum scriptis, Aldum Manutium, qui Paradoxon Commentarium illi inscripsisse dignatus. Ab unico Trajano Boccalinio maledicentissimo male exceptus est, sed cum in eo homine scurrilis dicacitas sine ulla eruditionis mixtura sit, honori erit Crichtonio nostro a tam imperito violari. Sed programma Patavii ab ipso propositum adducam, quo facilius, quanta ingenii praestantia fuerit, intelligatur.

" Ut iis qui (virtute veraque animi nobilitate aliis praelucentes) bene de virtutis amatoribus sentire consueverunt, gratias agat immortales JACOBUS CRITONIUS SCOTUS, profligatisque et perditis hominibus omnem imposterum jactandi occasionem auferat, errores Aristotelis pene innumerabiles, et omnium Latinorum philosophorum, sive cum de ipsius mente disputant, sive cum res theologicas attingunt, et nonnullorum quoque matheseos professorum, somnia refutabit, et ad objecta respondebit.

Liberam ad haec in omnibus disciplinis, sive illae publice doceri soleant, sive sapientissimis tantum hominibus perviae sint, arguendi occasionem dat.

Responsurus, sive logicis et consuetis responsionibus, sive per secretam numerorum rationem, aut figuras mathematicas, sive per aliquot ex centum carminum generibus, ex proponentium arbitrio.

In DD. Joannis et Pauli aede sacra ipso sanctissimo Pentecostes die post meridiem,

EXORDIUM SUMET."

Hanc sane ingenii ostentationem lubentius ferrem, et fidentius praedicarem, quam possem pati jactabunde ad Scotiae reges genus ipsius referendum; nam inane est ea se gentis aut sanguinis gloria perperam arrogata venditare, cum tanta claritudo in tenui fortuna ridicula videatur; quare ut verum sit familiam Cluniam nobilem esse, ita illud mendacissimum, reges Scotiae Jacobi Critonii majores ullos extitisse, quod tamen in epistola ad Commentarium in Paradoxa liminari asseruit Aldus Manutius, plus nimio in laudes sanguinis et familiae effusus. Hoc ideo plenius, ut mortales intelligant quam insipida sit quorundam nostratium adolescentum elatio, qui se vilescere apud exteros existimant, nisi specioso regii sanguinis titulo se commendaverint, quod vix unquam a vere nobili viro fieri animadverti. Sed ad rem redeo.

Ejus sunt:

Odae ad Laurentium Massam plures	lib. I.
Laudes Patavinae	lib. I. Carmen ex tempore effusum, cum in Jacobi Aloysii Cornelii domo experimentum ingenii coram tota academiae frequentia, non sine multorum stupore, faceret.
Ignorationis Laudatio	lib. I. Extemporale thema ibidem redditum post sex horarum disputationes, ut praesentes somnia potius fovere, quam rem se veram videre, affirmarint, ait Manutius.
De Appulsu suo Venetias	lib. I. epos.
Odae ad Aldum Manutium	lib. I.
Epistolae ad diversos	lib. I.
Praefationes solemnes in omnes scientias sacras et profanas	lib. I.
Judicium de Philosophis	lib. I.
Errores Aristotelis	lib. I.
Refutatio Mathematicorum	lib. I.
Armis an literae praestent? oratoria.	lib. I. controversia

Vixit anno MDLXXXI. Plures libros memoriter tenebat, quam quisquam ea aetate legerat. Felix Astolfus in Officina Historica pagina CII.

GEORGIUS CRICHTONIUS. 343.

GEORGIUS Crichtonius, seu Crittonius, eadem gente, sed non familia, natus Edimburgi honestis parentibus, Parisios venit, commune scilicet literarum emporium, coepitque humaniores literas profiteri in Becodiano, Galandii auspiciis, anno MDLXXXIV. amoenissimo sed parum laborioso ingenio, magna in utraque lingua facundia, bonus prosa, melior versu; professor regius Graecarum in eadem academia literarum, genti gloriam, sibi divitias peperit. Ejus sunt opera infinita edita. Ego pauca admodum vidi, quae subjiciam.

Castra Becodiana lib. I.

Sortes Homericae lib. I. Actio extemporalis in senatu habita, argumento ab Homeri loco sorte aperto desumpto, qua ducum Homericorum virtutes senatoribus praesentibus mira eloquentia ac felicitate applicat, qua etiam competitores, et in his Parentium Parisinum, ambitu dejecit.

Cathedrae Cameracensis Querela, de corrupta academiae disciplina, et publicorum professorum vilitate, lib. I.

Genethliacon Delphini lib. I.

Emblemata Duci Suillio lib. I.

Orationes pro reddendo voto lib. I.

Actio forensis cum Richerio, qui in illum scripsit, lib. I.

Augurium Galliae faustum, dum ex peregrinatione votiva Romana rediit, lib. I.

Praefationes in omnes pene probos Auctores Graecos Latinosque lib. I.

Poemata plurima lib. I.

Uxorem duxerat Adami Blacvodaei municipis Pictaviensis filiam, ex qua nulla prole suscepta, obiit anno MDCXI. die VIII. Aprilis, sepultus ad Dominicanos.

GULIELMUS CRICHTONUS. 344.

GULIELMUS Crichtonus, Societatis Jesu presbyter eruditus et pius, quinquaginta annis religiose in eadem societate trans-

actis, peregrinando, docendo, scribendo indefesso labore cives suos, haeresi abdicata, Catholicae ecclesiae unire annisus est, vir probissimae conversationis etiam a sectariis judicatus. Majestatis regiae acerrimus propugnator, quippe cum Anglus quidam ei detexisset Elizabetham Angliae reginam velle se, quacumque ratione, e medio tollere, intercessit, et quantum fieri potuit ab incepto retraxit. Petrus Matthaeus lib. VI. Hist. Gallic. narrat. II. Eoque beneficio regina devincta, cum ille ex itinere Scotico mari interceptus, in Turrim Londinensem conjiceretur, e vestigio liberum dimisit, ultro confessa non posse improbum esse, cui curae esset regia dignitas, et animarum salus. Sileant ergo perditae haereticorum voces clamantium a societate in principes sicarios armari, cum hic Jesuita, hostium etiam confessione, longe ab eo fuerit consilio. Ejus sunt:

Excerpta ex SS. Patribus lib. I.
In primam partem D. Thomae lib. I.
Theologia scholastica contra Sectarios lib. I.
De legitimo Jacobi VI. Scotiae Regis Titulo ad Regni Anglicani Successionem lib. I. Quo libro, Lovanii scripto, vix periculum evásit, extra omnes regis Hispaniae ditiones relegatus. Pro Hispani vero in idem regnum jure scripsit Robert. Parsonius, Jesuita Anglus.
Casus Conscientiae lib. I.

Obiit Lugduni Galliarum MDCXVI. Multis annis Collegium Lovanii Scotorum rexit.

CORNELIUS A ZIRICHZEA. 345.

CORNELIUS a Zirichzea, origine Batavus, a Joanne Mahuberto, Ultramontanae observantiae generali, Eugenio IV. pontifice, rogante Jacobo I. rege, in Scotiam est missus, et monasterium Edimburgi fundat; sed procedente tempore, rebus religionis suae exigentibus, in Belgium cum VI. fratribus reversus, Antverpiae, non sine maxima sanctitatis opinione, obiit. Scripsit

Conciones ad Populum in Scotia lib. I.
Sermones ad Fratres ibidem lib. I.

Epistolas ad Patres Scotos in Belgio lib. I.

Obiit an. MCCCCXLVII. Franc. Gonzaga par. III. de Orig. Relig. Serap. pag. DCCCXLVIII. et frequens Antverpiae ejus piaque extat memoria.

CHRISTIANUS. 346.

CHRISTIANUS, Candidae Casae episcopus, concilio Londinensi celebrato a Richardo Cantuariensi archiepiscopo sub Henrico II. interfuit; ea enim tempestate ecclesia Scotica nondum primates suos habuerat. Rog. de Hoved. Annal. par. II. pag. CCCXX. Mox a Viviano S. R. E. cardinale, et in Scotia apostolico legato, quod concilio ad Castrum Puellarum indicto interesse noluit, sacris interdictus, et a pontificali officio suspensus, Romam provocavit. Scripsit

Acta Concilii Londinensis lib. I.

Provocationis ad Apostolicam Sedem Rationes lib. I.

Floruit anno MCLXXVII.

S. COLUMBANUS. 347.

S. COLUMBANUS abbas, Dagami episcopi coaetaneus, fidelem operam ad pacem inter patriam et Britannicam ecclesiam conciliandam praestitit, ut ex epist. Laurentii Justi et Melliti Anglorum praesulum docemur apud Henric. Huntindon lib. III. Historiar. pag. CLXXXVII. Scripsit

Epistolas ad Ecclesias Britannicas lib. I.

Epistolas ad Confratres Scotos lib. I.

Floruit anno DXCVII. Colitur XV. Octob. Videntur eodem tempore duo hujus nominis fuisse.

JOANNES CUMINUS. 348.

JOANNES Cuminus, ex nobilissimo comitum Buchaniae stemmate ortus, Banfiae natus, falsissime inter Anglos reponitur, cum ipse viderim quaedam ipsius nuper Parisiis scripta, quibus suorum populorum causam pontifici Lucio commendavit in bibliotheca Pauli Petavii senatoris Parisiensis, et Joan. Fordunus lib. IV. eum

regio sanguine asseveret ortum magna ea propter illo in regno auctoritate viguisse. Archiepiscopus primum Dubliniensis in Hibernia, ubi ecclesiam D. Patricio construxit, ut habent annales Hibernici; postea a Lucio pontifice Velitris cardinalis creatur, ut Giraldi Cambrensis auctoritate liquet; Ciaconius, Onuphrius, et alii nullam fecere mentionem ejus. Scripsit indubie multa: ego vidi, in laudata bibliotheca,

Epistolas ad Pontifices	lib. I.
Epistolas ad varios	lib. I.

Consecratus in sacerdotem Velitris a Lucio III. XIII. cal. Aprilis anno MCLXXXII. Hoveden. pag. CCCLI. Creatus est S. R. E. cardinalis presbyter anno salut. MCLXXXIII. ab ecclesia sua pulsus MCXCVII. Roger. de Hoveden Annal. part. II. pag. CCCCXXXIX. Obiit an. MCCXII. sepultus Dublinii. Putant Dublani, non Dublinii, sedisse.

JACOBUS CADANUS. 349.

JACOBUS Cadanus, seu Kid, honestis Alecti natus parentibus, vir prodigiosae memoriae, ac infinitae inexhaustaeque lectionis, utraque lingua supra hoc seculum facundus, rara ingenii felicitate nec minori successu jus publice Tolosae professus, cum adolescens Lutetiae philosophiam et literas humaniores docuisset, ingentem, et magnis sumptibus, nec minori judicio comparatam, bibliothecam moriens dimisit; sacros codices fratribus Augustinianis, juridicos D. Tarrabello, reliquos D. Reido civi suo, testamento relinquens. Ejus sunt:

In Jure Civili nonnulla	lib. I.
Poemata varia	lib. I.
Epistolae	lib. I.

Obiit Tolosae anno MDCXII.

JACOBUS CHEYNAEUS. 350.

JACOBUS Cheynaeus, nobili familia Arnagia, prope Aberdoniam, oriundus, Parisiis docuit in Barbarano, tanto applausu ut unicus haberetur qui inter seculares societatis, patribus tum maxime flo-

rentibus, componeretur. Duaci postea et doctoris et rectoris onus sustinuit, ubi seu tutelare numen etiamnum celebratur; ad ultimum Nerviensi ecclesiae hodie poenitentiarius, ingentes et opinione majores census reliquit, quos testamento Scotorum Lutetiae vix bene fundato assignavit Collegio, sed fraude per executores facta, parum pio usui accessit. Hic etiam juventutem Thomae Dempsteri honestis monitis ad virtutem capessendam accendit, auctor ut triennio Duaci subsisteret cum juvenili impetu Parisios cogitaret. Vir erat magna probitate, et jucunda morum, supra quam credi possit, suavitate; nusquam liberalis, nisi cum pia subesset causa. Ejus sunt:

Orationes Rectoriae III. Duaci prodierunt.
Geographia Universi lib. IV. Hanc non vidi, ut reliqua, sed saepe a recentioribus citatur, praesertim a Purchasio, Magino, et aliis.
De Laudibus Philosophiae lib. I.
Analysis in Aristotelis Logicam lib. I.
Analysis in Aristotelis Physicam lib. I.
Analysis in Aristotelis Ethicam lib. I.
Analysis in Aristotelis Metaphysicam lib. I. Tres priores legi Parisiis excusas; an quarta prodierit, affirmare haud ausim, ipse certe promisit.
Epistolae lib. I.

Obiit Tornaci in Nerviis anno MDCII.

DAVID CHALMER. 351.

DAVID Chalmer, sive Camerarius, Aberdonensis, in Galliis celebri admodum nomine vixit, vir multae et variae lectionis, nec inamoeni ingenii. Scripsit Gallico idiomate varia; et in his est

Epitome Pontificum, Imperatorum, Regum, Rerumque toto Orbe gestarum, lib. I.
Rerum Scoticarum Synopsis lib. I.

Vixit anno MDLXXII. Laudat Richardus Vitus lib. I. Hist. Britan. nota XXXIII. lib. IV. nota I. lib. VI. nota XXVII.

GUILIELMUS CUPERUS. 352.

GUILIELMUS Cuperus, in patrio sermone facundus, ingenio non inepto ad bonas artes, nisi haeretica illud functione corrupisset, vile Calvini mancipium, os Sathanae, et impuritas ipsa. Edidit valde multa, usque adeo ut dicatur bibliopolam Londinensem supra modum operibus suis ditasse. Ad me tituli pervenerunt.

Contra Episcopos lib. I. In quo ridiculus fuit: dum toties voce clara illos exagitasset, veredis subinde mutatis in aulam Londinum profectus, episcopatum a rege mendicavit Gallovidiensem, et obtinuit: tanta in eo constantia!

Collatio cum Catholico Romano, triduo habita super controversis Fidei Articulis lib. I. Ille Catholicus Thomas Dempsterus fuit, qui in id certamen Perthi fraude Clunaei Crichtonii pertractus, dum forte illac parentes invisurus contenderet: exitus fuit, ut ille, nec Graecae linguae nec philosophiae peritus, facile ridendus ab haereticis ipsis exsibilaretur tanquam causae suae praevaricator, et exitium a legibus regni crearet, nisi Baro Oliphantus, Ennernettius, et Stuarti Atholiae, ejus affines, eripuissent; sed postea pudore suffusus, quod cum jurisconsulto, non theologo, sibi res fuisset, nomen illius in opere edito publicare erubuit, et malignis deinde apud regem criminationibus, ut potuit, nocere studuit.

Audio ineunte hoc ipso anno MDCXX. domi excessisse, pseudo-episcopus Gallovidiae creatus, cum diu contra episcoporum causam se exercuisset.

ALEX. COCHRANE. 353.

ALEXANDER Cochrane, doctor theologus, episcopi Brechinensis vicarius ad concilium Constantiense profectus, nomi-

ne episcopi, qui tum decesserat, aut verius ipsius sedis, in concilio sedit, vir singularis eruditionis, et summae moderationis, nec minoris integritatis. Scripsit

Contra Schismaticos	lib. I.
Ad Concilium Constantiense	lib. I.
Pro vero Papa	lib. I.

Vivebat anno MCCCCXXXIX. Haec ex Joanne Lundi canonico Brechinensi.

ANDREAS CRICHTONIUS. 354.

ANDREAS Crichtonius, familia Ennernetia in paucis nobili ortus, laboriosa vita toties Europa lustrata, vir probus. Scripsit, post tertiam custodiae Scotico-haereticae constantiam,

Excerpta ex Psalmis ad consolationem afflictorum	lib. I.
Preces lingua vernacula	lib. I.

Vivit in Belgio ad D. Virginis Montisacuti, speratis, et Romae promissis, sacerdotiis excussus.

DAVID CAMERARIUS. 355.

DAVID Camerarius, seu Chalmer, sacerdos Catholicus, antiqua et nobili Fintriae familia, vir insigni literatura, Graece et Latine doctus, vita continenti ac probatissimis moribus, in Galliis, Hispaniis, Italiaque diu versatus, magna modestiae et integritatis apud omnes opinione. Scripsit pleraque; in his est

Lysander et Lucina lib. I. Poetica historia elegantissima, qua vitae spiritualis, speculativae, ut loquuntur, et activae, perfectio continetur; et habet excursus venustissimos.

In Jus Canonicum aliqua lib. I.

Vivit Romae, patriae necessarius, omnibus vitae integritate carus.

JOANNES COLVILLUS. 356.

JOANNES Colvillus, nobilissimo loco natus, religiosae in comitem Bothwellium observantiae, illum a rege proscriptum in Gallias

secutus, venia a rege toties petita nunquam concessa, Lutetiae aliquamdiu haesit, tum ex animo religionem Catholicam amplexus haeresim bona fide abjuravit, et peregrinationem Romanam magno animo suscepit, majori complevit. Scripsit pleraque, ut erat amoenissimo ingenio, sed ego paucula vidi. In his,

Paraenesis ad Ministros Scotos super sua Conversione lib. I.
Lutetiae prodiit vernacule.
Capita controversa lib. I.
De Causa Comitis Bothwellii lib. I.

Obiit in peregrinatione illa Romana anno MDCVII.

S. CEVILO. *357.*

S. CEVILO, Verdensis episcopus V. Eam tum sedem Scoti multis annis tenebant. Albert. Crantzius lib. II. Metropol. cap. XXX. et ex eo Suffridus Petrus lib. I. de Origine Frisonum cap. XV. Medicinae studiosus, scripsit

Dubiorum in Hippocrate locorum Explanationem lib. I.
Lectionem Sacrorum lib. IV.

Vixit anno DCCCXXVII. Hic est ex illis Scotis quibus "Carolus Magnus," domita Saxonia, "dignitates concessisse," scribit Philippus Belforestus lib. I. Hist. Carolor. et alii historici Galli. Alter ei synonymus tum vivebat.

THOMAS CRAGIUS. *358.*

THOMAS Cragius Edimburgensis, nobili utriusque linguae cognitione imbutus, magna lectionis varietate, judicio summo, comitate mirabili, ut uno verbo dicam, eruditissimis criticis aut jurisconsultis in Europa conferendus. Cujus laudes augere mihi videntur filius Ludovicus, equestri dignitate in senatum Scoticum allectus, frater, regis Magnae Britanniae, nepos, Walliae principis, medici: ipse vero ut alter Maecenas, cum summa posset capessere, mediocribus fuit contentus, et advocationis munus quam sustinuit feliciter, quam meruit submisse. Ejus sunt:

Leges Muncipales Scotiae lib. VIII.
De Scotorum Origine lib. I.
Equitis Angli Refutatio lib. I.

Epigrammata varia lib. I.
Poemata et Epistolae lib. I. et alia multa, brevi, ut spero, ab haeredum manibus, gentis nostrae bono et ornamento, diem visura.
Obiit Edimburgi anno MDCVI.

HENRICUS CHARTERIS. 359.
ALEXANDER CRAGIUS. 360.
JOAN. CORNVALLUS. 361.

Nominibus tantum mihi noti, lectis ipsorum poematiis inter congratulantes regi ob felicem ad Scotos suos regressum, nec de illis in praesens aliud habeo, et scio optimam eorum indolem esse, nisi ab haeresi corrumperetur, quod nollem.

FINIS LIBRI TERTII.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE
GENTIS SCOTORUM
LIBER IV.

S. DAVID. *362.*

S. DAVIDEM hunc Bangorensem faciunt annales Anglici episcopum, et Franc. Godwin. lib. de Praesul. Anglic. pag. DCXLIII. eum male cum altero Davide confundens; nam ille discendi studio extra patriam peregrinatus, Herbipolensis academiae doctor, Henrico V. Caesari a sacris, in Italiam profectus, non videtur in Angliam rediisse, ut tam tenuem episcopatum susciperet, maxime cum Conradus Lichtenau, nec Malmesburiensis, ullam reditus ejus in Britanniam mentionem faciant. Henrici IV. imperatoris favebat partibus. Notae Franc. Jureti ad Ivon. Carnoten. epist. CXC. ubi eum Scotum vocat, et episcopum Bancornensem. Postea acerrime partes pontificum tuendas suscepit. Ejus sunt

Multa in Theologiam, quorum quaedam, ut audio, MSS. in bibliotheca Collegii Benedictini sunt Cantabrigiae.

Consecratus est episcopus anno MCXX. quo anno etiam prior floreat, in aulam Henrici imperatoris praefectus cum Matilda filia S. Matildae Scotae. Guliel. Malmesburiensis lib. v. " David Scotus Bancornensis episcopus," &c.

S. DAVID. *363.*

S. DAVID, alius priori longe antiquior, episcopus fuit Menevensis in Anglia, ac Wallorum apostolus, cujus etiamnum hodie summa est veneratio apud eam gentem. Ineunte aetate audivit SS. Hilutum et Paulinum, a quorum lectione X. annis totis S. Scripturae meditationi incubuit. Discipulos autem habuit maxima ex parte Scotos Kinotum, Aidanum, Madocon, Ismael, Paternum, et Thelianum;

de quibus nil aliud reperio, nisi quod omnes ecclesiis regendis postea cum pietatis praeconio sint praefecti. Duodecim monasteria condidit, Scripturae sacrae codicem semper secum tulit, Pelagianae haeresis reliquias adhuc serpentes penitus extinxit. Inter caeteros vero ex Scotica gente apostolicos viros in Anglia sedem proferendae virtutis elegit, et sedem archiepiscopatus ab urbe Legionum Meneviam transtulit, Arthuro rege volente, inauguratusque est archiepiscopus, Giraldo auctore. Anglum Lelandius facere est ausus, et eum secutus apostata Balaeus, ramentorumque ejus ineruditus collector Joannes Pitsaeus, sed falso; reclamant enim, et civem suum vindicant annales nostri, et vita ejus incerto auctore apud Hoveden. sed multo magis Henricus Sinclarus ex Gaufrido Menevensi id ipsum probat lib. II. Hist. " Amabat Scotos suos, sed raro eos Britannis praetulit." Ejus sunt:

Ad Arthurum Regem Epistolae	lib. I. Fuit hic portentosae IV. cubitorum staturae, et, ut falso volunt, ejusdem Arthuri nepos.
Homiliarum in Evangelia	lib. I.
Contra Pelagianos	lib. I.
Decreta Synodi Wictoriensis	lib. I.
De Regula Coenobitarum	lib. I.

Vixit annos CXLVI. praesul est consecratus anno DXXII. sedit annis LXV. ut necesse sit obiisse illum anno DLXXXVII. cum tamen alii mortem ejus rejiciant in annum DCI. quod, ut verum sit, longe ab Arthuri aevo aberit. Inter SS. relatus est Calixto II. D. post mortem annis. Injurius est ei perfidus et impurus Joannes Foxus, cujus ne spiritus quidem purus. Colitur I. Martii. Molan.

S. DEVINICUS. 364.

S. DEVINICUS, " insignis sanctitate, vitaeque innocentia," inquit H. Boeth. lib. IX. Hist. Scotic. in fine. Archidiaconus fuit, ut ex annalibus nostratibus constat; sunt tamen qui monachum tantum faciant, et Parisiis theologiam professum: sed revera et suscepit episcopatum, et susceptum sanctissime administravit; qua tamen urbe, in patria an alibi, haud facile divinaverim, puto tamen apud

Scotos eo munere functum. Ejus sunt:

Epistolae II. ad Machorium lib. I.

De componendo Regni Statu, ad Achaium Regem, lib. I. Ea enim aetate lethales inter optimates fovebantur inimicitiae, vix unquam sedatae citra alterutrius familiae internecionem.

Vixit sub Soluathio et Achaio, Scotiae regibus, anno DCCCLXXXVII. Colitur die XIII. Novembris. Adami Regii Calendar. et Collectiones Bruni. Templum ei in pago Banchri ad Diam supra Aberdoniam.

S. DIMAUS. 365.

S. DIMAUS, S. Sigenii discipulus, unus ex illis episcopis Scotis habetur, qui per totum regnum nulli certae ecclesiae alligati populum praedicatione erudiverunt, et morum sanctitate ad virtutem attraxerunt. Vir moribus continentissimus, et apostolicae mansuetudinis. H. Boeth. lib. IX. pag. CLXXVI. Ejus sunt:

Epistolae ad Hilarium S. Romanae Sedis Vicarium lib. I.

Epistolae ad Joannem Primicerium lib. I.

Epistolae ad Joannem S. Sedis Consiliarium lib. I.

Floruit anno DCLXIV. Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CLIX. SS. albo ascriptus. Uvion lib. III. pag. CCCCXIV. Colitur XVI. Novemb. Breviarium Scoticum. Reliquiae ad lacum Levinii translatae IIX. Augusti.

S. DONATUS. 366.

" S. DONATUS, Fesulanae ecclesiae episcopus," ait Anastasius in Sergio II. pag. CCCLI. diu peregrinatus pietatem et bonas artes discendi studio, tandem Hetruriam sibi sedem elegit, eremiticae professionis, quam sibi proposuerat, domicilium futurum, sed diu latere non potuit; extractus enim a monastica quiete, publico Fesulanae ecclesiae regimini admotus. Nam cum Andrea comite Roma rediisset, deprehendit clerum Fesulanum ingenti dolore consternatum ob mortem praesulis, qui pridie excesserat, solicitumque reddiderat de successore designando. Sed ut Donatus templum ingressus, campanae omnes sponte sonuerunt, lampades, nullo ignem admovente,

divinitus accensae, vox quoque coelitus audita, " Donatum antistitem designandum." Populus, divinum suffragium magno concursu arripiens, eum pontificiis statim ornamentis ornavit, in quo munere multis gloriose sancteque actis pauperum pater, libertatis ecclesiasticae acerrimus propugnator extitit. Silvan. Razius in Vita SS. Hetruriae pag. CLXVII. Franc. Cattanius Diacetus in Episcopis Fesulanis. Hic divorum numero ascriptus die XXII. Octobr. Martyrolog. Rom. Cui magnificentissima ecclesia erecta Scopeto, ut vocant, prope Florentiam, quae postea in prioratum erecta est anno MCCCCVIII. ut scribit Joannes Baptista Signius Bononiensis, eo scilicet anno quo Scopetinorum ordo per Stephanum Senensem Augustinianum instituitur, et a Gregorio XII. confirmatur. Aubert. Miraeus Chron. Scripsit Donatus

De Peregrinatione sua	lib. I.
De Officio suae Ecclesiae	lib. I.
In sacras Scripturas	lib. I.

Inauguratus est praesul anno DCCCII. quando obierit non reperi. Studium commendat Diacetus pag. CXL. Semper autem aut scribebat aut scribenda discipulis dictabat.

S. DOMITIUS. 367.

DE S. Domitio sufficient verba H. Boethii lib. IX. Hist. Scot. pag. CLXVI. " Venere cum eo (S. Columba) in Albionem viri duodecim Christi dogmate insigniter imbuti, sed magis longe sanctissimis decorati moribus; Bathenus et Cominus, qui post Columbae exitum monachorum claustris praefecti inter Scotos, haud mediocre Christi ecclesiae decus attulere; Cibthacus et Ethernanus, Columbae nepotes ex fratre, Christi sacerdos uterque; Domitius, Ruthius et Fethuo, haud parum natalium amplitudine, sed magis longe religione honestati; Scandalaus, Eoglodius, Totaneus, Moteferus, et Gallanus: hi viri, Columba in Hiberniam transmittente, sedem statuentes in Iona insula, Scotorum Pictorumque regiones piis lustrando sudoribus, docendo, disserendo, scribendo, utrumque populum optimis moribus et religione imbuerunt." Jo. Leslaeus lib. IV. Hist. Scot. pag. CLII. Sanctus colitur. Uvion lib. III. Lig. Vit. pag. CCCCXIV. Nec alibi plura de Domitio.

Scripsit

Sermones ad Fratres	lib. I.
Sanctae Vitae Regulam	lib. I.
Epistolas ad Columbam magistrum	lib. I.
Meditationes	lib. I.

Vixit anno DCVI. Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CLII. Colitur XXI. Aprilis.

S. DICULLUS. 368.

S. DICULLUS presbyter, S. Fursaei collega, ex Scotia eum in Galliam secutus, monasterio ab illo est praepositus, et curae animarum, dum anachoreticam vitam ille eligens, procul a mundi contemptu et illecebris secederet. Beda lib. III. Histor. Eccles. Anglor. cap. XIX. Sanctissimam ejus commemorationem facit insignis ecclesia Peronensis in Morinis, sed quo die, nescio; puto XVI. Januarii ipsius, ut et D. Fursaei, aliorum etiam omnium qui cum illo venerant ex Scotia, solennitatem celebrari. De iis certe omnibus Beda librum promittit loco laudato, sed non prodiit, vel interiit, siquidem in ea S. Fursaei, quam Surius tom. I. edidit, vita, ne verbum quidem de sociis ipsius. Ejus est

Instructio ad Monachos cura Peronae.	lib. I. asservata religiosa

Floruit anno DCL.

S. DYMPNA. 369.

S. DYMPNA, regis Hiberniae filia, a patre suo idololatra amata, aliquamdiu in Scotia vixerat, et pietatem imbiberat, virginitatemque Deo voverat. An aliquid scripserit, incertum. Passa est eo anno quo Scotia excessit, DCCXX. Colitur XV. Maii. Gilberti Bruni Calendarium.

S. DONORTIUS. 370.

S. DONORTIUS, episcopus Murthlacensis, magna sanctitatis opinione successit S. Beano, qui primus in ea ecclesia sederat. Hect. Boethius lib. XI. Hist. Scot. pag. CCXLV. et in lib. de Pontificum Aberdonensium Vita, nam Murthlacensis translata est Aberdoniam cathedra. Scripsit Donortius

Vitam S. Beani antecessoris sui lib. I.

Sedebat anno MXL. Quo die colatur non observavit, at memoria ejus die XXI. Aug. colitur: VII. Aug. et XVI. ejusdem reliquiae translatae.

S. DONATUS. 371.

S. DONATUS diaconus, alius ab episcopo Fesulano, socius peregrinationis ac martyrii S. Kiliani, una cum Gallone, Arnuali, Colonato, si fides habenda sit anonymo monacho eruto a bibliotheca monasterii ordinis Praedicatorum Aichstadii, quem tom. IV. Antiquar. Lection. pag. DCXLIII. publicavit Henricus Canisius; sed suspectus ille mihi est scriptor, quod communior sit scribentium opinio, duos tantum illius martyrii comites fuisse; sed potuit fieri ut plures fuerint, qui, ab aliis omissi, ab hoc memorentur. Tu vide. Scripsit

De Peregrinatione Kiliani magistri lib. I.

Claruit anno DCLXXXIX.

S. DAVID. 372.

S. DAVID, Scotorum rex, "jure inter divos numeratus," ait H. Boeth. lib. XI. Histor. pag. CCXLV. Malcolmi III. ex S. Margareta filius, varia fortuna cum Anglis bellum gessit pro Northumbria, cujus haeredem in uxorem duxerat; sed pacem postea aequissimis conditionibus fecit, et sanctissime factam custodivit. Pauperum causas, ne a potentioribus injuriose opprimerentur, ipse cognoscebat. Monasteria toto regno censu ac reditibus ampliavit ditavitque, XIV. de novo fundavit, censumque assignavit, IV. episcopatus instituit, regnum pacis beneficio florentissimum reddidit. Meminit ejus, ut puto, D. Bernardus in Vita D. Malachiae. De eo, patre, matre, fratre, Malmesburiensis lib. V. "Neque unquam in acta historiarum relatum est, tantae sanctitatis tres fuisse pariter reges, et fratres maternae pietatis nectar redolentes." An aliquid scripserit, nescio.

Obiit Carleoli anno regni XXIX. salut. MCIII. in Petri cathedra sedente Eugenio III. imperatore Conrado III. Francorum rege Ludovico juniore. Celebratur memoria IX. calend. Junii. Scotichronic. S. Andreae lib. VIII. cap. I.

S. DISYBODIUS. 373.

S. DISYBODII laudes apud Joannem Leslaeum lib. IV. Hist. Scot. pag. CLXI. " Hoc tempore Scotia multos doctrinae abstrusioris cognitione, et sanctioris vitae laude perinsignes ecclesiae peperit, e quibus B. P. Disibodius, episcopatu abdicato, cum plerisque in evangelii diffundendi societatem accitis in Alemaniam se trajecit, tandemque in Fuldensi monasterio, sede ad reliquum vitae curriculum pie conficiendum collocata, sanctitate et singulari quadam probitate est consecutus, ut honores illi pene divini a populo haberentur." Arnold. Uvion lib. II. Lig. Vit. cap. LVIII. " Quietis amore, patriae et episcopatui valedicens, in Germaniam se transtulit, ubi aedificato monasterio in loco qui, ex ejus nomine, nunc Mons S. Disybodii vocatur, extitit multorum pater monachorum." Eadem pene Joan. Trithem. lib. III. de Vir. illustr. Ord. S. Benedicti cap. CCLXXXVIII. Ejus acta conscripsit S. Hildegardis Bingensis abbatissa, ut ipsa agnoscit lib. III. Vitae suae per Theodorum editae cap. XXV. ubi haec: " Vitam et merita Sancti Disybodi conscripsi, ab abbate meo et fratribus humillima instantia et devotione coacta." Prodiit Vita ista Lovanii, sed non vidi: ac ne certe quidem affirmare possim in Hibernia, an vero in Scotia, episcopatum ille gesserit. Georgio Wicelio Scotus est libr. VII. cap. LV. Georg. Garnefelt lib. II. Vitae Eremitar. cap. XXIIX. Ejus solennitatem ecclesia recolit, vel VIII. die Julii et VIII. die Septembris, ut placet Joanni Molano Addition. Usuardi, vel die VIII. Junii, ut vult Arnold. Uvion. Sacrosanctae sane illius " reliquiae reconditae fuerunt in tumulo lapideo retro altare majus monasterii Montis S. Disybodii." Dodechinus abbas in Appendice ad Mariani Chronicum sub annum MCXLIV. Translatio vero ejusdem facta sub Conone IV. illius loci abbate. Idem Dodechinus loco laudato ad annum MCXXIX. et meminit Uvion lib. III. pag. CCCLVIII. Scripta ab eo recenset Trithem. lib. de Script. Ecclesiast. sed non est ad manum. Idem in Compendio Annal. lib. I. pag. LIV. meminit. Ejus ego vidi opus

De Monachorum Profectu in Solitudine agentium lib. I.

Vixit an. DCLXIV. quo anno Scotiam deseruit, regnante Malduino,

sedente in Petri cathedra Vitaliano, Jo. Leslaeus, vel anno DCC. Trithem. et Uvion.

S. GEORGIUS DURAEUS. 374.

" S. GEORGIUS Duraeus, abbas Dumfermilensis, Christi hostia effectus, laboris sui praemium vitam aeternam accepit in coelis, et honorem sanctis debitum in terris," ait Nicolaus Sanderus lib. VII. de visibili Monarchia. Nec tamen de die quo sacram illius memoriam recolat ecclesia, constat. Nec de scriptis liquet, quare eum inter illos sanctos, quorum natales ignorantur, reposuit Arnold. Uvion lib. III. Lig. Vitae pag. CCCCXIV.

Passus est anno MDLXI. XXVII. Januar. Biennio post beatus ab apostolica sede renunciatus die Aug. VI.

S. DROSTANUS. 375.

" S. DROSTANUS," ait H. Boethius lib. IX. Histor. Scot. pag. CLXXI. " regis Aidani avunculus, profligatis mundi illecebris monastico contentus instituto, multa sanctitate insignis." Jo. Leslaeus eadem libr. IV. pag. CLII. Arnold. Uvion lib. IV. cap. XXVI. An is sit qui Argadiae verbum vitae nuntiasse primus ferebatur auctore Joan. Forduno, mihi est inexploratum. Ejus laudatur ibidem opus

De Contemptu Mundi lib. I.

Vixit anno DCVI. Sanctus colitur XIX. Novembris. Breviaria Scotica, et consensus ecclesiarum nostratum.

S. DUNSTANUS. 376.

S. DUNSTANUS non sine maxima sanctitatis opinione floruit, priscis illis jure annumerandus, qui Romanae ecclesiae dignitatem eo in regno strenue propugnarunt. Joan. Leslaeus lib. IV. Histor. Scot. pag. CLIII. " Erant illis quoque diebus in Scotia tres doctrina et pietate praestantes viri, natione etiam Scoti, Hebredus scilicet, Dunstanus, et Conuallus; quorum memoria etiam hoc nostro aevo apud Scotos magna celebritate colebatur." An scripserit aliquid, mihi est inexploratum.

Vixit an. DCVI. in SS. album relatus, XXVIII. Januar. et XVI. Novembris die ejus memoriam recolit ecclesia. Arnold. Uvion lib. III. Ligni Vitae pag. CCCCXIV. et Calendarium Jacobi Cheynaei.

S. DONANUS. 377.

S. DONANUS abbas, aureo illo sanctorum seculo, incomparabili vitae integritate fulsit. Baculum haeretici corruperunt, qui circumlatus febri et morbo regio medebatur. Ejus sunt:

Monasticae Vitae Institutum	lib. I.
De S. Trinitatis Mysteriis	lib. I.
Regula Officii Ecclesiastici	lib. I.

Vixit anno DCXL. Colitur die XVII. April. Breviar. Scot. patronus in Achterles, Thomae Dempsteri baronia, cujus sanctae reliquiae elevatae XVIII. April. et nundinae frequentes toto eo tractu.

S. DUTHACUS. 378.

DE S. Duthaco H. Boethii verba sunt XIII. Hist. Scot. pag. CCLXXXV. " Tradunt aliqui Duthacum episcopum sanctissimum regnante Alex. II. vixisse, asserentes eum D. Gilberti Cathanensis episcopi fuisse praeceptorem; sed alii ipsum longe haec tempora precessisse scribunt: utcunque autem se res habet, vir fuit omni laude dignissimus, Deoque et hominibus cum primis acceptus; quod facile ex miraculis quae vivens ac mortuus in nostram usque aetatem edidit, constat. Coluntur vero summa veneratione reliquiae ejus in Rossia, ubi et sepultus est," oppido Thana. Idem Boethius Descript. Scotiae pag. IV. ubi Deuthacum vocat. Hic etiam, ut multi alii, Martyrologii Romani in tabulis desideratur, licet aeternae vitae libro scriptus. Extant ab eo edita:

Meditationes solitariae	lib. I.
De Vanitate Philosophorum	lib. I.
De Dei Nominibus ex S. Dionysio	lib. I.

Floruit anno MCCXLIX. alii tamen claruisse malunt anno DCCCVII. Sed in re ambigua haud temere quicquam affirmarim. Unum scio, in Hibernia diu illum versatum: vidi in Malisio episcopo Sanctan-

dreano Catalogo de illa ecclesia. Celebris ad illius in Rossia reliquias peregrinatio. Joan. Lesl. lib. VIII. pag. CCXXVIII. Oppido Thana colitur VIII. Martii, Calendarium Adami Regii, et miraculum brachii XI. Septem. Boeth.

S. DONEVALDUS. 379.

S. DONEVALDUS primus videtur inter Pictos et Scotos, qui ex coelibe anachoreta factus totam familiam eidem vitae generi piissimus addixit. H. Boeth. lib. X. Hist. Scot. pag. CLXXX. " Valuit plurimum ad commovendos ad pietatem homines Donevaldi Scotici sanguinis viri sanctitas, qui in solitudine Ogilbi, sex prope millibus passuum ab Alecto oppido, inter Pictos vitae sanctimonia insignis vixit. Huic novem erant filiae." Vide quae sequuntur. Multa de eo alibi rerum nostratium scriptores, sed prae aliis Fordunus, qui quaedam ab eo perpetrata miracula memorat. Scripta, ut puto, interierunt, si quae ediderat.

Floruit sub Eugenio VII. Scotorum, et Garnardo Pictorum regibus anno DCCXVII. Annales Scotici. Jo. Leslaeus lib. IV. pag. CLXV. Hic, ut multi alii, Martyrologii Romani tabulis non est ascriptus.

S. DUFFLANUS. 380.

S. DUFFLANUS sociis sanctis duobus Macbeath et Magilmumene, ex insulis Scoticis solvit, scilicet ex Iona, et, manibus propriis facto navigio, ad Aelfridum Angliae regem venit; inde Romam peregrinantis habitu ac postea loca sancta adiit, dominicamque passionem contemplatus, in reditu, ignoto loco, deponitur, tantis miraculis clarus, quanta maximam cum Deo conjunctionem loquuntur. Reginaldus cardinalis ait eos ad sedem Sodorensem spectasse, ibique sacerdotes factos. Scripsit

De Locis sacris lib. I.

Depositus est anno DCCCXCII. Ethelwerdus lib. IV.

S. DWINA. 381.

S. DWINA, seu Duina, aut Dinas, aut Diurnas. Democharès tom. IV. pag. CXXIV. " Aidanus Sinanus, Colmanus, Diurna, Cellach, Sco-

ti." Idem Joannes Gualterius in Chronico Chronicorum. Huntindon. lib. III. pag. CXCI. "Quatuor episcopi Scotorum Duina, Aidanus, Finnanus, Colmannus, mirae sanctitatis fuerunt et parsimoniae." Arnol. Uvion lib. II. Lig. Vitae cap. XLVI. Apostolus Merciorum, et primus episcopus Lichfeldensis. Florent. Wigor. monachus ad annum DCLIII. "Finnano comites IV. fuerunt, Cetta, Adda, Betta, et Duina, quos ex Scotia secum adduxerat; per eos Mercii fidem Christi et sacramenta perceperunt." Et ad annum DCLV. "Sub Oswio primus in provincia Merciorum et Lindisfarnorum Duina, cujus supra meminimus, secundus Cellachus de gente Scotorum." Matthaeus Westmonast. anno DCLVI. "Primum habuit episcopum in provincia Merciorum, et Lindisfarnorum, et mediterraneorum Anglorum nomine Dinam: hic apud mediterraneos Anglos defunctus ac sepultus est; secundus ejusdem provinciae Ceollachus fuit, qui relicto episcopatus officio ad Scotiam rediit." Praefuit ecclesiae suae tantum, ac Feppingae excessit. Franc. Godwin. pag. CCCLXIII. ex Beda lib. III. cap. XIX. Ejus sunt:

Laudes Oswii Regis	lib. I.
Monitorium ad Gentiles	lib. I.

Florebat anno DCLIII. aut circiter. Dies sacer ei XXII. Febr. Injurius nobis Parsonius.

S. DAGAMUS. 382.

S. DAGAMUS vel Daganus, epistota SS. Justi, Laurentii, et Melliti, apud Henricum Huntindonensem lib. III. pag. CLXXXVII. Episcopali dignitate magna claritudine et auctoritate ritus Britonum contra Anglos sustinuit, donec Augustino et Mellito a S. sede apostolica missis cessit, ac tum relicta veteri celebrandi paschatis consuetudine, quam mordicus antea defenderat, morem Romanum admisit. Beda lib. II. Hist. Ecclesiast. Gent. Anglor. cap. IV. Ubi loci episcopus, aut cujus ecclesiae, Beda, qui solus quod sciam ejus meminit, non expressit, uti nec Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CLIII. Scripsit

Ad Britanorum Ecclesiam	lib. I.

Clarus habebatur anno salut. DLV. vel ut verius alii anno DCIX. die XXII. Martii.

DAVID. 383.

" DAVID presbyter, natione Scotus," ait Balaeus, " antiquorum philosophorum exemplo ductus," reliquit terram patriam, et amore bonarum disciplinarum longinquas regiones adiit, in superiorem Germaniam, post longa et laboriosa studia, exspatiatus est, ad Wirceburgensem scholam insignis paedotribes admissus est. Eo tempore Henricus V. imperator in Italiam rebus agendis proficiscens, sed non solum armatis militibus, sed et peritis quoque viris ac literatis hominibus munivit, ut per ipsos cuique poscenti, in omni eruditione rationem redderet. Inter eos Davidem hunc Scotum a sacellis habuit, doctrina ac morum probitate praestantem virum, " qui jussus ab illo, ut Urspergensis auctor est, itineris ejus cursum, rerum in eo gestarum ordinem facili stylo, quae ab omnibus intelligeretur, digessit." Addit Malmesburiensis, " in gratiam principis proclivior quam historicum decebat." Scripsit

Iter Imperatoris Romam lib. I. Guilielmus Malmesburiensis panegyricum haud recte vocat lib. IV.
Expeditionis Seriem lib. III. Indubie idem, licet alio titulo, opus.
Magistratuum Insignia lib. I.
Apologiam ad Caesarem lib. I.
De Regno Scotorum lib. I.

Claruit sub Alexandro I. rege Scotiae, anno salut. MCXX.

S. DAMIANUS. 384.

S. DAMIANUS, in patria incertum qua sede episcopus, " eximiae pietatis, et sanctimoniae illustris." Hect. Boethius lib. IX. Histor. Scot. pag. CLXXVI. Eodem tempore fidem Christianam rudes adhuc populos strenue docebat, cum monstrum Orienti fatale Mahometus obiit, XII. scilicet Donevaldi regis anno, eademque tempestate Connanus, Columbanus, Chroniacus, Dimaus, et Bigitanus episcopali quoque honore ac sanctitate eminebant. Scripsit

In Cantica Canticorum lib. I.

De Ecclesia Scotica lib. I. quod opus Jacobus Tyrius fatetur se vidisse.

Floruit anno DCLXIV. Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CLIX. Colitur I. Junii. Breviar. Scot.

S. DARIA. 385.

S. DARIA, vidua sanctissima Scota, S. Mauri Scoti principis uxor, S. Ursulae, virgineae legionis ducis, mater. Petrus lib. IX. Catalogi cap. XXCVII. Cum eadem fortiter passa, itineris ac gloriae comes. Ab istius reliquiis, in Hiberniam importatis, comitatus illius gentis primus, et Lageniae caput, Kildaria vocatur; a reliquiis, inquam, ipsa enim nunquam Hiberniam vidit, nam in Scotia vixit, in Germania excessit. Scripsit

Exhortationes ad castitatem lib. I.

Passa videtur anno CDLIV. cum filia et reliquis virginibus, id enim Petrus Equilinus asserit; alii annum ei assignant longe priorem, scilicet CDXXXIII. apparet autem cum filia passam, quod eodem die colatur XXI. Octobr.

S. DEICOLA. 386.

S. DEICOLA, abbas S. Martini Sutrii in Hetruria, cognomento *Inclusus*, cui abeunti in coelo S. Columbanus Scotus, de quo supra, successit, et ipse sanctissimi Columbani Scoti, qui Bobium fundavit, discipulus, cujus baculus terram percutiens fontem uberem elicuit, qui nunc extat, idemque armenta a luporum injuria, terrae infixus, vindicavit; et cum Versarius, ecclesiae Sanmartinianae patronus, vir potens, valvas clausisset, sanctus divinitus reserato ostio ad orandum intravit, et qui ad eum occidendum missi, rubis templum vestientibus prohibiti, recesserunt: at ille irae impotens praecepit suis clientibus, ubicunque sanctum reperirent, genitalia ei exscinderent, et e vestigio ipsi Versario genitalia atrocissimo cruciatu intumuerunt, ut uxor coacta fuerit Deicolam accersere, sed cum tardius advenisset, ille obierat; tum sanctus domum ingressus, radiis solis per fenestram irrumpentibus cappam imposuit, in

quibus, quasi trabe, pependit: verum Versarius ab eo ad vitam revocatus, totum patrimonium monasterio extruendo dilargitus est. Nec omitto aprum a venatoribus pressum, ad eum, subsidii ergo, confugisse, et securitatem percepisse. Haec Petrus lib. II. Catalogi cap. XCIIX. et ante eum Vincentius Bellovacensis lib. XXIII. cap. II. III. IV. utroque posterior Trithem. lib. III. Vir. illust. Ordin. S. Bened. cap. LXI. ubi error ab operis, et Luttensis pro Sutriensis monasterii abbas dicitur. Scotum esse haec probant, et quod in patria S. Columbani discipulus fuerit, et quod eo patria exeunte, ipse debilitate pedum in Britannia substiterit, ut laudati auctores testantur: tum etiam id vox indicat, eum ex illis sacerdotibus sanctis fuisse, qui ecclesiam Scoticam exemplo et doctrina informant, quique Keldei seu Culdei dicti, ut saepe hoc opere; sicuti enim nostrates Deum colentem appellant Keldeum, ita Graeci Therapeuten, Latini vero Deicolam nominant. In universum ergo omnes primitivae et surgentis adolescentisque ecclesiae apud Scotos doctores patresque in triplice differentia censentur, sive triplice ordine, Bardorum, Druydum, Keldeorum. Et Druydum sanguine oriundus a Warnefrido dicitur S. Columbanus hic; Keldeus proculdubio noster censendus Deicola: miror quae vicinos insania tetigit. Scripsit

Manipulum Meditationum	lib. I.
Epistolas plures	lib. I.

Claruit anno DXC. Colitur XIIX. Januar. Uvion lib. III. Martyrologium Anglicum. Reliquiae ad S. Crucis, baculo peregrinantis inclusae, III. Jan. colebantur.

S. DARIA. 387.

S. DARIA virgo, S. Brigidae Scotae aequalis, et, ut existimo, monialis; illius in Vita enim a Cogitoso Nepote memoratur, ut refert Surius tom. I. nec de ea quippiam amplius lego.

Florebat circa annum DXX. Dies incertus, nisi cum S. Brigida colatur.

S. DONATUS. 388.

S. DONATUS episcopus, socius S. Cathaldi episcopi Tarentini, vel, ut alii probabilius, frater, cum eo Scotia egressus, Hiberniam

lustravit; sed cum deprehendisset exiguum ibi divini cultus promovendi subsidium esse, fratrem in Italiam est festinanter subsecutus, primusque Lupiensis episcopus sedit. Lupia autem ab anonymo nostro Scoto in Itinerario, quod tribuitur falso Antonino Augusto, Lipia est, S. Paulino epistola de obitu Nicetae Lepia, Straboni Λουπίαι, Lupiae, effertur, Melae non sine menda Luspiae, sed Lupiam habet Plinius, et Melae concors Ptolomaeus, apud quem Λουσπίαι: nunc Rocca Galataeo est, olim Sybaris, ut vult Pausanias, nec longo inde tractu Ennii Rudiae. Hanc urbem itaque noster et nostras Donatus ita verbo et exemplo informavit, ut jure merito ejus apostolus haberi possit. Vita S. Cathaldi. Acta illius ecclesiae. Scripsit

Ad Lupienses Homilias lib. I.
Ordinationes Ecclesiae suae lib. I.

Floruit anno CCCLXIV. Dies cultus est IV. Augusti, et VII. ejusdem.

S. DORANUS. 389.

S. DORANUS, episcopus Scotus, sed in Scotia, an vero extra, haud facile dijudicarim; eum tamen sic vocatum reperio a Florario, nec ulla major mihi lux.

Annus quoque apud me incertus, illud vero certum, eum coli die II. Novembr. Aut hujus aut alterius [ejusdem] cognominis meminit ex Breviario Glascoensi Henricus Sinclarus, qui archidiaconum appellat ejus sedis.

S. DUFFUS. 390.

S. DUFFUS, Scotorum rex LXXIIX. Indulphi successor, virtutis, pietatis, justitiaeque tenacissimus, usque adeo, ut cum reos quosdam adolescentes nobiles plectendos censuisset, nec poenam Donaldo Thano impensius intercedenti remitteret, uxoris Donaldi artibus noctu rex jugulatus, martyr est habitus, cujus obitum coeli luxerunt; nam " sex continuo post menses, nec sol interdiu suis radiis, nec luna noctu suo lumine, Scoticas oras collustravit; unde omnes gravissima quaeque sibi timebant, nec immerito, cum omnia nubibus obducta, ventis concitata, ignibusque micantia, Scotis vel horrendam mortem vel calamitosam vitam intentarent:" verba sunt

Joannis Leslaei lib. v. Hist. Scot. pag. CXCIII. Pergit tum idem historicus narrare, caedis auctores suppliciis affectos, prius tamen locum, in quo demortui regis corpus abdiderant, indicare coactos; tum subdit ille: corpus, quod occultabatur, repertum "ex omni parte integrum, ita ut nec vermis carnem exederit, nec tempus formam deleverit, nec locus colorem infuscarit. Illa primum dies densissimas nubes, quibus coelum fuit obductum, dispulit, solemque reduxit." Accessit ingens miraculum, nam locus, ubi sanctum corpus abjectum, media hieme, repugnante natura, sed jubente naturae Domino, totusque campus vicinus effloruit; unde ei nomen Kilflos, et corrupte Killos, in Moravia celebre monasterium Cisterciensium, ut libro I. Apparat. Hist. Scot. cap. XV. probatum. Hect. Boeth. lib. XI. Scotichronicon lib. VIII. cap. XXV. Porro S. Duffi corpus loco illi nomen fecit annis CCXXXIIX. priusquam monasterium conderetur: ut falsus fuerit in anno fundationis Rogerus Hovedenus Annal. par. I. pag. CCLXXXI. Scripsit autem rex iste

De bono Regimine	lib. I.
Edicta ad Thanos	lib. I.
Passus est pro justitia anno DCCCCLXXII.	Dies est incertus.

S. DARDULACHA. 391.

S. DARDULACHA, virgo Scota, et peregrina in Germania excessit; soror, ut existimo, SS. Gunifortis et Gunibaldi, ut ex eorum historia colligo, quam habet sanctuarium Papiae: utcunque sit, haec maximo devotionis affectu colitur Frisingae, ut ex Breviario Frisingensi constat; frustra hic stipem captat Hirlandus.

Scotia excessit cum fratribus duobus et una sorore an. CCCCXX. Colitur die I. Februarii, ex auctoribus laudatis.

DANIEL. 392.

DANIEL, Carthusianus martyr, everso coenobio Perthano, quod magnificentissimum in Valle Virtutis extruxit Jacobus I. rex, cum ferocientes haereticos vi verbi divini admoneret liberius, in ignem, qui aedem sacram hauriebat, praeceps datus; tum cum

diu, solis instar, in mediis flammis effulsisset, longis contis et hastis transfossus, pietati majorum aureae in exilium abiturae sanguine parentavit, tam sancto ordine dignissimus. Gilbert. Brunus.

Martyrium passus in Valle Virtutum anno MDLIX. mense Maio, die incerto.

DAVID DUGLASIUS. 393.

DAVID Duglasius, nobili loco natus, patria sua, propter fidem, a sectariis exactus, Jezabele Anglicana jubente Eboraci necatur, nec alia causa caedis, quam quia vir probus Scotus, et Catholicus, quod apud impiam Calvini catulam ingentis instar flagitii. Gilbert. Brunus.

Passus est anno MDLXXV. die XXIII. Decembr. Extant acta a monacho Benedictino Anglo scripta.

GAVINUS DUMBARRUS. 394.

GAVINUS Dumbarrus, magna comitum Merchiae stirpe oriundus, ex archidiacono Sanctandreano factus senator, ex senatore episcopus Aberdonensis, vir vitae admirabilis; nam plura pietatis officia solus reliquit, quam omnes episcopi decessores. Xenodochium XII. pauperibus perpetuum alendis, censu assignato, erexit; Deam fluvium, qui novam urbem alluit, ponte lapideo magnificentissimo, decem arcuum, stravit; novam aedem inchoatam absolvit S. Machorio sacram, duas pyramides editissimas adjecit; palatium episcopale in eam elegantiam a fundamentis excitavit, ut par in Europa vix haberet; Dalmaticos calices, ex argento auroque purissimo conquisitos, incredibili labore et sumptu a transmarinis advexit, consecravitque; denique cum aliunde haberet, quo se familiamque sustentaret, ne assem quidem Caianum ex toto illo opulento episcopii proventu in rem suam convertit, sed quicquid his officiis superfuit, in pauperes est elargitus. Eum "virum pium, apostolico spiritu afflatum, et virum divinum," vocat Joan. Leslaeus lib. IX. pag. CCCXC. Ante aliquot annos, cum monumenta reficerentur ecclesiae episcopalis suae, corpus ipsius cum vestimentis intactum, vividum, succi et sanguinis plenum, haeretici, non

sine ingenti stupore, repererunt, ut viri nobiles et clarissimi Andreas Leslaeus et Robertus Boydius, alumni Collegii Scotorum Romani, et doctissimi cives mei, admonuerunt; et miraculose ab eo sanitate donatum infirmum, allata ad eum parte vestis, ad me scribit Patricius Andersonus, Societatis Jesu theologus, philosophus, mathematicus, unus instar omnium. Ut semel dicam, fuit sanctus hic antistes dignissimus, qui in Lutheri tempora incurreret, ut pia vita impiam sectam confunderet. Scripsit

Contra Haereticos Germanos lib. I.
De Ecclesia Aberdonensi lib. I.

Creatus episcopus anno MDXIIX. mense Junio; quando obierit, non reperi.

GAUFREDUS DUN. 395.

GAUFREDUS Dun, seu Dunaeus, Aberdonensis, Lutetiae diu docuit magna sui et patriae fama, ibidemque rectoratum, supremum academiae gradum, concordi suffragio gessit; tum opimo in Belgio sacerdotio donatus, ut admoneor, a Geusiis scelerate saevientibus, pro fide interemptus, jacet Gorcomi, ut in Theatro Crudelitatum Haereticorum pag. LIIX.

Passus est anno MDLXXII.

PATRICIUS DUN. 396.

PATRICIUS Dun, medicinae doctor, philosophorum et medicorum sui seculi nulli secundus, in Scotia praeclaras artes didicit, quas in Gallia et Germania doceret; nam et Rhotomagi philosophiam, et Cenomanis politiores literas, et Basileae sacram linguam professus: indeque in Italiam adventans, fidem Catholicam, abdicata Lutheri impietate, amplexus, literaturam pietate illustriorem fecit. Scripsit

De vera sacrarum Literarum Versione lib. I. quod opus magni faciebat Jacobus Bonaven. Hepburnus.
Recollectionem Linguae sanctae lib. I.

Excessit anno MDLXX.

DEMETRIUS. 397.

DEMETRIUS, grammaticus illustris, ex Britannia Romam profectus, florentem inde in Graeciam trajecit, et Delphos profectus, indeque domum rediit. In mathematicis doctissimum fuisse memorat Plutarchus libello de Oraculorum Defectu, ubi eum virum sanctum appellat, *ἄνδρα τὸν ἅγιον*. Scripsit multa, nam ejus auctoritate saepe utitur Plutarchus idem; illud tamen potissimum putarim memorandum,

De Lucerna Delphica contra Cleombrotum lib. I.

Floruit anno salutis CX. aut prius, Galgaco, cujus Tacitus meminit, aut Galdo, Scotis imperante. Hic in meo peculio censendus, certent Angli.

GEORGIUS DULIE. 398.

GEORGIUS Dulius, sacerdos Catholicus, fictitio nomine sic dictus, plurima bonae frugis in Belgio Antverpiae edidit; sed ego vidi tantum

Catechismum lib. XIV.
Assertionem Catholicae Veritatis lib. IV.

Obiit non ita pridem.

THOMAS DUNDRANENSIS. 399.

THOMAS, abbas Dundranensis, seu Dundraina, ut inquit Democharès pag. L. cum multum dissentiretur in concilio Constantiensi de legitimo pontifice eligendo, unus fuit ex sex SS. theologiae doctoribus, qui illustriss. cardinalibus conjuncti, apostolicae sedi caput, Romanum maximum optimum pontificem eligerent. Onuphrius Panvinus, qui pessime illum *de Dondruno* vocat. De eo sic Joannes Gualterius Chronico Chronicorum pagina DV. et rursum illum abbatem Cisterciensem, sub Candida Casa, asserit, pag. DIIX. Scripsit

De Schismate deponendo lib. I.
De Pontifice eligendo lib. I.
Acta Concilii Constantiensis lib. I.

Vivebat anno MCDXXXIX.

GILBERTUS DEIDONANUS. 400.

GILBERTUS Deidonanus, Carmelitanus ordinis B. Mariae semper Virginis, cum doctor esset SS. theologiae Sorbonicus, conventui suo Parisiensi famam et opes professione peperit; erga patriam suam gratus, meruit in hoc opere honoratam mentionem: altare Divo Niniano Scoto in sua ecclesia reparavit, annuo censu ditavit, ornamentis decoravit, quod eo tempore Scotorum religiosorum et professorum sepulturae ibi essent. Scripsit

Quaestiones Quodlibetarias	lib. I.
Lecturas varias	lib. I.

Alumnus erat comitum Martialium anno MCCCXIII. Oratio funebris de morte Roberti Kethi abbatis Deirensis.

GULIELMUS DOUGLAS. 401.

GULIELMUS Douglasius, abbas Mailros doctiss. simul et nobiliss. eo tempore quo res in Scotia turbulento admodum statu nutabant, et quoniam in catalogo illius sedis numeratur, et est omnium illius familiae scriptorum vetustissimus, hic ex professo de ejus origine quaedam non vulgaria aperiam. Sexagesimus quartus Scotorum rex erat Soluathius, vir prudens et fortis, Eugenii IIX. regis filius: contra hunc anno salutis DCCLXVII. orta perduellii lues, duce Banno Hebridiano, ait Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CLXXI. vel Makdonaldo Banno, insulae Tyre toparcha; et dum quotidie rebellio vires sumebat, rex sibi metuens, conscripto exercitu perduellibus occurrit, quos fusos in rupem quandam editam in provinciam Lornam compulit, ubi fame domiti, eruptionem tentarunt, et regis copias, nihil tale sperantes, inopinato aggressi, fortissime assultarunt, penitusque attrivissent, nisi vir quidam nobilis cum suorum manu ipso puncto intervenisset, qui fugitivos retrahens, in aciem magnis viribus, majorique animo, irrumpens, perduelles ita coercuisset, ut omnibus profligatis ipse Bannus in potestatem venerit vivus, postea necandus. Rex tanto metu liberatus sedulo rogavit, quis ille vir fortis fuisset, qui tam opportune interveniens

victoriam asseruisset? Tum adstantium quidam, digito designantes eum intento, dixerunt Scotice, *Scholto Douglas*, id est, " vide illum nigrum, subfusco colore :" tunc enim cognomina nulla erant, nisi a praediis petita, sed aut a patribus nominati viri, aut a colore, ut Albus, Niger, Fuscus, Viridis, Caeruleus, et hujusmodi. Rex ergo victor eum praediis opimis donavit, quae etiam hodie Douglasdaille, id est, Douglasiorum vallis, vocatur, et ab illo eventu gentem eam posterosque omnes Douglasios vocari lege sanxit. Hujus pater fuit rex Mordacus, sed ipse factione civili pulsus in Norvegia delituerat, ac tunc quidem domum redierat: filius ejus Hugo, cum eo et exul et redux, duos filios suscepit, Gulielmum et Hugonem; posterior quidem paternas domi possessiones tenuit, stirpemque propagavit; alter cum Gulielmo Archaii regis fratre in Italiam, copiarum Scoticarum, Carolo Magno militantium, ductor, et cum in morbum incidisset, substitit Placentiae; discussa vero valetudine, Spettini, viri auctoritate et opibus inclyti, filiam in uxorem duxit, unde familia Scota ibidem, incredibili literarum, armorum, sanctitatis splendore pollens, originem trahit, quam tu, illustrissime Fabi comes, non vulgariter munificus, blandus, rerum agendarum callentissimus, exornas. Nec illud quidem probari arduum, nam praeter historicos Placentinos et Scotos, insignia id notant, " tres stellae in campo caeruleo ;" et licet Placentini proceres nunc duas tantum stellas praeferant, tamen eadem argumenta, una enim earum civili Guelforum factione ablata rejectaque. Haec quidem omnia liber habebat MS. eleganti et oblongo charactere, quo utebatur Alexander Duffus, dominus Tillisaulae prope Strathbolgiam, ut refert excellentissimus Gulielmus Douglasius comes Augusiae in suis observationibus in prima relegatione, quae etiamnum extant: cum autem Gulielmus ejus filius, qui hodie comes est longe piissimus ac potentissimus, Alexandrum Hayum orasset, senatorem regium, ac scriniis praefectum, vellet ab amico suo Duffo ejus libri copiam tantisper petere, comperit eum, cum totis aedibus, subitario igne consumptum, ut iteratis excellentissimi ejusdem comitis literis didici. Ex hoc liquet, quam parum consulto Joannes Leslaeus lib. VII. sub initium scribat, hanc Douglasiorum familiam sub Roberto Brucio rege anno MCCCV. ortam.

Haec illa gens est, quae XVII. cum regibus Scotis affinitates contraxit, et non paucas cum Anglis itidem regibus, quae tot retro seculis primam aciem exercitus regii, jure suo, duxit; ad haec comitatus in Scotia hos Douglasii tenuerunt, Eusdaliae, Tevidaliae, Clydsdaliae, Vachopdaliae, Annandaliae, Nitsdaliae, Murraviae, Gallovidiae, Ormundae, Mortoniae, Douglasdaliae, Balveniae, Atholiae, et Angusiae, ut passim in historiis nostratibus; insuper in Gallia Turonensi ducatu, ob fortem regibus Francicis praestitam operam, donati, plus quam subditi videri possent. Sed haec exigua sunt prae eo, quod in ipsorum gloriam cadat, nunquam ex hac comitum stirpe ullum haereseos labe infectum: ut jure dubitari possit, majoresne in Italia Douglasii Scoti rami, an in patria Douglasia familia truncus. In Henrico Huntindonio mendum ingens lib. II. pag. CXXC. dum scribit fabulosum "Arthurum bellum gessisse in Dulglas, et silvae Chelidonis," eaque nomina aevo suo fuisse ignota [constat]; sed corrige "Duglas, et silva Caledonia," et sic facilis fides, et loco illi antiquitas. Sed ad abbatem redeo, qui Grimo regi, et S. Fothado Sanctandreano episcopo carus, meliores postea partes secutus, Malcolmo regi a confessionum sacris fuit. Scripsit

De Praelio ad Achnabart lib. I.
Pro Malcolmo Rege lib. I. Index Cuprensis Gulielmo Douglasio haec attribuit; ego puto hunc esse, ex Catalogi fragmento Abbatum Mailrosiensium.

Vivebat anno MVII. et MXI. Hic etiam claustrum ordini suo, aere suo, erexit.

S. DOBAN. 402.

S. DOBAN Scotus, unus ex S. Bonifacii Scoti, archiepiscopi Moguntini et Frisiorum apostoli, collegis, socius etiam ejusdem peregrinationis, ut prodidit S. Wilibaldus in Vita S. Bonifacii pag. CCCLXVIII. edit. Canisianae. Ab eodem in episcopum Trehetensem surrogatus, Wintungum, Walterum, et Heilherum sacerdotali insignivit dignitate. Scripsit

Adversus Gentiles lib. II.
Epistolarum lib. I.

Floruit anno DCCLI. Colitur XXIII. Decembris.

DORNADILLA. 403.

DORNADILLA, Marinius a quibusdam perperam dictus pro Mainius, quod barbare Maini filium sonat, quartus infantiam Scotici regni, ab avo Fergusio inchoati, fortiter administravit. Pictos et Britannos tumultuantes compescuit. Scripta ejus commendant Andreas Tiraquellus in Legibus Connubialibus et opere de Nobilitate, Chassanaeus Catalogo Gloriae Mundi, et alii. Extant etiamnum hodie apud nostrates, ut referunt annalium scriptores, et in pretio habentur,

Leges Venatoriae lib. I.

Obiit anno regni sui XXVIII. ante Christum natum annis CCXIX. Hinc patet nullum regnum Scotia vetustius.

B. DUDOCO. 404.

B. DUDOCO, sive Bodeca, (vide supra) fuit XIV. episcopus Lichfeldiensis et Coventriensis in Anglia anno MXXXI. Adi lib. [II. p. 87.] Extat elegans tractatus ipsius, typis Lugdunensibus,

De Translatione Reliquiarum lib. I.

GAVINUS DUGLASIUS. 405.

GAVINUS Duglasius, nobilissima et apud Scotos primaria comitum Angusiae familia ortus, episcopus Dunkeldensis, et postea, ut puto, archiepiscopus Glascuensis, " vir ad magna natus, summa nobilitate et virtute," ait Polydorus Virgilius lib. III. Histor. Anglic. pag. LII. Ejus eruditionem extollit, licet haereticus, Buchananus lib. II. Epigrammat.

Praesulis accubui postquam conviva Gavini,
Dîs non invideo nectar et ambrosiam.
Splendida coena, epulae lautae, ambitione remota,
Tetrica Cecropio seria tincta sale:
Coetus erat Musis numero par, nec sibi dispar
Doctrina, ingenio, simplicitate, fide.
Ipse alios supra facundo prominet ore,

Qualis Castalii praeses Apollo chori.
Sermo erat aetherei de majestate tonantis,
Ut tulerit nostrae conditionis onus;
Ut neque concretam divina potentia labem
Hauserit in fragili corpore tecta hominis;
Nec licet in servi dominus descenderit artus,
Naturam exuerint membra caduca suam.
Quisquis adest, dubitat scholane immigrarit in aulam,
An magis in mediam venerit aula scholam.
Jupiter Aethiopum convivia solus habeto,
Dum mihi concedas praesulis ore frui.

Quod praeclarum certe testimonium in ore hominis a vera religione tam alieni. Ejus sunt:

Virgilii Opera Scoticis rhythmis translata lib. I. mira ingenii felicitate, ut versibus versus responderent, quod haud scio an exemplum habeat in antiquitate.

Palatium Honoris	lib. I.
Aureae Narrationes	lib. I.
Comoediae aliquot sacrae	lib. I.
De Rebus Scoticis	lib. I.

Extinctus est peste Londini grassante, regnante Jacobo V. anno MDXXI. Meminit Leslaeus lib. IX.

S. DICULLUS. 406.

S. DICULLUS hic paulo posterior tempore alio de quo Beda libr. III. Histor. Ecclesiast. Gent. Anglor. cap. XXVIII. "Erat autem ibi monachus quidam de natione Scotorum, vocabulo Dicul, habens monasteriolum in loco qui vocatur Bosanham, silvis et mari circumdatum, et in eo fratres quinque sive sex in humili et paupere vita Domino famulantes." Quae verba habet Surius in Vita S. Wilfridi tom. V. die XII. Octobr. Camdenus Scotum facit, et monasterium locat inter Sussex et Southampton, pag. CCXXIIX. Scripsit

Ad Occidentales Saxones Exhortationes lib. I.

Floruit anno DCLXXXIX. Sanctum putat ecclesia Scotica, ex Beda lib. III. Hist. Eccles. Anglor. cap. XIX. Colitur XI. Febr. I. Junii.

HENRICUS DE DOMO DEI. 407.

" HENRICUS de Domo Dei Scotus," inquit Nicolaus Paschalius Alidosius, " Bononiae jus civile claro nomine et magna frequentia professus." Scripsit, eodem auctore,

Quaestiones in Jure lib. I.
Glossas in Leges lib. I.

Docebat Bononiae anno MCCLXXX.

DONALDUS. 408.

DONALDUS, Scotorum in D. Jacobi Majoris Herbipoli coenobiarcha, ordinatus ab Alberto de Hohenlohe, episcopo Herbipolensi. Scripsit

Exhortationem ad Cives Herbipolenses lib. I. qui rebellaverant ab episcopo suo, sed longo obsidionis malo domiti, interventu Caroli imperatoris in gratiam cum eo redierunt.

Praefuit annis XXIII. anno MCCCLXXXV. Chronicon dicti monasterii.

DAVID. 409.

DAVID, ejusdem coenobii abbas, Thadaeo successor, cujus libro XVIII. mentio a me facta, cum VIII. annis monasterium istud egregie rexisset, ad Ratisbonense monasterium Scotorum translatus, magnam privilegiorum partem secum transtulisse perhibetur. Fuit autem abbas numero XXIX. Chronicon laudatum. Ejus dicuntur asservari Ratisbonae,

In Hieremiam Commentarii lib. I.

Creatus est antistes anno MCCCCLXXV. quando obierit, non comperi.

S. DAMIANUS. 410.

S. DAMIANUS presbyter, Merinati diaconi germanus, Gelasiae, Merini, Merinati, Eusebii, Thebaculi, Sylvanei, et Nerei, coaeta-

neus, praecipua eruditionis ac pietatis fama in Scotia florebat, dum divino praecepto monitus S. Regulus Albatus, patris civitate brachium S. Andreae cum sacrosanctis ejusdem apostoli reliquiis in Otholiniam, Pictorum tunc imperio subjectam, devexit. Hector Boethius lib. VI. Hist. Scot. pag. CV. Scotus an Graecus fuerit, haud facile dixerim; et an una cum Regulo ex Achaia in Scotiam venerit, an vero ipse tum apud suos in pretio esset, non definio. Scripsit

De Reliquiarum S. Andreae in Britanniam Advectione lib. I.

Florebat anno CCCXXXII.

JOANNES DUMBAR. 411.

JOANNES Dumbar praeclara ingenii fama philosophicis medicinae studia conjunxit, Patavinus doctor insigni patriae suique nominis ornamento renunciatus. Scripsit

Poemata varia lib. I.

Aliquid in Medicina lib. I.

Ad Scotos suos digressus, feliciter clinicem exercet.

DAVID. 412.

DAVID, episcopus Sancti Andreae, interfuit concilio Lugdunensi, sub Innocentio IV. celebrato, et cum XL. aliis praelatis subscripsit, ut ex literis constat, et confirmatione ejusdem concilii edita nuper a Jacobo Bongarsio inter Gesta Dei per Francos, pagina MCXCV. Scripsit

De Concilii Lugdunensis Auctoritate lib. I.

Vixit anno MCCLXXXI.

FINLACUS DIKENSONUS. 413.

FINLACUS Dikensonus, Parisiensis academiae professor, ut ex actis ejusdem ad Divi Cosmi patet. Scripsit

Historiarum memorabilium Synopsin lib. I. quae Basileae prodiit.

Floruit anno MDIX.

S. DESIGNATUS. 414.

S. DESIGNATUS, filius ducis Dalensis ex filia regis Scotiae, episcopus Trajectensis XIII. Ant. Monchiacen. Democh. lib. II. de Sacrif. Missae cap. XXXV. Scripsit

Ad Ecclesiam suam lib. I.

Sedere coepit anno DVIII. obiit anno DXI.

DUNFERMELINI CHRONICUM. 415.

DUNFERMELINENSIS coenobii codex fuit vetustissimus, et notae optimae, sed anonymo auctore; puto, a multis monachis successive scriptus, ut eo seculo usitatum. Is postea donatus monasterio Neubotle. Non vidi, sed Richardus Brunus in collectionibus suis Ecclesiasticae Historiae Scotorum saepe meminit. Elogium ei erat,

Vetus Chronicon Dunfermelini lib. I.

Perveniebat ad annum MCCCCLX.

JOSEPHUS DUNDRANENSIS. 416.

JOSEPHUS Dundranensis, celebris Dundranae monasterii in Gallovidia, quod Fergusius comes fundarat, alumnus, Cisterciensis ordinis monachus, ac postea prior. Scripsit

De illustribus Ordinis sui Viris lib. I.
De quibusdam Sanctis lib. I.
Sermones per annum lib. I.
Lecturas in Evangelia lib. I.

Florebat anno MCCXCI.

PATRICIUS DRYBURGENSIS. 417.

PATRICIUS Dryburgensis, monachus Benedictinus reformationis Praemonstratensis, philosophus, theologus, orator, ac poeta evo suo eximius, apud nostrates florebat dum tyrannici spiri-

tus homo Eduardus I. Angliae rex, absente Roberto Brusio rege, Scotiam invaderet, ac, quod impietatem summam barbariemque nefandissimam loquitur, sacra profanis misceret, direptisque Melrosiensi et Dryburgensi coenobiis ipsam eucharistiam violaret; quo tantae feritatis facinore motus Patricius, scripsit et vulgavit

De Monasterii sui Direptione, versu, ad Regem atque Coenobiorum Patres, lib. I.

Florebat anno MCCCXXX. Scotichronicon.

MICHAEL DIRLETON. 418.

MICHAEL Dirletonus Franciscanus, et primus praepositus illius loci, scripsit

Ad Valterum Haliburton, Fundatorem, Militem, lib. I.

Lecturas in Psalmos lib. I.

Logicalia lib. I. Egregium opus, ait Scotichronici continuator Maculloch.

Vixit anno MCCCCXLIV.

DAVID DUGLASIUS. 419.

DAVID Duglasius, comitis Archibaldi gentilis ac coaetaneus, primo in Galliis celebri nomine viguit. Ejus sunt:

De Naturae Mirabilibus lib. I. Prodiit Lutetiae.

Defensio C. Plinii, MS. apud Petrum Petavium, senatorem regium, in superiori contignatione, lib. I. quo opere non legi doctius; eum enim auctorem a calumniis aliorum, collatione diligenter facta, acerrime vindicat.

Historiarum toto orbe Synopsis lib. I.

Poemata sacra lib. I.

Floruit anno MDXXI.

JOANNES DUMBAR. 420.

JOANNES Dumbar Gallovidianus diu in Galliis substitit, et bonas artes Parisiis atque Tholosae didicit, Rupellae docuit, celeberrima fama, et grata recordatione nomine sibi conciliato. Sunt ab eo

complurima edita, sed nihil ad manus meas pervenit: extant tamen

Poemata elegantissima	lib. I.
Orationes facundissimae	lib. I. ut aiunt.
Notae ad Florum Epitomasten	lib. I.

Florebat anno MDXCI.

JOANNES DUNS. 421.

JOANNES Duns, ab ineunte aetate D. Francisci familiam ingressus, tam stupendo fuit ingenii acumine, ut paucos pares habuisse ulla aetate censeatur. "Doctor subtilissimus, et princeps theologorum." Philipp. de Bagnacavallo in praefat. Limae Veritatis. Jul. Caesar Scaliger exercitatione in Cardanum CCCXXIV. "Nihil erat quod capere non potuisset hujus viri ingenium si tempora permisissent, quae tum literarum ornamenta denegabant; nunc in scholastico illo nescio curiosone magis an utili disceptandi de rebus sacris genere, nihil eo subtilius, nihil absolutius est." Joachim. Vadianus comment. in Melam: "Theologica sapientia clari." De Franciscanis Anton. Sabellic. Ennead. IX. lib. VI. in principio: "Bonaventura, Joannes Scotus, Franciscus Maronius, Richardus, Nicolaus Lyrensis, et alii innumeri, nam florem religionis attingimus." Joan. Polemar. Barcinonensis lib. de Civili Dominio Clericorum pag. CCLXX. "His addamus Rabanum, Bedam, Hugonem, Richardum de S. Victore, Anselmum, Nicolaum de Lyra, S. Bernardum, Thomam de Aquino, Albertum, Bonaventuram, Petrum de Tarantasio, Scotum, et plures alios qui ecclesiam Dei suis illustrarunt scriptis." Celebritatem humani intellectus per eum significari volunt Georgius Venetus in Harmon. Mund. et Anton. Ricciardus Brixianus in Symbolica Historia. Paul. Langius Cygnaeus Bosawiensis in Chronico Citizensi anno MCCCXXX. "Joannes Scotus ordinis Minorum, qui ob perspicacitatem et claritudinem ingenii sui Doctoris Subtilis nomen meruit, inter quatuor principalium sectarum doctores locum tenens tertium, sectae, quae a nomine suo Scotistarum appellatur, dux et signifer invictissimus; qui et ipse philosophia seculari, Peripatetica videlicet, armatus, omnium ante se scribentium theologistarum opiniones impugnavit, et suas statuens quantum valuit, dejecit et diruit; theo-

logus sui temporis argutissimus," &c. Vide quae sequuntur.

Nec minor de tanto viro concertatio, quam de Homeri natalibus; nam illum vindicant Hiberni, quod Duns contracte pro Dunensi vocaretur, nec tamen ullum codicem producunt in quo contractio illa reperiretur : id itaque frivolum, quod dicitur tantum, non etiam probatur. Angli civem suum faciunt quod Oxoniae scripserit, et commentarios suos *Scriptum Oxoniense* vocaverit : praeclaro sane argumento, quasi concluderetur, Cicero Arpinas Romae scripsit, Cicero igitur Arpinas fuit Romanus; quod quam ridiculum sit, docti viderint. Deinde religiosae familiae cum constent ex diversis gentibus, nullius academiae legi sunt astrictae; et videmus Bononiae in Italia quosdam monachos non Bononienses publice profiteri, cum tamen peregrini omnes a professione arceantur, nisi eminenti, ut vocant, loco conducti. Igitur si Joannes Duns Franciscanus in academia Oxoniensi docuerit aut scripserit, non ut Anglus, sed ut Seraphici ordinis socius, docuisse et scripsisse censendus est. Mira hic inscitia Joannis Pitsaei, ignavissimo stupore seipsum superantis, et non est tanti ut verba poni aut redargui mereantur; hoc tantum discat apostatae Balaei impudens et mendacissimus transcriptor, non omnes Oxonienses Anglos esse : siquidem ex decreto S. D. N. Clementis V. ut ex actis concilii Viennensis patet, et disertis verbis habetur Clementinae de Magistris lib. v. Oxonia publica est et communis universitas tribus regnis Angliae, Scotiae, et Hiberniae; quinimo, quod amplius est, rex Scotiae tenebatur ad provisionem professoribus Scotis in academia Oxoniensi praestandam, ex textu claro dictae Clementinae. Quod si verum est, ut verissimum esse nemo dubitat, a futili illo argumento desinant deinceps Angli, et a Scoto doceri antiquitates suas lubentes fateantur, et gratias agant. Denique potuit titulus ille alterius manu addi, et levitatis te, Pitsaee, pudebit, si perpendas quam ridiculum argumentum docti habeant, a scriptionis loco necessitatem inferre nationis; sic enim fieret ut D. Augustinus Afer haberetur Italus, quia libros de Trinitate ad Portum Trajani sive urbem veterem scripsit; et Remundus Lullius Pisanus esset adjudicandus, quia Artem suam Mirabilem Pisis compilavit; et magnus felix Ennodius Ticinensis Byzanti-

nus esset, quia scriptum de legatione sua Byzantii exaravit; denique Pitsaeus Anglus Austrasius esset, et praeclaram gentem oneraret infamia, quia Liverduni scribit. Ad haec, omnium seculorum et gentium virorumque eruditorum consensus Scotum fecere; aliquorum apponam celebriora testimonia. Dux erit ejusdem ordinis Petrus Cratepolius pag. XCI. " Joannes Duns, natione Scotus, de ordine S. Francisci, vir eruditissimus in divinis literis, et philosophus doctissimus, acutissimus ingenii, et adeo profundus, ut a paucis scripta ejus sint penetrabilia." Nicol. Jansenius Dominicanus cap. VIII. in Apologiam Hugonis Cavelli Hiberni. Gregor. Ruis ante Comment. Scoti in IV. Senten. Simon Maiolus Colloqu. IV. Zuingerus. Libert. Fromondt Lovaniensis in Thesibus. Nicolaus Vernuleius Triumpho Assumptae Virginis. Quid plura? nuper edito opere probavi XII. rationibus eum Scotum fuisse, nec Cavellus respondit, nec respondere potest. Petrus Rodolphus Tossinianensis tom. III. Religion. Seraph. qui diserte " ad Calydoniam Sylvam" natum ait, refert tamen Balaei impudentissimi et mendacissimi deliria. Joannes de Ragusio Dominicanus laboriosa illa Oratione habita in concilio Basiliensi de Communione sub utraque specie pag. CIII. " Scotus, qui prae altitudine et subtilitate doctrinae antonomastice nomen Doctoris Subtilis in scholis obtinuit." Joannes Trithemius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. CCCIII. " Joannes Duns, natione Scotus, Parisiis studuit." Ael. Reusnerus in Indice Chronologico: " Joan. Duns Franciscanus, gente Scotus, Doctor dictus Subtilis, obiit," &c. Auctor Bibliothecae Classicae pagina CCLXXXV. " Joannes Duns, a patria Scoti nomen obtinens." Anton. Possevin. Appar. Sacr. tom. I. pag. CLXIX. " Joannes cognomento Duns, natus in ulteriore Britannia ad Calydoniam Sylvam, a patria Scoti nomen in scholis obtinuit." Joan. Aventin. lib. VI. Annal. Boiarior. " Eo autore duo Peripateticorum Aristotelicorum genera esse coeperunt; unum illud vetus, locuples in rebus procreandis, quod scientiam sibi rerum vendicat, quamobrem Reales vocantur; novum quod eam distrahit, Nominales ideo nuncupati, quod avari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videntur esse assertores. In hisce duobus generibus dissidium et bellum civile est. Illius Thomas Aquinas Italus, et Joannes Duns Scotus, hujus Wilhelmus Occamensis Anglus, an-

tesignani." Sixt. Senen. lib. IV. Biblioth. Sanctae: "Joannes Dunsius, natione Scotus, ex Minorum familia, Alexandri Alensis Britanni Lutetiae auditor, admirandae eruditionis subtilitate praeditus, ob profundissimam dicendi obscuritatem Σκοτεινὸς, id est tenebricosus, quod Anaxagorae obscurissimi cognomen fuit, cognominatus." Jacob. Breullius lib. II. Antiquitat. Parisiens. pag. DXXIV. "Ex hoc monasterio [Franciscanorum Parisiis] plurimi sanctitate et doctrina pollentes prodierunt. In his Nicolaus Lyranus, Bibliorum glossographus, et quidam, cognomento a patria sua sumpto, Scotus vocatus, et Doctor Subtilis, cujus memoria nunquam est peritura, praesertim inter scholasticae sapientiae professores, ob eruditionem quam scriptis suis insevit, haereticorum impietati retundendae opportunam." Eadem chronologi omnes.

Multa de eo fabulose traduntur, ut quod imaginem Deiparae in sancto sacello Lutetiae, disputaturus de conceptione ejusdem, precibus incurvaverit; quod Roma Parisios biduo venerit, causam illam propugnaturus; denique, "nondum mortuum fuisse, cum in sepulchrum illatus est, sed duntaxat lethargo correptum ferunt, quod aperto sepulchro postea innotuerit, dum in gradibus mausolei devoratis manibus repertus est," ait Gilbertus Genebrardus Chronolog. pag. DCLXVII. Eademque paulo ante Jovius in Elogiis Virorum doctrina illustrium. Quod commentum exagitat acriter et erudite Matth. Ferchius, vir ornatissimus, Franciscani ordinis provincialis, et modeste Bzovium Polonum officii admonet exculto opere nuper Camberii edito. Id ipsum etiam Aubert. Miraeus in Chronico refutat, quod Coloniae nulla sit in archivis monasterii mentio, aut epitaphiis variis tumulo appensis. Ita enim ille: "Jo. Dunsius Scotus, Doct. Subtilis cognomento," &c. Accedit sanctitatis opinio qua usque in hodiernum diem clarus est, nam et ara cum lampade ardente Dumfrisii erat, et Mauritius Hibernicus ante CXX. annos eum Sanctum ubique vocat, et consentit Matthaeus Ferchius idem, ordinis Seraphici socius, quae cum tali fato pugnare videtur, et refellit Joannes Stommelius oratione de illo Bononiae edita, quam adi: quod tamen figmentum scioli avide arripuerunt. Janus Vitalis maledicentissimus a Jovio corruptus, inficetus scurra:

Quod nulli unquam hominum accidit, viator,

Hic Scotus jaceo semel sepultus,
Et bis mortuus, omnibus sophistis
Argutus magis, atque captiosus.

Sed et Latomi extat carmen illepidum, insipidum, ac impostura plenum, nec legi dignum, nisi ut arrogantia et ignorantia obscuri tenebrionis arguatur:

Quacunque humani fuerant, jurisque sacrati,
In dubium veniunt cuncta vocante Scoto.
Quid? quod, et in dubium illius sit vita vocata,
Morte illum simili ludificante stropha,
Cum non ante virum vita jugularit adempta,
Quam vivus tumulo conditus ille foret.

Quanto verius epitaphium ejus vetustissimum!

Clauditur hic rivus, fons ecclesiae, via, vivus
Doctor justitiae, studii flos, arca sophiae,
Ingenio scandens, scripturae abdita pandens:
Dux fuit hic cleri, claustri lux, et tuba veri.

Henricus Suinton Scotus:

Pingere vis Scotum, Sophiam depinge: Sophiam
Pingere vis, Scotum pinge; Sophia Scotus.

Summatim ex Matth. Ferchio Veglensi loco laudato pag. XLIX. ejus laudes percurram. Antonio Possevino laudatur "eximia modestia, charitas, animi integritas." Guilielmo Eisengrinio, "fidei Catholicae professio, exercitatio in divina lege." Trithemio, "studiosa caelestium scripturarum eruditio." Petro Tartareto, "contemptus vitae pro justitia et aequitate." Chronico Franciscano, "paupertatis evangelicae opulentia." Guil. Voriloni, "magna obedientiae propensio." Bartholomaeo Pisano, "educatio in divino cultu, et religiosis functionibus." Epigrammatario incerto, "vitae coelibatus." Philip. a Sosa "morte venerabilem," Antonius Andreas "memoria benedictum," Gonsalvus Generalis "vita laudabilem," vocant. Scripta ejus Josias Simlerus haec numerat:

Super Sententias	lib. IV.
Quodlibeta	lib. I.
De Cognitione Dei	lib. I.
In Metaphysicam Quaestiones	lib. I.

Sermones de Tempore	lib. I.
Commentarii in Evangelia	lib. I. Franciscus Gonzaga part. I. pag. LXXXVII.
In Epistolam ad Romanos	lib. I. Ibidem.

Obiit Coloniae Agrippinae VIII. Novemb. anno salut. MCCCVIII. eo anno quo Henrico Lucemburgico VII. imperium est delatum. Chronic. Hirsaug. Errant qui in annum MCCCXXX. rejiciunt, nec minus Gesnerus in Bibliotheca et Raphael Maffaeus Volaterranus lib. XXI. pag. DCXXXI. lapsi sunt, dum stylis discipulorum confossum tradunt, quod de Joanne Scoto longe ab isto diverso verum est, et infra a me expedietur. Denique, ut totum de illo sermonem absolvam, auctoritas Antonii Andreae, symmystae et discipuli ejusdem Doctoris Subtilis, qui XII. post eum anno defunctus est; is enim Comment. ad lib. XII. Metaphy. ad finem: "Tam sentiendo, quam notando doctrinam illius subtilissimi et excellentissimi doctoris, cujus fama et memoria in benedictione est, qui pote sua sacra et profunda doctrina totum orbem adimplevit, et facit resonare, scilicet Magister Joannes Duns, qui fuit natione Scotus, religione Minor." Bartholomaeo Pisano paria scribente ad Conformit. XI. part. II. pag. CXIII. Sed quis epithaphio contradicat? Satis erit ad Anglos Hibernosque spe sua dejiciendos. Illud sic hodie Coloniae legitur, et habet Franciscus Gonzaga part. I. pag. LXXXVI. Petrus Cratepolius Episcop. Germ. pag. XCI.

Scotia me genuit,
Anglia suscepit,
Gallia erudivit,
Colonia sed nunc tenet.

Dum nocte nativitatis dominicae oraret, salvator ipse ei se tractandum pueri specie tradidit. Chronica Francisc. part. II. lib. VII. cap. III.

DONATUS. 422.

DONATUS in patria D. Benedicti regulam juravit, tum S. Mariano comes peregrinationis Germanicae, inclusus primum ad D. Petri sacellum, mox novi Scotorum coenobii monachus, quod Henricus burgravius II. Scotis peregrinis ibidem exstrui curavit.

" Vir doctus," ait Wolfgangus Lazius lib. VII. Migrat. Gent. Scripsit

Vitam Leopoldi Marchionis Austriae lib. I. Is postea in sanctorum relatus numerum, secundus Austriae patronus colitur, diu enim ante illum ascitus in patronum ab ea gente fuerat S. Colmannus, uti lib. III. supra ostendi.

Claruit anno MCLVIII.

SAMUEL DEIRANUS. 423.

SAMUEL Deiranus, monachus Benedictinus, a Deira celeberrimo Buchaniae coenobio sic vocatus, vir fuit ad miraculum omnibus bonis artibus eruditus, praecipue mathematicis, in quibus tantum floruit et excelluit, ut a vulgo magus haberetur; revera naturae mysteria adeo penetravit, ut nihil in iis ei occultum foret. Mira praedictionum felicitate, varia reliquit ingenii sui rarissimi monumenta, sed ad me paucorum apices pervenerunt. In his habentur:

Canones Astrologici lib. I.

Principum quorundam Horoscopi lib. I.

Praedictiones veraces super Casu Religionis apud Scotos, et ejusdem nova Restauratione, lib. I.

Theologicae Collectiones pro Astrologica Scientia lib. I.

Obiit anno MDXLVII. Sepultus non longe Edimburgo in cujusdam viri nobilissimi sacello, quocum ejusdem sacelli imagines omnes etiam sepultae ac reconditae.

DRUYDES. 424.

DRUYDES vel Dryudes, philosophi antiquissimi, a Druy Celtarum rege, ut volunt Stephanus Forcatulus, et Joannes Picardus lib. II. Celtopaediae; vel ab arboribus et lucis in quibus, declinatis urbibus, ut sacris facilius vacarent, habitabant. A Britannia, id est, Scotia, ubi ortum habuisse scribunt Caesar lib. VI. Commentarior. Strabo lib. V. Geograph. Tacitus in Agricola, et alii, in Gallias translati, mira philosophandi scientia inclaruerunt. Late

Hector Boethius lib. II. Histor. Scot. pag. XII. Adi ad C. Plinium lib. XVI. cap. ult. lib. XXV. cap. XI. et lib. XXIX. cap. II. Caelium Rhodigin. lib. XVIII. cap. XXI. Horum philosophiam maxima ex parte complexus est Diogenes Laertius prooemio operis sui de Vita Philosophorum, σέβειν θεοὺς, καὶ μηδὲν κακὸν δρᾶν, καὶ ἀνδρείαν ἀσκεῖν, " colere deos, nihil mali facere, fortitudinem exercere." Primi ii immortales esse animas docuerunt, idque prodidit Clitarchus lib. XII. Laertius ibidem loci, quod egregio mutuandae pecuniae commento confirmarunt. Vale. Max. lib. I. cap. II. Id disciplinae genus expressit M. Lucanus lib. I. Pharsal. vers. CCCCLI.

Et vos barbaricos ritus, moremque sinistrum
Sacrorum, Druidae, positis repetistis ab armis.
Solis nosse deos, et coeli numina vobis,
Aut solis nescire datum: nemora alta remotis
Incolitis lucis: vobis auctoribus umbrae
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna tenent: regit idem spiritus artus
Orbe alio, longae canitis si cognita vitae.

Hos etsi nonnulli Augustorum Romani imperii finibus excludere tentassent, retinuere tamen studiosa religionis observantia nostrates, et populi plerique alii. Meminit Ael. Lamprid. in Alexandro Severo, Fl. Vopisc. in Aureliano, et in Numeriano. Horum curae magnatum liberi apud nostrates commissi, a quibus rectam virtutis adipiscendae rationem edocerentur. Horum princeps fuit S. Columbanus, ut lib. III. hoc opere dixi. Successere postea in eorum locum, auctoritatem, et opes monachi. Scribebant isti

De divino Cultu	lib. I.
De Religionis Sacris	lib. I.
De Fortitudine bellica	lib. I.
De Animae Immortalitate	lib. I.
Oracula	lib. I. quae non viri modo, sed etiam feminae consulentibus reddebant.

Florebant ab initio regni fundati.

GEORGIUS DUNDAS. 425.

GEORGIUS Dundas, Graece Latineque doctissimus habitus, equitum Hierosolymitanorum intra regnum Scotiae praefe-

etus, sed prius Aberdoniae professor. Scripsit diligenter, et laboriose,
Historiam Equitum Hierosolymitanorum lib. II.
Claruit anno MDXX.

GUILIELMUS DEMPSTERUS. 426.

GUILIELMUS Dempsterus ante CCC. annos Lutetiae profitebatur. Erat autem ex familia Curestonia, cujus claritudo altius est repetenda ex annalibus Scoticis, et nostrae familiae actis. Circa annum MLXI. Malcolmus Canmoir III. rex filium sustulit promiscuo toro Alanum. Is rebellantem Loguhabriae thanum, a rege missus, acie victum, ne majores motus orirentur, capite mulctavit, erectis trophaeis, ingentibus saxis, quae etiamnum hodie non longe Brechino visuntur. Rex Alanum justitiae ense donavit, ac ne ulla toto in regno de capite sententia sine ipsius aut praesentia aut delegatione ferretur, edicto cavit; eumque Domsterum, hoc est, Judicem, ea de causa posteritas vocavit; *Dome* enim capitalis est sententia, quae hac formula ferebatur: lapidem tollit magistratus, signatumque quaerenti tradit, illo adversarium et testes citat; si quid ambiguum, et majoris momenti, ad XII. quos Claves appellant, refertur, atque ita sine scriptis aut impensis lites dirimi solitae. Ex Davide longus ordo agros inter Escas omnes possedit, quos hodie Crafordiae Lindesii a majoribus nostris emptos habent; et Dempsteri, per totam se Scotiam diffundentes, varias arces ac titulos obtinuerunt: in Hiberniam etiam, et Angliam, Monamque insulam trajicientes, domicilium ac sedem fortunarum suarum fixerunt. Guil. Camdenus in Monae Insulae descriptione pag. DCCXXV. Cur autem Dempsteri ab Angusia, ubi prima veluti incunabula rerum suarum fuerant sortiti, alio transierint, haec ratio est: puella, magnarum opum haeres Achterlessiae baronis Sibeti, unica Joannis Dempsteri fortitudine a tyranno, qui eam per vim detinebat, liberata, eidem assertori suo denupsit, qui raptorem virginis duello interfecit, et gentilitio Dempsterorum leoni ensem addidit, familiae gestamen deinceps futurum, cujus ille, veluti secundus conditor, administrationem Buchaniae et Banfiae summo titulo in domum suam intulit, quam et avus meus Joannes et pater

Thomas feliciter rexerunt. Ad Guilielmum redeo. Is ad examinandam Brevem Raimundi Lullii Artem senatusconsulto Parisiensi delectus, ut patet ex opere illo Lugduni edito per Stephanum Balaud anno MDXIIII. edidit

Examen in Brevem Raimundi Lullii Artem lib. I.

Floruit anno MCCCVIII.

GEORGIUS DEMPSTERUS. 427.

GEORGIUS Dempsterus Brechinensis, incertum qua familia, Ticini philosophiam est professus; de quo nihil ultra comperi. Venit in manus meas Venetiis excusum anno MDXLI. [opus] cui titulus,

De Rebus ad Novariam gestis lib. I. De luctuosa, scilicet, Caroli VIII. in Aragonios expeditione, in qua tria illa clarissima censenda, expugnatio Neapolis, praelium Tarense, obsidio Novariae. Paulus Jovius, Guicchiardinus, et alii.

Floruit circa annum MCCCCXCV.

JOANNES DEMPSTERUS. 428.

JOANNES Dempsterus a Barawia, apud avum meum Joannem Mureskiae educatus, in Gallias deinde bonarum artium studio profectus, omnium sua aetate doctorum clarissimus evasit, si Francisci Balduini J. C. auctoritati credendum, qui alicubi in scriptis suis profitetur, " Calvini et sequacium haeresim unius Joannis Dempsteri eruditione philosophica posse retundi." Hic asperitatem patrii sermonis Graeca inflexione deliniturus, se non Dempsterum Scotica voce, sed Themistorem Graeco idiomate vocavit; nam cum *Deempster*, sive *Domster*, idem sit ac judex, perinde erat Dempster aut Themistor dici: licet non facile probem nomina propria adeo praeposteo studio accentu Latino donari, ut origines mutari videantur, ac non idem alio nomine efferri, in quo nuper lapsus est, meo quidem judicio, Jacobus Augustus Thuanus, praeses senatus Parisiensis, historicus clarissimus. Ad Joannem redeo.

Lutetiae philosophiam est professus rara ingenii felicitate, et docte

supra illam aetatem. Ter academiae ejusdem rector, qui honor nondum adhuc promiscuus, et cuique expositus, magna animorum contentione fluctuantem magistratum recepit, et prudenter adeo administravit, ut seniores fassi sint mihi, et acta academica testantur, nunquam meliori statu res illas fuisse. Emeritus inde Venetias a serenissimo senatu, digno Minervali, evocatus, bibliothecam D. Marci, cui praepositus erat, ordinavit; in cujus aditu, ut audio, imago ei posita honorificam ejus memoriam apud gratissimum populum conservat. Fuerat hoc κειμήλιον, et inaestimabilis thesaurus librariae supellectilis sereniss. reipublicae legatus a Cardinale Bessarione Trapezuntio anno MCCCCLXXXIIX. Acta D. Marci, et historici Veneti. Obierat Bessarion an. MCCCCLXXII. die XIIX. Novemb. Schraderus. Ejus sunt, quae ego viderim, ut de aliis taceam:

Logicae Elementa lib. I.

Collatio Platonicae atque Aristotelicae Philosophiae lib. I. quo opere nihil Musae, multorum judicio, elegantius aut ornatius viderunt: in quo opere etiam desudarunt, ut alios omittam, Georgius Gemistius Plethon, Gabriel Buratellus, Hubertus Folieta, Bernardinus Donatus.

Epistolae lib. I.

Incepit docere Parisiis, ut ex actis nationis Germanicae comperi, anno MDLII. Profectus est Venetias anno MDLXIV. Obiit Venetiis MDLXXI.

THOMAS DEMPSTERUS.

THOMAS Dempsterus, hujus operis auctor, ut meritis et eruditione ultimus est, ita ultimum locum sortietur; ubi de illo, si tanti putabis esse, vide.

JOANNES DURAEUS. 429.

JOANNES Duraeus, Societatis Jesu presbyter pius ac doctus, quem miror Ribadeneiram omisisse, cum tanti nominis, famae, ac doctrinae non debuisset oblivisci. Meminit Bibliothecae Classicae auctor pagi-

na CIX. et Anton. Possevin. Appar. Sacri tom. I. pag. CLXXII. Ejus est

Confutatio Responsionis Guilielmi Whittakeri lib. I. Ingolstadii.

Vixit et obiit in Germania, sed nescio ubi loci, anno MDLXXXVII.

GUALTERUS DONALDSONUS. 430.

GUALTERUS Donaldsonus, magni nominis, sed majoris meriti, Sedanensis scholae gymnasiarcha, ac philosophiae ibidem professor, varia edidit: ego tantum vidi

Lachrymas Tumulo Henrici Stuarti Walliae Principis lib. I.

Vivit adhuc, et multa quotidie posteros ornatura molitur: nunc audio Parisiis professionem occepisse, quod bono reip. literariae fiat.

GUILIELMUS DAVIDSONUS. 431.

GUILIELMUS Davidsonus bonas artes in Scotia didicit, Parisiis docuit, indivisus Joannis Dempsteri, sive Themistoris, de quo supra, collega, philosophiae eodem tempore professor. Edidit Lutetiae,

Philosophiae Aristotelicae Synopsin lib. I.
Praefationes solennes lib. I.

Docendi munus aggressus est, ex actis academiae Parisiensis, anno MDLIV.

ANDREAS DUNCANUS. 432.

ANDREAS Duncanus solo nomine mihi notus est, et puto operam suam poliendis popularium ingeniis destinavit; nescio tamen, an non etiam in Galliis aliquamdiu substiterit. Utcunque vir habebatur doctissimus, et inter sui seculi primos. Ejus sunt:

Rudimenta Pietatis lib. I.
Rudimenta Grammaticae lib. I.
Etymologia Latina lib. I.

Obiit, ut aiunt, anno superiori; id est, MDCXVIII.

GULIELMUS DUNCANUS. 433.

GULIELMUS Duncanus, bonis artibus supra hoc seculum, et maxime Graecis literis ad miraculum imbutus, multis annis humaniora, ut vocant, studia amplexus, rhetoricam apud Volcas rara commendatione, summoque nobilium auditorum concursu docuit; nunc audio philosophiam summa cum gloria nominis profiteri. Est in eo homine mira comitas, et festivi mores erudita gravitate conditi, ut ipsas te Musas intueri censeas, si in colloquium cum eo descenderis. Ejus sunt:

Carmen antiquarium lib. I. quo nihil laboriosius post Musas natas; omnia enim vocabula antiquata sunt, non tantum antiqua ex Naevio, Afranio, aliisque. Exordium, " Axamenta cano."

Praefationes habitae publice, dum lyceum aperiretur, lib. I.

Notae in Platonem	lib. I.
Notae in Cointum Calabrum	lib. I.
Observationes in Photium	lib. I.

Vivit adhuc in Occitania, ubi XX. et amplius annorum professor, rudem non poscit, sed indefesso labore sibi ac patriae gloriam parit.

MARCUS DUNCANUS. 434.

MARCUS Duncanus, superioris frater, ingenii etiam felicitate ei simillimus, ut pauci sint hoc nostro aevo, quos " par nobile fratrum" non aequet. Hic ad severa studia animum appellens, apud Turones fortunarum suarum domicilium fixit, et philosophiam celeberrima fama, magnoque auditorum frequentium fructu professus, edidit

De Logica	lib. V.
In Ethicam Synopsin	lib. I.
Poemata varia	lib. I.
Orationes	lib. I.

Vivit adhuc Salmuriae philosophiae professor, et genti suae laudem,

sibi, ut audio, opulentiam conquirit; quod non tam credo, quam ex animo cupio; nihil enim est quod tam amoenum non mereatur ingenium.

ARCHIBALDUS DUMFRISIUS. 435.

ARCHIBALDUS Dumfrisius, ab oppido sic dictus, monachus Benedictinus Dumfermelini professus, familiaris regi Scotiae Roberto III. Domesticus Gilberti Greenlaw, episcopi Aberdonensis, ejus opera in Gallias cum oratoribus Scotis missus, Carolo VII. utilis fuit. Scripsit

Epistolas ad Reges lib. I.

Florebat anno MCCCXCVI.

JOANNES DAZELLUS. 436.

JOANNES Dazellus, nobili familia ac clarissimo ingenio, Graece Latineque doctissimus. In Aquitanica Gallia XXX. annis totis Lescaae politiorem literaturam maxima celebritate professus, scripsit

De Ecclesia Scotica lib. I.

In Annales Ecclesiasticos illustrissimi Baronii Observationes lib. I.

De Antiquitate Galliae Aquitanicae lib. I. opus immensum, ut audio, et incredibilis laboris.

Vivat adhuc, an obierit, pro comperto non habeo.

JOSEPHUS DRUMMONDUS. 437.

JOSEPHUS Drummondus, nobili familia, diu in Galliis bonas artes professus, Aquis Sextiis celebre nomen ab ingenio adeptus, disputatione super sacerdotio opimo clarissimum et sibi et genti encomium praestruxit. Scripsit

Introductionem ad Logicam lib. I.

Excerpta ex Aristotele lib. I.

Obiit Avenioni anno MDCXX.

GULIELMUS DRUMMONDUS. 438.

GEORGIUS DUGLASSIUS. 439.

ALEXANDER DUGLASSIUS. 440.
HENRICUS DANSKINUS. 441.
JOANNES DURWARDUS. 442.
DAVID DIKSONUS. 443.

Scripserunt epigrammata, poemata, et orationes, congratulaturi suo regi in Scotiam redeunti. De quibus, etsi sciam multa alia nonnullos eorum publicasse, et esse viros inclytae originis, nec ulli labi obnoxios, nisi forte haeresis contagio, quam vitio gentis imbiberunt, ego nihil quod addam habeo.

FINIS LIBRI QUARTI.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

LIBER V.

S. EATA. 444.

S. EATA, sive Eatta, Mailrosensis abbas, Joan. Trithem. lib. III. de Vir. illustribus Ordinis S. Benedicti cap. CXXV. quod nemo ante illum in Britannia praestitit, duos simul episcopatus pie administravit. Verba Francisci Godwini apponam ex Commentario de Episcopis Angliae pag. XCIV. " Scotorum plurimis, qui cum Colmanno in Angliam venerant, cum eodem in patriam reversis, qui permanserant reliqui Mailrosiae consederunt, abbatem sibi praeponentes Eatam, quem locum, Colmanno rogante, Oswinus rex iis assignavit. Hic, Tuda defuncto, tam Hagustaldensis quam Lindisfarnensis constitutus est episcopus, et utramque sedem per biennium rexit; quo temporis spatio finito, Hagustaldensem Tumberto cuidam resignavit. Tumberto vero per synodum Twifordae congregatam, quam ob causam nescio, exauctorato, Cuthbertus illi substitutus est: sed Eata, cum intelligeret Cuthberto magis cordi esse sedem Lindisfarnensem, relicto illi quem concupierat praesulatu, Hagustaldensem suscepit. Anno haec DCLXXXIV. gesta sunt, annoque deinde sequenti Eata videtur vitam cum morte commutasse." Successit illi S. Joannes Beverlacensis, qui post Hagustaldensem sedem, Eboracensem rexit; ut ex Beda lib. V. Historiar. Anglor. cap. II. recitat Surius tomo III. die VII. Maii.

Ab Alchfrido rege locum impetravit condendo monasterio, quod Mailrosiam posteri vocarunt; quo nullum sanctorum, quos aluit, numero illustrius, non in angustis modo Britanniae tractibus, sed ne in universa quidem Europa. Vita S. Cuthberti cap. VII. apud Surium tom. III. die XX. Martii. Vide plene in eadem vita cap. XVI. XXV. Ejus est

Regula ad Monachos	lib. I.
Homiliae	lib. I.

Floruit anno DCLXXIII. quo anno S. Cuthbertum in Mailrosensi coenobio, a se condito, induit; ut Florent. Wigorniensis ad annum eum ait, nisi quod male *Mailronense* habet pro *Mailrosensi.* Videtur praecipua pietatis officia exercuisse anno DCLXXVIII. Matth. Westmonasteriensis eo anno. Denique obiit in Anglia Hagustaldae in episcopatu suo, non longe Thyno amne, anno DCLXXXVI. Duplex Arnoldi Uvionis error lib. II. Lig. Vitae cap. XXV. nam archiepiscopum facit Eboracensem, et eam sedem S. Cuthberto reliquisse vult; utrumque sane falsissimum.

S. EGBERTUS. 445.

" MAGNIFICUS praesul S. Egbertus," ait B. Marcellinus presbyter in Vita S. Suiberti cap. VI. " sitiens et affectans salutem omnium hominum, et praecipue paganorum Frisonum, destinavit ad illos XII. presbyteros, qui sunt Willibrordus, Suibertus, Acca, Wigbertus, Willibaldus, Winibaldus, Lebuinus, duo Ewaldi, Werenfridus, et Marcellinus:" qui, etsi non omnes forte Scoti, at major certe pars, ut alibi hoc opere ostendo. Francis. Godwinus: " Egbertus Scotus, aut, ut alii aiunt, in Scotia ordinatus, monasteriorum Sancti Columbani in Hibernia et Britannia rector et abbas." Trithemius lib. III. de Vir. illustrib. Ordin. S. Benedicti cap. CXXX. Coenobitae Medelocenses in Vita Sancti Adalberti cap. I. " S. Egbertus, patriam parentesque suos deserens, remotioris vitae cupidus in Hiberniam secessit, ad cujus famam certatim ad eum tam Scoti quam Angli confluentes in disciplinam se tradiderunt." Vide apud Laurent. Surium tom. III. die XXV. Junii. " Egbertus vir sanctus," ait Hermannus Contractus Chronico ad annum DCCX. " Scotos legitime pascha celebrare docuit;" quod anno DCCIX. contigisse vult Sigeber. Gemblacensis: orta autem ea controversia fuerat anno DCLXIV. ut idem Sigebertus docuit. Ejus sunt:

De Ritibus Catholicorum	lib. I.
De Paschali Observatione	lib. I.
Conciones variae	lib. I.

Obiit, dum in Scotia apud suos cives concionaretur, anno aetatis XC. Mordaco apud Scotos regnante, anno salut. DCCXXIX. ut anna-

les Scotiae Angliaeque testantur, vel anno DCC. Joannes Trithemius.

Sanctorum numero ascriptus colitur die XXIV. Aprilis. Martyrolog. Roman. et Beda lib. III. cap. IV. et alibi saepe. Alius ab hoc nostro Egbertus est, seu Eadbertus Lindisfarnensis episcopus. Annales Anglici. Quod vero Martyrologium in Hibernia commemorationem ejus ponat, id de conservatione, et eremitica vita inibi acta, non de ortu, intelligendum censeo; certe enim Scotum esse, vel Balaeus genti nostrae hostis juratus asserit, ut historicos taceam veteres recentesque.

S. ERWALDUS. 446.

" S. ERWALDUS monachus, et discipulus S. Kiliani," ait Trith. lib. III. de Vir. illust. Ordin. S. Benedicti cap. CXLV. " martyris, atque pontificis Herbipolensis, egressus cum eo de Scotia ad praedicandum verbum in Franconia, martyrium cum magistro sancto perfecit." Nec de illo in actis Kiliani quicquam observavi, nec omnino alibi. Scripta perierunt.

Claruit anno DCLXXX. Conservatur ejus sacra memoria die XIX. Januarii. Tabulae Constantienses.

S. ERLULPHUS. 447.

S. ERLULPHUS Verdensis episcopus IX. et ultimus Scotorum qui eam sedem a " Carolo Magno, ob insignem bello Hispanico ei operam navatam," tenuerunt. Philip. Belforest. lib. I. Histor. Carolor. Hic cum pie ecclesiam suam administrasset, " cum agmine Christianorum pro Christo caesus est in Ebbeckstorp." Annales Ecclesiastici Albert. Crantz. lib. II. Metropol. cap. XXX. Suffrid. Petrus lib. I. Orig. Frison. cap. XV. Anton. Demochar. lib. II. cap. XXXV. " S. Erlulphus Scotus, martyr." Sed decimum ejus sedis antistitem facit, et locat in anno DCCCLXXVI. Colitur die XXII. Januarii. Scripsit

Epistolas ad diversos	lib. I.
Homilias de Sanctis	lib. I.

Passus est anno DCCCXXXIX. Walterus ei successit, ac alii deinceps Saxones. Alius est Erlolfus abbas Morbacensis, et ab Hen-

rico imperatore Fuldensis abbas factus circa annum MCXVIII. Muntzerus Chron. German. Browerus lib. IV.

S. EGEBERTUS. 448.

S. EGEBERTUS abbas Fuldensis nominatur in rebus Machabaei regis apud Joannem Leslaeum lib. V. " Doctrina et sanctitate conspicuus in SS. album relatus." Uvion lib. III. pag. CCCCXIV. Hunc non omnes Scotum faciunt; in his est Christophorus Browerus, cui Eppo est lib. IV. Antiquitat. Fuldensium pag. CDXCII. Hermanno Contracto in Chronico ad annum MLIX. male Eberardus appellatur. Hujus regimen nobilissimum fuit, quippe monasterium suum a regia potestate ad pontificiam reduxit, ut idem Contractus observat ad annum MLIII. Meminit hujus Othlonus Fuldensis in Vita S. Bonifacii. Marianum Scotum e Paderbornensi coenobio exusto Fuldam duxit; interfuit synodo Moguntinae, et praesente Henrico imperatore causam dixit. Scripsit, ut accepi,

Lecturas in Sacras Scripturas	lib. I.
Epistolas ad Leonem IX. Papam	lib. I.
Super Actis Bonifacii	lib. I.

Coepit sedere anno MXLVIII. et post decennium obiit XV. calend. Decembr.

S. ERTHADUS. 449.

S. ERTHADUS, mira vitae sanctimonia episcopus in Scotia, scripsit

Lecturas in Biblia	lib. I.
De Divina Essentia	lib. I.
Allegorias Sacras	lib. I.

Floruit anno DCCCCXXXIII. Colitur pie XXIV. Julii. Breviar. Scotic.

S. ELIGIUS. 450.

S. ELIGIUS, Gallis Eloy, Italis S. Alo, Noviomagensis in Picardia episcopus, de cujus memorabili sanctitate Baronius ad Martyrolog. Roman. die I. Decembris, et Ado, Beda, Usuardus, Gallesi-

nius Maurolycus, Felici. et Arnoldus Uvion eodem die. Petrus in Catalogo lib. I. cap. XVII. Claudius de Rota in Legendario cap. CCX. Petrus Cratepol. in Episcop. German. Meierus lib. I. Annal. Flandriae. Aimon. lib. IV. Gest. Francor. cap. XLI. Anton. Democh. tom. II. Sacrif. Miss. cap. XV. Vincent. Speculo lib. XXIII. cap. LXXXV. et tribus sequentibus. Reliquiae ejus Brugis servantur. Joan. Molanus ad Usuard. Vitam ejus scripsit S. Audoenus Rothomagensis episcopus lib. II. quos adfert Surius tom. VI. et abbreviavit vir pius anonymus MS. in ecclesia Noviomensi asservatus; ex quo, et ex breviariis Scoticis, liquet Scotum fuisse. Ante episcopatum fuit abbas Solemniaci. Sigebert. Chron. ad annum DCXXXVII. Notger. in Vita S. Remacli apud Surium tom. V. Putant aliqui aurifabrum eum fuisse; quare in tutela ejus censentur fabri ferrarii. Scripsit

Ad Antverpianos, seu Andoverpios,	lib. I.
Contra Ritus Suevorum	lib. I.
De Idolis destruendis	lib. I.
De Sanctis honorandis	lib. I.

Floruit anno DCLVII. Alii in alia rejiciunt tempora, sed ita martyrologia Scotica, et breviaria. Sinclarus, Brunus, Regius, Cheyneus, et alii.

S. ERENTRUDIS. 451.

S. ERENTRUDIS, Erendrudis, Erindrudis, Ariotruda, Arudruda, Arentruda virgo, et abbatissa Numbergensis, soror S. Rudberti, primi Salisburgensis antistitis; de quo vide lib. XVI. infra hoc opere. "Prosapiam traxit a regibus Franciae, et ducibus Scotiae," ut ex antiqua historia prodidit anonymus auctor in Vita S. Rudberti, publicatus ab Henrico Canisio tom. VI. Antiquar. Lection. Quicunque de S. Rudberto meminere, eam extulere etiam elogiis, sed quidam eam sancti illius sororem, nonnulli neptem tantum faciunt. Monialibus summa praefuit sanctitate. Scripsit

Revelationum suarum	lib. I.

Claruit anno DCL. Colitur die XXX. Junii. Kalendar. Salisburgen. Joan. Trith. lib. III. de Vir. illust. Ordin. S. Benedicti cap. CCVI. Arnold. Uvion part. III. pag. CCVIII. Translatio ejusdem ce-

lebratur die III. Septemb. Index Salisburg. Eccles. et ex eo ad illum diem idem Arnoldus Uvion.

S. EBERHARDUS. 452.

" S. EBERHARDUS, episcopus Ratisbonensis, vir pius et sanctus, ortus fuerat ex Scotia," ait Petrus Cratepolius de Episcop. Germanis. S. Hidulphi Scoti, Trevirensis archiepiscopi, discipulus, in Bavaria S. Otiliam principis filiam caecam baptizavit, et illuminavit, multis miraculis post mortem clarus. Chronicon Chronic. Joannis Gualterii tom. III. pag. MCDLI. " S. Eberhardus episcopus Ratisbonensis, ortus ex Scotia." Scripsit

Ad Bavaros Fidei Rudimenta lib. I.

Claruit anno DCLXXV. quando obierit, non reperi.

S. ELIFIUS. 453.

" S. ELIFIUS, filius regis Scotiae Fincormaci, ut existimo, aut sane Crathlinthi, ut aliis visum, relictis suis possessionibus," ait Petrus Cratepolius pag. LII. perrexit in Gallias, et in urbe Tullensi cum XXXIII. sociis in carcerem ut explorator datus, mira Dei providentia noctu eductus, CD. brevi spatio Tullenses ad fidem convertit; quibus tam piis actis Julianus parabates invidens, eum comprehensum, dirisque cruciatibus affectum, capite truncavit, quod ille manibus arreptum per mille passus tulit, ubi sepeliri voluit; sed postea Bruno Coloniensis archiepiscopus pretiosum et miraculis clarissimum corpus transtulit. Acta extant a S. Brunone archiepiscopo Coloniensi conscripta. Gul. Eisingrinius apud Joannem Molanum Addition. ad Usuardum die IX. Julii. Surius vitam recitat ex S. Ruperto Tuitiensi tom. V. dedicata Albano Scoto, abbati Scotorum Coloniae ad S. Martini. Ejus est

Exhortatio ad Martyres lib. I.

Floruit anno CCCL. Requiescit hodie ad D. Martini Coloniae. Colitur die XVI. Octobr. Molan. passus in urbe Lotharingiae grandi, ad S. Martini collocatus XV. Januar. per Walramum archiepiscopum. Chron. Colon.

S. ENGLATIUS. 454.

S. ENGLATIUS, incomparabilis vitae apud nostrates antistes, eodem seculo cum Moveano, Medano, Blaano, et Colmoco, etiam episcopali gloria clarissimis, Congano abbate, et Vigiano monacho, rem Christianam promovit, et ecclesiam sanctissime administravit. H. Boeth. lib. XI. Hist. Scot. Hunc et Scotichronicon in sanctos relatum scribit, et multa apud nostrates templa Deo, sub invocatione ipsius, consecrata loquuntur, sed silentibus martyrologiis, quo die colatur non reperi. Scripsit

Lecturas Sacras	lib. I.
Scripturae Scrutinium	lib. I.
Epistolas ad varios	lib. I.

Florebat anno MX. Colitur XXVI. Septemb. III. Novemb.

S. EBBA. 455.

S. EBBA, Ethelfredi Northumbriae regis filia, patre interfecto, velari voluit in Coldinghensi Scotiae coenobio, ac postea sanctitate vitae eidem praeposita, mira continentia vixit. Haec ne a Danis, ea in insula incredibili salacitate debacchantibus, injuriam pateretur, nasum sibi, et labrum superius, virili constantia amputavit; quod exemplum ceterae sanctimoniales secutae, igne claustro circumdato ad unam omnes consumptae. Beda lib. IV. Histor. Ecclesiast. Gent. Anglor. cap. XIX. Chorograph. Britan. pag. DCIX. Matthaeus Westmonasteriensis ad annum DCCCLXX. Polydor. Virgil. lib. IV. Hist. Angl. Ecclesiae Anglicanae Trophaeum, imagine XVII. An aliquid scripserit, ignoro; certe ne apices quidem operum ad me pervenerunt ulli. De ea Joannes Felix Astolfus novo Legendario ad diem XXII. Augusti, ex Cantiuncula Maffei Venieri, archiepiscopi Corcyrensis, elegantissima, ubi corrupte *Collingan* pro *Coldingham* habetur. Colitur in Anglia, ubi oppidum *St. Abs* pro *S. Ebbes.*

Relata in sanctos anno DCXXX. Arnoldus Uvion libro IV. Ligni Vitae cap. XXVIII. et alii plerique, vel anno DCCCXXX. quod ve-

rius, aut DCCCLX. Colitur XXII. Augusti.

S. ETHELREDA. 456.

S. ETHELREDA regina et vixit sanctissime, et confirmata miraculorum gloria excessit, in monasterio Coldingham in Scotia. Polydor. Virgil. lib. IV. pag. LXXXV. Obiit anno DC. Colitur XXIX. Augusti.

S. EALREDUS. 457.

S. EALREDUS, sive Ethelredus, aut Adelredus, ut habet Laur. Sur. tom. III. die X. Junii, aut Alredus, ut apud Arnold. Uvionem lib. I. Lig. Vitae pag. LXXVII. ex Iona Rievallem translatus: falso in Anglia Rievallensem ponunt, ut et Joannes Molanus Addition. ad Usuardi Martyrologium die V. Januarii. Errat cum iisdem Conradus Lycosthenes. Abbas Rievallensis in Scotia, Davidi Scotorum regi familiaris, et magna apud eum ob vitae innocentiam, et doctrinae celebritatem, dignatione. Collega S. Alwini. Vita ejus. Ii, inquam, decepti, quod putarint in Scotia non fuisse etiam Riedvallense coenobium, cum illud S. Malcolmus rex in Northumbria, tum juris Scotici, exstruxerit; sed illud tempore regis Alexandri ab Anglis solo aequatum, Martyrologium S. Crucis, atque hujus quidem S. Ealredus abbas III. habitus; et de Anglorum impotentia in abolendis Scotiae monumentis alias commodius agam. Ejus sunt:

Vita Eduardi Anglorum Regis	lib. II.
Vita Davidis Scotorum Regis	lib. II.
Vita Niniani Episcopi	lib. I.
Vita Margaretae Reginae Scotiae	lib. I. Haec est illa quae in sanctorum relata numerum X. Junii colitur. Martyrol. Roman. Hect. Boethius lib. XII. Histor. Scot. et alii annales.
Speculum Charitatis	lib. II.
De Amicitia Spirituali	lib. III.
De Anima	lib. I.
Planctus Mortis Davidis Regis	lib. I.
Sagitta Jonathae	lib. I.

Institutio Sanctimonialium	lib. I.
Genealogia Angliae Regum	lib. I.
De diversis Virtutibus	lib. I.
Sermones Synodales	lib. I.
Miracula Ecclesiae Esteldittae	lib. I.
De Statu ejusdem	lib. I.
Oratio Pastoralis	lib. I.
Homiliae XXXIII. in Esaiam	lib. I.
De Revelationibus ejusdem	lib. I.
Sermones de Sanctis	lib. I.
Epistolae CC.	lib. I.

Vixit anno MCXVI. Colitur V. et XV. Januar.

S. ELOQUIUS. 458.

S. ELOQUIUS ex illorum est numero qui inter sanctos relati, Martyrologii Romani non sunt ascripti tabulis. Acta ejus describit ex MS. Mosander apud Surium tom. VII. Sigebert. Gemblacensis Chron. " Multi de Anglia vel Scotia in Galliis peregrinantes verbum Dei seminabant, multumque fructum Deo faciebant, scilicet Etto, Bertuinus, Eloquius." Auctor vetustissimus MS. anonymus in collegiata ecclesia Sancti Mononis dioecesi Leodiensi, ut recitat Laurent. Surius tom. V. die XVIII. Octobr. " Fuit S. Monon de occiduis mundi partibus oriundus, videlicet ex Scotia, quae multos sanctorum, velut stellas lucifluas, ad diversas mundi transmisit partes, ut fuit pretiosus confessor Fursaeus, quem Parrona retinet laeta cum fratre suo Ultano, et Foillanus eorum frater, magni meriti vir, cujus praesentia Castrum congaudet Fossense, Sanctus Fredegandus, Sanctus quoque Bertuinus, nec non S. Eloquius confessor magnificus, quem Walciodiorum veneratur coenobium." Scripsit vero

Exhortationes ad Gentiles	lib. I.
Homilias	lib. I. et alia.

Floruit anno DCLI. Colitur die III. Decembr. Arnold. Uvion lib. III. Lig. Vitae pag. CCCLXXXIV.

S. ETHERNANUS. 459.

S. ETHERNANUS, aequalis ac discipulus D. Columbae, ac nepos ex sorore. Hect. Boeth. lib. IX. Histor. Scotic. pag. CLXVII. Monasterio Divini Ruris, ut vocant, praepositus; erat autem illud unum ex antiquissimis ea in gente, habitatione illius sanctissimi viri nobilitatum, ut refert S. Adamannus Scotus in Vita S. Columbae lib. II. pag. XXIII. Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CLII. templis variis in locis ei erectis die XXII. Decembris. Breviar. Scotic. Edidit ille

Gesta Columbae Avunculi lib. I.

Vivebat anno DCVI. In sanctos relatus, Uvion lib. III. CDXIV. colitur die XXIV. Januarii.

S. ETTO. 460.

S. ETTO, unus ex iis qui Scotiam relinquentes, omnia pro Christo pati sustinuerunt, quibus ardentissimum votum causam fidei promovere. Audiendus Sigebertus monachus Gemblacensis Chron. " Praeter hos (Remaclum, Stabulaeum, Theodardum, Landelinum, Morosum, Aubertum, Gislenum, Cellensem, Madelgarium, seu Vincentium Trudonem) et alii multi de Anglia vel Scotia in Galliis peregrinantes, verbum Dei seminabant, multumque fructum Deo faciebant, scilicet Etto, Bertuinus, Eloquius." Hos autem non Anglos, sed Scotos fuisse, supra in S. Eloquio ostensum est, et ideo auctor, rerum nostrarum ignarus, prudenter addiderat, " de Anglia vel Scotia." Hinc etiam peregrinis et exoticis scriptoribus frequens errandi in rebus nostris occasio ministratur, quod viri sancti, religionis ergo patria excedentes per Angliam iter incipere soliti, Angli idcirco fuisse perhibeantur. Ubi locorum S. Etto substiterit, non deprehendi, nisi in coenobio ei structo ab Hilduino, observante Carolo de Villiers, doctore theologo, ad epist. v. Fulberti Carnotensis; de quo infra hoc opere disquiram. Sed an aliquid scripserit, mihi inexploratum.

Vivebat anno DCLI. vel DCLVI. Colitur in pago Artesiae *Bienvillieris* die X. Julii. Ferreol. Locrius Chron. Belg. pag. LX. Episco-

pum facit Uvion, sed locum non exprimit. Cameracensis historiographus: " In Villa Fescau S. Etto Scotus pie conversatus;" notat Constantinus Ghinius.

S. EUCHINUS. 461.

De S. Euchino antistite Hect. Boethius lib. VIII. Hist. Scot. in fine: " Inter nostrates Colmannus, Priscus, Medanus, Modanus, et Euchinus, episcopi, Christi dogmatis per Scotorum et Pictorum agros pii concionatores." Ejus sunt:

Conciones piae lib. I.
Statuta Ecclesiastica lib. I.

Floruit anno DXXXIV. In SS. album relatum scribit Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CXLVII. Colitur XXVIII. Augusti.

S. EUSTASIUS. 462.

S. Eustasius, seu Eustachius ut fertur, S. Columbanum magistrum suum in Gallias secutus. Scotum probat Vita illius sancti magistri; nam, [uti tradit] Jonas in ea, cap. XIII. et cap. XXIII. relegato Columbano, Scoti soli eum sequi permissi; tum hic, cum debuisset discedere, ab avunculo, qui Lugduni Clanati episcopus, retentus: ergo Gallus non fuit, nam alias quid fuisset opus auctoritate episcopi? Vide Vitam S. Walerici tom. II. Surii I. April. Scripsit

Columbani Iter dum in exilium proficisceretur lib. I. Anton. Possevin.

Qualis ille fuerit, et quantus vir, ex auctoribus laudandis patebit. Jonas in praefat. ad Vitam Columbani, sic enim: " Quae nos per venerabiles viros Attalam et Eustasium didicimus, quorum primus Bobiensis, secundus Luxoviensis coenobii, quo vos praesules existitis, successores fuerunt." Anonym. in Vita Faronis episcopi Meldensis: " Walbertus a S. Columbano, cum fratre Chalnoaldo, et beato Agilo filio Agnoaldi, qui fuit Aguerici frater, traditus est Eustachio, magnae doctrinae et sanctitatis viro, ipsiusque Columbani discipulo, instituendus." Walafrid. Strab. in Vita Galli Abbatis cap. XXVII. " Abbas monasterii quod Luxovium dicitur, nomine Eustachius, quem bonae memoriae Columbanus eidem loco praefecit, ab hujus exilio vitae ad sem-

piternam quietem commigravit." Vincentius lib. XXIV. Speculi Historialis cap. CXIV. CXV. Bercharius: "Luxoviense monasterium expetiit, ubi sub abbate S. Eustachio monasticam vitam duxit." Jonas in Vita S. Bertulphi in limine: "Ad venerabilem virum Eustasium, Luxoviensem abbatem, se contulit." Promiscue ergo ab his vetustis auctoribus Eustachius, Eustasius, Eustatius vocatur. Sigebert. in Chronico, et lib. de Vir. illustr. cap. LXI. Joan. Trithem. lib. III. de Vir. illustr. Ordin. S. Benedicti cap. LXX. Solennitas ejus recolitur ab ecclesia die XXIX. Martii. Martyrolog. Roman. "In monasterio Luxoviensi depositio S. Eustasii abbatis, discipuli S. Columbani, qui ferme DC. monachorum pater fuit, et vitae sanctitate conspicuus, etiam miraculis claruit." Eadem Ado Trevirensis, Beda, Usuardus, Maurolycus, Galesinius, et alii, quorum nonnulli eum Scotiae meae adjudicant, alii Burgundorum regum sanguine ortum existimant, quod forte verum.

Floruit anno DCXXIV. Colitur XXIX. Martii, et XII. Octob.

S. EUNOCUS. 463.

S. EUNOCUS, discipulus S. Columbani, memoratur a Jona Scoto abbate in Vita illius S. cap. XIII. "Quatuor insigni religione viros per quatuor messis angulos disponit, puta, Cominium, Eunocum, atque Atquananum, ex Scotorum genere, quartum Gurganum natione Britonem." Scripsit

Gesta Columbani Magistri lib. I.

Claruit anno DCVI. Sanctum habet eum nonnemo, putatque dici Enoch. Colitur die II. Octobr. Subense Martyrologium.

S. ERNANUS. 464.

"S. ERNANUS, S. Columbae discipulus, presbyter ac praepositus monasterii in Himba insula," ait S. Adamannus in Vita S. Columbae lib. I. cap. XXVII. Scripsit

Exhortationes ad Fratres in Himba Insula lib. I.
In Regulam S. P. Columbae lib. I.

Floruit anno DCVI. Hunc etiam inter divos reponunt nonnulli,

ex Vita magistri.

EUGENIUS. 465.

EUGENIUS, tertius monasterii D. Jacobi Majoris Herbipoli abbas, pie gregem sibi commissum rexit annis XVIII. Scripsit

Exhortationes ad peregrinos Scotos lib. I. Meminit Trithem. Chron. ejusdem monasterii.

Ad Coelestinum III. Pontificem Maximum Epistolas lib. I. a quo confirmationem monasterii impetravit; quae extat apud Trithemium.

Obiit anno MCXCVIII.

ELIAS. 466.

ELIAS abbas ejusdem monasterii VII. sub Ottone episcopo sedit annis VI. Scripsit

Chronicon Monasterii Scotorum lib. I.

Obiit anno MCCXXIII.

EGBERTUS. 467.

EGBERTUS Carmelitanus religiosam vitam in Galliis amplexus, postquam totum orientem lustrasset, linguasque orientales probe didicisset, rediit in Scotiam, et Albini Brechinensis episcopi suffraganeus fuit, seu chorepiscopus, cujus precibus Carmelitae monasterium Brechini acceperunt. Scripsit

Alcorani Versionem lib. I.

Contra Alcoranum lib. I.

Rediit in patriam anno MCCLXII. quando obierit, non reperi.

ROBERTUS ELGINIUS. 468.

ROBERTUS, a patria urbe Elginius dictus (nescio an haec Elgonae Ptolomaei) sacerdos ac doctor Sorbonicus, sub Clemente V. referendarius, Viennensi concilio interfuit. Scripsit

De Corporibus planis lib. I.
Disputationes de Coelo lib. I.

Claruit anno MCCCX. obiit Ambianis ecclesiastes. Quaedam illius prodierunt.

S. EDILWALDUS. 469.

"S. EDILWALDUS, religiosus presbyter, minister viri Dei Cuthberti," ut refert in Vita illius Beda cap. XXX. apud Surium tom. II. postea vero abbas Mailrosensis. Erat hoc monasterium in agro Scotorum, ut saepe hoc opere admonui, seminarium SS. virorum feracissimum, sed illi, malo Scotiae fato, pro Anglis ab imperitis, malignis, aut exteris scriptoribus habiti, cum tamen coenobium illud etiam hodie nomen retineat in Scotia, et eo seculo Scoti omnes vicinias erudiebant, ut saepe hoc opere probatum, nec Anglos ulla ratione in Scotiam migrasse. Postmodum Lindisfarnae archiepiscopus, sedebat Edilwaldus noster dum Beda scribebat, et scripsit

De Actis S. Cuthberti lib. I.
De Successione Abbatum in Mailros lib. I. Meminit Beda.

Floruit anno DCCLXII. aut Westmonasteriensi si credas DCCXXXVIII. Trithem. lib. IV. Vir. ill. cap. CLXXIX.

EUSTATHIUS. 470.

EUSTATHIUS abbas Aberbrothensis, paucis clericis asseclis, comitante Udardo episcopo Brechinensi, "totam Scotiam pedes lustravit, verbum Domini seminans," ait H. Boethius lib. XIII. Histor. Scot. pag. CCLXXIX. Scripsit

Vitam Davidis Regis lib. I.
Vitam Wilhelmi Regis lib. I.
Homiliarum insigne opus lib. I.
In Evangelium Lucae lib. I.

Floruit anno MCCXVI.

S. EUSEBIUS. 471.

S. EUSEBIUS monachus ea tempestate in Scotia sanctitate et doctrina pollebat, qua S. Andreae apostoli brachium cum aliis

ejusdem corporis sanctissimis reliquiis S. Regulus in Scotiam detulit. Vide alibi hoc opere. Scripsit

Translationem S. Andreae lib. I.
In sacras Scripturas aliquid lib. I. Sed N. L.

Florebat anno CCCLXIX. Meminit H. Boethius lib. VI. Histor. Scot. pag. CV. et alii.

S. EDMUNDUS. 472.

S. EDMUNDUS, Malcolmi III. regis filius ex S. Margareta, patre insidiis Angli in expugnatione Anvici perempto, matre etiam vi doloris exstincta, " mundum hunc omnino deserens rerum se divinarum contemplationi in solitudine coenobii penitus addixit," ait Joan. Leslaeus lib. V. pag. CCXIV. et repetit Arnoldus Uvion lib. III. cap. XXVI. Fuerat hic prior S. Osualdi, praefectus Kirkhanni, et episcopus S. Andreae electus; quae omnia prae sanctissimae vitae proposito generose contempsit. Injurius est Malmesburiensis, qui, dum sanctam eam sobolem sigillatim recenset, hunc omittit lib. II. de Gestis Regum Anglorum pag. LII.

Vixit anno MLXXXI.

S. EUCHARIUS. 473.

S. EUCHARIUS, regis Scotiae Crathlinthi filius aut, ut alii volunt, nepos, sed id falsum ex Cratepolio pag. LI. S. Elifii frater, in ejusdem comitatu aetate tenella patria egressus, in Germaniam venit, et Tulli cum fratre eodem et XXXIII. comitibus in carcerem conjectus, divina autem benignitate liberatus, multos ad Deum convertit, et jure Lotharingiae et Germaniae Apostolus dici possit; nam ibi, Juliano parabata jubente, cum fratre, et toto suorum sodalitio, pro Christo cervices dedit; corpus vero ejus Coloniam translatum, in ecclesia Divi Martini Majoris jacet. Scripta hujus historia, ut et sociorum, per S. Brunonem archiepiscopum Coloniensem, et S. Robertum seu Rupertum abbatem Tuitiensem, ut omittam tabulas laudatae ecclesiae; et Rupertus quidem vitam Albano Scoto S. Martini monasterii Coloniae Scotorum dedicavit, ut Surius producit tom. V. XVI. Octob. ubi haec: " Eu-

charius episcopalis gratiae functus honore, palmam martyrii adeptus, corpus ad Liberdum jacet :" at legendum puto *ad Liverdum ;* est enim in Lotharingia. Passus est anno CCCLXI. regnante Augusiano. Colitur die XV. Januar. XXVI. Octob. menda est in Menologio meo die XXV. Aug. tu sic lege: " In Germaniis Eucharii martyris et apostoli, qui ad evangelii opus cum S. Elifio fratre et XXXIII. comitibus se accinxit." Hic dies initium peregrinitatis notatur in Calendario Jacobi Cheynaei.

S. EDILTRUDIS. 474.

S. EDILTRUDIS, Northumbriae regina, amore coelestium praemiorum succensa, quod in regno suo praestare non potuit, in Scotia praestitit; nam postquam duos maritos castitatis laude inflammasset, et ipsa perpetuam virginitatem vovisset, in Coldingham Merchiae monasterio velum sumpsit, et ex moniali virgine abbatissa electa, vitam sanctitate et signis inclytam duxit; sed post aliquot annos in Angliam rediit, ubi beato fine deposita. Trith. lib. III. Vir. illust. cap. CXXII. Martyrologium Romanum, alii. Fr. Maurolycus perperam vocat Geltrudem, sed majus mendum in Petro lib. V. Catal. cap. CXLII. " In coenobio virginum urbis Concludi, sub obedientia Elbae abbatissae, amicae regis, a S. Elprido velamen accepit." Corrige, " In coenobio virginum urbis Coludi, sub obedientia Ebbae, amitae regis, a S. Wilfrido velamen accepit ;" nam de SS. Ebba et Wilfrido hoc libro, et XIX. Urbem Coludi, et urbem Coldanam vocat Beda, quam nostrate lingua patrimonium comitum Bothweliae Coldingham appellant: neque non errat Arnoldus Uvion qui lib. III. Lig. Vitae pag. CCII. putat hanc eandem esse cum regia virgine Ethelreda, cum et tempore et cultus die distinguantur, ut infra hic patebit. Scripsit

Ad Maritum Regem lib. I.

Floruit anno DCLXXXIII. Colitur XVIII. XXIII. Junii.

S. EAILLANUS. 475.

" S. EAILLANUS, seu Faillanus, Scotus eruditus, apud Sanctum Gallum hac vita decessit," inquit Hermannus Contractus in Chro-

nico; ex quo apparet monasterium S. Galli Scoti, ut a nostratibus fundatum, ita semper nostrates magna dignatione habuisse, quales sunt viri sanctissimi, hospes S. Marcus episcopus, S. Marcellus scholarcha, S. Rapertus nobilis doctor, in hoc opere: et hic quidem Eaillanus monachorum doctor videtur; sic enim aetas illa loquebatur, ut in Muricherodato apparet. Scripsit

Hymnos sacros	lib. I.
Lecturas varias ad Fratres	lib. I.
Vitas Sanctorum	lib. I.

Obiit anno DCCCCXCI. Contract.

S. EUGENIUS. 476.

S. EUGENIUS Scotus, socius S. Mansueti Scoti, et cum eodem Romae S. Petri apostolorum principis discipulus, sacerdos creatus, in Galliam cum sancta illa cohorte ablegatus; sed cum ille Tulli evangelium disseminaret, nec plures ei operi necessarii viderentur, Eugenius sitiens salutis animarum in Hispanias profectus, primus in Hispanias verum Dei cultum apostolica sanctimonia intulit, primusque Toleti episcopus sanguine suo veritatem signavit. Nos primi patriam eruimus, quare Scotiae Hispania fuerit obstricta, Scotia mihi; nam Vita S. Mansueti Tullensium apostoli diserte Eugenium quendam ab eo in Hispanias profectum narrat, orta inter illos de rebus sacris levi controversia, quod de SS. Paulo et Barnaba nonnemo retulit: hic vero alius ab isto esse non potest. Multum se Mariana torquet super ejus patria libro XI. Hist. Hisp. cap. XIX. qui falso eum a S. Dionysio conversum, ex traditione existimavit, cum adhuc ille Gallias non attigerat, ut Baronius illustrissimus ostendit, et fusius maximus Savaron probat eum non nisi ad centesimum annum in Gallias appulisse: illud vero mirabile duco, quod S. Eugenii nec Gregorius Turonensis, nec Sigebertus Gemblacensis, nec Sulpitius Severus, nec ullus omnino veterum hagiologorum Gallorum meminerit; quem facile non praeteriissent, si tantus vir in Galliis conversus fuisset, aut Parisiis passus. Scripsit

Carmina varia lib. I. quae laudat Michael Ruizius Assagrius Celtiber ad Corippum lib. I. num. II.

Passus est anno XCVI. Colitur die XIII. XV. Novembr. ac nescio cur Hispani maluerint receptam fidem Gallis potius quam Romae debere, cum S. Dionysius, ut ipse haud obscure innuit epist. X. in Gallias a S. Clemente pontifice destinatus biennio toto post martyrium Eugenii, id est, anno XCVIII. ut late Baronius princeps tom. I. Annal. evicit: itaque inter conversionem et martyrium erunt XXXIV. anni, quibus Toletanae ecclesiae praefuerit. Quicunque aliter scribunt, censura egent; et ut verum sit eum circa Parisios passum, tamen omnis alia occasio quaerenda est, quam colloquium cum S. Dionysio, qui nondum in Gallias venerat.

S. ETHBINUS. 477.

S. ETHBINUS, monachus Benedictinus, ut vult Uvion, aut canonicus regularis, ut placet Ghinio; utcunque sit, " Nectensis in Hibernia abbas, et in Britannia natus," dicitur Petro lib. IX. Catal. cap. XXCIV. ante eum idem affirmarat Vincentius Speculi lib. XXI. cap. CXIV. CXV. Trithem. lib. III. Vir. ill. cap. XLIV. Ex eo vero eum Gallum facere, quod in Gallia sit provincia Britannia, delirare est; nam nec tunc nec multis postea seculis ea regio Britanniae nomen habuit, sed Aremoricae; ut omittam, nunquam Aremoricam simpliciter Britanniam vocari, sed cum distinctione, Minorem, ut notum. Nec hic Anglus dici potest, quia tunc Anglia nondum fidem a S. Augustino apostolo suo acceperat, sed quatuor tantum annis ante obitum Ethbini, ut ex S. Gregorio I. papa et aliis docui lib. I. Apparat. cap. VIII. De hoc apostolico viro Hirlandi Scotiae grati gratias referant, qui et ipsos exemplo suo ad verum Dei cultum erexit, et leprosum paralyticumque sanitati restituit. Scripsit

Acta Sansonis Magistri	lib. I.
Meditationes ac Preces	lib. I.

Obiit ac depositus est anno DCX. Colitur XIX. Septemb. Martyrol. Carthusian. vel XIX. Octob. Uvion, et alii.

S. EUSEBIUS. 478.

S. EUSEBIUS, cognomento *Inclusus,* discipulus S. Galli Scoti, et, ut creditur a viris doctissimis Henrico Canisio et Judoco Metz-

. lero, frater S. Joannis, qui Constantiae episcopus, ut infra hoc opere, ex Jona abbate, videbis; maxima vero continentiae opinio secum miracula traxit, ut acta ecclesiae Constantiensis testantur.

Floruit anno DCLXX. Dies incertus.

S. EVERARDUS. 479.

S. EVERARDUS confessor, et abbas Cistertiensis Scotus, S. Waltheni confessarius, et in canonicatu Kirkhan socius, primusque abbas monasterii illius celebris in Cumbria a Sancto Davide, Scotiae rege, aut ejus fratre Simone comite fundati, quod de Ulmo dici solet, vulgo Holmecultrame: nam cum in Mailrosiensi claustro una cum sanctissimo sene Waltheno habitum induisset, eo ad curam ejusdem loci subsistente, hic in novum monasterium de Ulmo missus, regimen exorsus, cum Henricus filius S. Davidis coenobium a patre erectum fundis dotasset, ut loquitur Scotichronicon lib. VI. cap. XXXII. Scripsit superstes Waltheno, ex Indice Maiae,

Vitam Sancti Adamnani	lib. I.
Vitam Sancti Cumenei Albi	lib. I.
Vitam Sancti Waltheni	lib. I. et alia.

Claruit anno MCXLV.

GULIELMUS ELPHINSTONUS. 480.

GULIELMUS Elphinstonus, nobilissimi baronis frater, postquam serio pietati et honestae literaturae in patria incubuisset, Romam, angelo bono ducente, contendit; ubi cum optimae indolis argumenta exhibuisset, ardenti zelo in Societatem Jesu admitti peroptavit, et superiores, quia eum a Deo duci percipiebant, lubentes eum ad novitiatum Neapolim destinarunt, nec plus quam tres menses in sancto habitu vixerat, cum febre ardenti correptus, mundum deseruit. Pium ejus obitum, Christianam diutini morbi tolerantiam, colloquia cum angelo custode, et futurum animae statum ab eo cognitum, et astantibus patribus revelatum, frustra sim si describere tentem, quando id Hieronymus Platus, ejusdem ordinis religiosus, disertissime lib. I. de Statu cap. XXXI. id exsecutus fuerit: meminit itidem symmistes Antonius Dauroultius cap. II.

Flor. Exemplor. tit. XLI. § IX. Ejus merita in majus extollit R. P. Georgius Elphinstonus, ejusdem societatis doctissimus theologus, qui diu magno applausu in Germania professus, nunc Scotorum Romae Collegii est sapientissimus moderator.

Obiit anno MDXCVII.

EREMITA. 481.

EREMITA quidam Scotus imaginem Deiparae Virginis Lauretanae humeris suis in Scotiam, divina revelatione admonitus, deportavit, et Mussilburgi, quarto a regia Edimburgo lapide, villa Sancti Germani deposuit, ad quam toto regno, atque etiam ex Anglia, creberrimus piorum hominum concursus, et solennis peregrinatio. Jo. Leslaeus lib. IX. Hist. Scot. pag. CCCCXLII. Scripsit

Revelationes suas lib. I.

Delata est ab eo imago an. MDXXXI. Existimo hunc et monachum, et ordinis Eremitanae D. Hieronymi, quod ille ordo Sancti Germani coenobium haberet, viris doctis et sanctis celebre.

S. EMERITA. 482.

S. EMERITA, virgo regina, regis primi Christiani S. Lucii soror, quae una cum rege fratre auctoritate apostolica converti meruit, ut lib. XI. in S. Lucio apertum. Haec porro illum in Helvetios secuta, regio fastigio voluntariam praetulit paupertatem; et cum pie ibi vixisset, religioso fine eremitis decessit, oppido Trimontio sepulta, ut cum ipsa veritate testantur auctores lib. XI. in Lucio infra laudandi.

Deposita est anno CLXXVIII. Colitur XXVI. Maii. Molanus. A legato pontificio salutari unda perfusa III. Decemb. Constantinus Felix Ephemeridibus.

ROBERTUS ELLIS. 483.

ROBERTUS Ellis, vicarius episcopatus Cathenensis, vir eo seculo rarae doctrinae, incomparabilis aestimationis, ex Albione

ad loca sancta et limina apostolorum profectus, Tolosae substitit; quae urbs, cum Occitaniae sit caput, et Wisigothorum regia, hac laude potissimum inclarescit, ut cum reliqua Gallia, calamitoso turbine acta, nec sponte sua, haereticos orthodoxis admixtos habeat, ac saltem regiis edictis coacta sustineat, Palladia haec urbs, Brenni sedes, alter Galliarum oculus, et senatus alter, nunquam heterodoxos habitare, piis coetibus misceri voluit. In hac scientiarum alumna et altrice noster hic residebat, creatus archidiaconus S. Petri: cum haeretici Arriani, sive *boni homines*, ut se impii vocabant, Girardo Albiensi episcopo sisterentur, in assessorum numerum eximio merito Ellis est receptus. Itaque causa disceptata, mali illi homines ab ecclesia sunt proscripti, cum duce suo perfido Oliverio; et nescio [quo pacto] noster hic in eo consilio Agathensis archidiaconus subscribat, nisi forte, quia tum demum Agathae sedem elegerit. Scripsit editum

Contra Oliverium Arrianum	lib. I.
Pro Auctoritate utriusque Testamenti	lib. I.
Ad Gilbertum Lugdunensem Episcopum	lib. I. quae omnia in processu exstant.

Claruit anno MCLXVI.

B. EDMERUS. 484.

B. EDMERUS, ex D. Augustini Cantuariensi coenobio extractus, episcopus S. Andreae consecratus, ante annum absolutum ad monasterium rediit, abdicato pontificatu. Roger. de Hoveden part. I. Annal. pag. CCLXXIII. Scripsit

Historiam novorum in Anglia	lib. I. Holinshed.
Vitam S. Anselmi	lib. I.
Depositi Episcopatus Rationes	lib. I.
Homilias sacras	lib. I.
Epistolas ad Cantuarienses	lib. I.
Ad suam Ecclesiam	lib. I.

Claruit sub Alexandro I. et Davide I. Scotiae regibus, anno MCXXI. Aliis Eadmerus vocatur.

S. ERLULPHUS. 485.

S. ERLULPHUS, natione Scotus, eorum civium suorum, qui totum studium sincere in convertendis gentilibus locassent, exemplum secutus, e patria progressus, Christum trans Glacialem Oceanum habitantibus detulit, ac maxime in Islandia pietatem sevit; est autem haec Thule. Ejus labores inexhaustos, sedulitatem, ac pietatem commendat Arngrim Jonas, facundissimus illius gentis historicus; quem videre mihi non contigit, licet haec ab amico transmissa habeam.

Claruit anno DCCCXC. cum socio suo S. Buone; dies vero est incertus.

ERNULPHUS. 486.

ERNULPHUS, abbas Mailrosiensis, ad quem exstant epistolae Clementis III. pontificis super causa Joannis S. Andreae antistitis apud Rogerum de Hoveden Annal. part. II. pag. CCCLXIX. scripsit

Epistolas ad Clementem Papam lib. I.

Floruit anno MCLXXXVIII.

ERNALDUS. 487.

ERNALDUS, abbas Mailrosiensis, eodem anno quo superior, ab eodem pontifice super causa Joannis Sanctandreani episcopi admonetur; ut suspicer unum eundemque esse, et librarium in peregrino nomine, ut saepe alias, errasse. Scripsit

Epistolas ad Clementem Papam lib. I.

Claruit anno MCLXXXVIII.

RAPHAEL ECLINUS. 488.

RAPHAEL Eclinus ubi locorum vixerit, an in patria, an alibi, non deprehendi. Scripsisse eum reperio Tiguri,

De Syllabarum Quantitate lib. I. Bibliotheca Classi-

ca pag. MCLXXXII.
Scribebat anno MDLXXXV.

B. EGREDUS. 489.

OMNES primi Lindisfarnenses episcopi Scoti fuerunt, ut saepe hoc libro ostensum. In his noster Egredus. Florent. Wigornien. "Defuncto Egredo Lindisfarnensi episcopo Egbertus successit." Haec ille solus, ut opinor; nam in catalogo Lindisfarnensium antistitum, qui postea Dunelmi sederunt, Egredi nulla mentio. Sunt autem ii S. Aidanus, S. Finnanus, S. Colmannus, S. Tuda, S. Eata, Frithebertus, Alhmundus, Tilherus, Aethelbertus, Heandredus, Eaubertus, Tridferthus, S. Cuthbertus, Eadbertus, S. Egbertus. Omnes hi, et plerique sequentes ex Scotia in Angliam transeuntes, evangelii semen fideliter sparserunt; et ex his nonnulli sedes suas in Scotia episcopales liquerunt, ut nascentes tum primum fidei in Anglia igniculos studiose foverent, ut Aethelbertus apud suos Candidae Casae in Brigantibus, seu Gallovidia, episcopus. Sedem autem hanc transtulit rex Gutredus anno DCCCLXXXIV. ut auctor Roger. Hoveden Annal. Anglican. An Egredus aliquid scripserit, non reperi.

Floruit anno DCCCXLII.

ELVANUS AVALLONIUS. 490.

DE Elvano, cognomento Avallonio, aliud nihil reperi, nisi primum fuisse, qui ad res Scoticas illustrandas accesserit: hujus fidem Veremundus et alii vetustissimi annalium Scoticorum auctores impensius extulerunt. Scripsit veteri lingua Scotica, hoc est, Hibernica, nam qua hodie utimur, soboles est Saxonicae aut Germanicae,

Historiam Scotiae lib. I.
Descriptionem Scotiae lib. I.

Floruit anno salut. CLXXII. nescio an ab Avallonia Britanniae Romanae insula; hunc enim locum a peregrinis eremitis cultum prodit Camdenus: id si verum, multa Scotis Anglia debet.

S. EOGLODIUS. 491.

S. EOGLODIUS, S. Columbae discipulus, unus ex iis fuisse memoratur, qui Scandalao, Totaneo, Notofero, et Gallano sociis, Columba in Hiberniam transmittente, ut ait H. Boethius lib. IX. Hist. Scot. pag. CLXVII. " sedem statuerunt in Iona insula, Scotorum Pictorumque regiones piis lustrando sudoribus, docendo, disserendo, scribendo, utrumque populum optimis moribus et religione imbuerunt." Consentit Jo. Leslaeus lib. IV. pag. CLII. Ab eo scripta plurima; paucorum ad me apices pervenerunt.

Columbae Magistri Vita	lib. I. apud Fordunum.
Epistolae ad Hibernos	lib. I.

Floruit anno DCVI.

ETHODIUS. 492.

ETHODIUS I. rex, Galdi abnepos, Mogalli ex sorore nepos, XXV. a Fergusio, statim initio regni rupto vallo Angliam ingressus, dubio Marte cum Romanis, qui praesidiario jure eam provinciam obtinebant, dimicavit; biennio vero post eosdem Scotiam ingressos, acie superatos intra vallum repulit. Princeps omni vita clarus, ab Hebridiano tibicine noctu jugulatus interiit. Ejus sunt:

Venationum Statuta, Dornadillae addenda,	lib. I.
Epistolae ad Regem Pictorum	lib. I.

Excessit anno regni sui XXX. annales nostrates, vel anno XXXIV. Balaeus et alii, salut. humanae CXCVI. Pontifices erant Anicetus, Soter, Eleutherius; imperatores, M. Aurelius Antoninus Philosophus, Commodus, Aelius Pertinax.

S. ERENEUS. 493.

S. ERENEUS, D. Columbae aequalis, celebratur a D. Adamanno in Vita D. Columbae lib. I. cap. III. his verbis: " Hic erat Ereneus per omnes postea Scotiae ecclesias famosus, et valde notissimus, qui haec omnia verba Segenio abbati de se prophetata enarraverat, meo deces-

sore Failbeo intentius audiente, qui et ipse cum Segenio praesens inerat, cujus relatione et ego ipse cognovi haec eadem quae narravi." Nec plura apud alium de eo. Scripsit

Acta S. Columbae lib. I.

Floruit anno salut. DLXVII. Colitur die XV. Februar. Reliquiae colebantur in Sutherlandia. Scotichr. lib. III. cap. XIV.

ERVEUS. 494.

ERVEUS, monasticam vitam professus, Carmelitano se instituto addixit, quod ea aetate mirifice apud Scotos florebat: patriam adulta aetate relinquens, Lutetiae theologica studia amplexus, clarissimum sibi patriaeque nomen peperit; quem satis mirari non possum in Carmelitana Bibliotheca omissum, cum in actis Parisiensis academiae, et in Indiculo sit Scriptorum Scotorum, qui licet mancus sit, tamen a diligenti est congestus, et sola nudaque nomina complectitur. Ejus exstat

De Conciliis Oecumenicis lib. I. Prodiit Lutetiae.

Vixit anno MCCC.

EGINARTUS.

EGINARTUS, sive Einardus, non Franco-orientalis fuit, ut Germani contendunt, sed Scotus, ut infra in voce *Kineardus* probabitur; quo loco abunde de illo vide.

JOANNES ELDMAIR. 495.

JOANNES Eldmair magno nomine apud suos et Gallos claruit. Hect. Boethius lib. XVIII. Histor. Scotic. in fine: "Ex nostris sacra disciplina admodum eruditi, &c. Joannes Eldmair, a Jacobo Kennetho, Sancti Andreae episcopo, a Parisiensi academia accitus, ut in Collegio Servatoris, quod ingenti sumptu magnificentissime condiderat, egregieque ad studiosorum usum dotaverat, divinas atque humanas literas profiteretur." Ejus sunt:

In Libros Sententiarum lib. IV. Joannes Major.

Theologia Platonica lib. I.
Philosophia antiqua lib. I. et alia permulta.
Floruit anno MDI. aut praeter propter.

B. EVANX MARBODUS. 496.

"B. EVANX Marbodus, humanioribus," ait Balaeus, "literis instructissimus." Uvion in adjunctis ad Lignum Vitae pag. DCCCLXXXI. falso Anglum facit, cum omnes etiam Angli ipsi consentiant Scotum esse; prae aliis Renatus Benedictus lib. de Vitis SS. Gallorum, quod opus Latinum fecit Paschalis Robinus. Adde Epitaphium Marbodi ab Ogiero episcopo Andegavensi. Praeclarum de eo est apud Sylvestrem Gyraldum lib. V. Speculi Ecclesiae cap. XVI. testimonium: "Bonarum literarum magister eruditus, colores rhetoricos, et tam verborum quam sententiarum exornationes, versibus egregiis declaravit." Eadem pene Lilius Gyraldus Ferrariensis opere de Poetis Latinis. Laudant eum Vincentius Bellovacensis et Albertus Crantzius, sed libri non sunt ad manum. Virtutis merito episcopalem honorem apud Aremoricos, Redonensis antistes creatus, non minus pie quam splendide gessit, ut historia Britannica Aremorica testatur. Sixto Senensi lib. IV. Bibliothecae *Marbadus* audit, et *Redenensis* antistes, ut et Trithemius lib. de Scriptorib. Ecclesiastic. pag. CCLXVI. et hunc annales nostrates indictum illaudatumque male omiserunt. Ejus sunt:

In Passionem Thebaeorum lib. I. versu.
In Cantica Canticorum lib. I. triplici sensu.
De Lapidibus et Gemmis lib. I. quod opus alii inter Graecos tentarunt, Dionysius Corinthius apud Suidam, et Philostratus primus Lithognomicum edidit, id est, de gemmis, apud eundem.
Carmina sententiosa lib. I.
De Vita S. Magnobodi Episcopi Andegavensis.
De Vita S. Laurentii lib. I. versu. Secutus est in his Eucherium Lugdunensem, inquit Sigebertus in Chronico.

Florebat anno MLIV. sub Henrico III. imperatore, vel ML. Trithem. vel MCXXIII. vel MCL. Uvion. In eum patrum memoria com-

mentarios edidit Pictorius Villingensis, qui prodierunt Lutetiae sub annum MDXXXI. sed falso Gallum facit.

EVENUS III. 497.

EVENUS III. rex, Ederi F. Gilli N. decimussextus a conditore Fergusio, princeps belluae quam homini similior. Flagitiosis in scelerum societatem palam ascitis, de nobilitate tollenda non semel cogitavit; tandem in carcerem conjectus, a suis est necatus. Scripsit

Leges spurcissimas lib. I. quarum capita haec:

I. Ut tot uxores vir duceret quot commode alere posset.

II. Ut nobiles villicorum clientumque filiarum virginitatis primitias prima nuptiarum nocte delibarent.

Quas impias leges magno consensu nobilitas est amplexata, ut est aulicorum ingenium in vitia proclive. Hect. Boethius lib. III. Hist. Scot. pag. XXXV. Postea tamen nonnihil moderaminis allatum, et veluti sensim foeditas sublata. Idem lib. IV. pag. LVIII. Denique tam abominandus ritus penitus antiquatus et abrogatus a S. Malcolmo rege, rogatu S. Margaretae reginae; ut tamen marcam argenti sponsus ad redimendam suae nuptae pudicitiam offerre teneretur; quod etiamnum hodie sollicite a proceribus observatum.

Exstinctus est anno VII. regni sui, anno vero ante salutiferum partum XV. Plura in rebus Scoticis.

GULIELMUS ELPHINSTONUS. 498.

GULIELMUS Elphinstonus, nobilissima familia oriundus, "quo meliorem," ait H. Boethius lib. IX. Histor. Scot. pag. CCXLV. "aetas nostra non vidit. Audacter asseverare audeo," pergit ibidem loci Boethius, "eum, et publicum et privatum magnis summa laude versatum in rebus, publicae semper consuluisse saluti; ad id summa annisum ope, ut aequum, leges, justaque principis authoritas dominarentur persancte; imperaretur cunctis benevolentia magis quam metu, veroque animi affectu populus veneraretur regem, plebs nobilitati absque querela, omnique levata injuria audiens esset, et morigera; rex flagi-

tiosis terrori esset, optimis quibusque reverentiae; virtuti studerent omnes, concordiaque simul coalescerent; sacerdotes, solutioribus moribus cohibiti, Christo divisque rite ac opportune sacra peragerent; neglecta templa aut non rite culta in pristinum restituerentur decus; ut denique quaecunque in Scotorum regno urbane religioseve fierent, ad reipublicae decus, et ad Christi laudem forent accommodata. In his perpetuus viro labor dum superstes esset, in his omnem exegit vitam." Vir hic tam praeclarus ad Aberdonensis ecclesiae regimen assumptus, in cujus gratiam de omnibus ipsius decessoribus H. Boethius eruditum volumen edidit sub titulo " De Pontificibus Aberdonensibus." Eum Balaeus, alioquin genti nostrae juratus hostis, doctissimum vocat, nec immerito; nam postea totius regni cancellarius factus, academiam Aberdonensem sumptu proprio fundavit, undique literatis accitis professoribus, pontibus etiam lapideis pulcherrimi operis Donam Deamque amnes, quibus urbs cingitur, instravit, ipsum episcopium et canonicorum collegium amplioribus structuris mirifice decoravit. Praeter nostrates Jacobus Medendorpius J. C. lib. II. in fine de Academiis; quod opus futile est, et figmentis Annianis refertum. Scripsit Elphinstonus

Scotorum Chronicon lib. I.
Conciliorum Statuta lib. I. et alia infinita, quae, proh dolor! haereticorum furor nuper cum aliis regni monumentis scelestissime abolevit.

Obiit regnante Jacobo [V.] anno [MDXIV.] Successor ei datus Gavinus Dumbar, egregius, et tanto decessore dignissimus praesul.

THOMAS EVATUS. 499.

THOMAS Evatus Sanctandreanus diu Lutetiae substitit, optimarum artium doctor, et academicos honores persaepe sortitus, magnam sui ingenii famam reliquit. Ejus sunt multa edita, sed ego vidi tantum

Praefationes solennes lib. I.
Poemata vario versuum genere lib. I.

Parisios venit, docendique provinciam subiit anno MDLI. Elegans est de eo testimonium Jacobi Paschasii Lotharingi in Delitiis Poe-

tarum Gallorum tom. II. quod apponam.

Qui Latio Musas sedem fixisse perennem,
Et sola vates dixit in Ausonia,
Haud tua Castalios referentia carmina coetus
Legerat, et celebri quae canis usque lyra:
Quanta Caledoniis tibi laus et nomen in oris
Surgeret, Evati, nescius ille fuit.
Abduxti Latio Musas, vatesque Latinos
Exculti superas viribus ingenii.

JACOBUS ECLINUS. 500.

JACOBUS Eclinus, nobili sanguine in Fifa ortus, philosophiam Burdegalae multis annis magna eruditionis gloria professus, visus est plerisque nulli in ea scientia cedere. Scripsit

In Logicam universam	lib. I.
In Ethicam	lib. X.
In Physicam	lib. VIII. quae jam audio lucem accipere, quod B. R. P. L. F.

Excessit Burdegalae, ex febre maligna, anno MDCIV. magno omnibus sui desiderio relicto.

DAVID ECLINUS. 501.

DAVID Eclinus, Jacobi frater, professionis etiam consors, suavissimis moribus ac incredibili studiorum varietate Burdegalae, ut frater, philosophiam serio professus, in lyceo Monspessulano multorum candidatorum disputatione publica victor, Lutetiae humaniores ac mansuetiores literas docendas elegit; tum in Lugdunensi Roanae ad Ligerim medicinam clinicen exercuit, semper ingenti ab ingenio fama parta, ut nescias felicius an doctius liberales artes attigerit. Ejus sunt quamplurima, sed ad me hi tantum apices pervenerunt:

Orationes disertissimae	lib. I.
Poma Autumnalia	lib. I.
Ova Paschalia	lib. I.

In omnem Aristotelis Philosophiam	lib. I.
Logicae Synopsis	lib. I.
Castigationes in Galenum	lib. I.
De Morbis incurabilibus	lib. I.
Curationum suarum	lib. I.

Vivit adhuc Mantae ad Sequanam, et genti gloriam, sibi a medicina, quam stipendio ex fisco honorato exercet, ac familiae emolumentum parit, omnibus carus, sed literatis praecipue longe acceptissimus.

GEORGIUS EGLISSEMMIUS. 502.

GEORGIUS Eglissemmius Hamiltoniensis bonas artes et didicit Lovanii in Belgio operose, et docuit in Galliis gloriose, philosophiam Rothomagi primum, mox et Lutetiae summo auditorum applausu professus. Apud Cimbros et Batavos medicinam fecit, ut audio, felicissime, nec Galeni osor, nec chimiae nimium addictus. Demum a rege Magnae Britanniae inter domesticos medicos allectus, aliquod studiorum suorum praemium videtur consecutus, Graece Latineque doctissimus, versu bonus et prosa, omnibus cultioribus artibus, sed maxime spagiricis instructus. Varia publicavit; ego tantum vidi

Poemata varia	lib. I.
Epigrammata varia	lib. I.
Contra Vorstium haereticum	lib. I.
Declamationes Philosophicas	lib. I.
Duellum Poeticum cum Georgio Buchanano in versione Psalmi CIV. quo opere vellem abstinuisset, non quod ingenium contemnam, sed quia felicius aliud argumentum, et minus invidiosum eligere potuisset.	
Contra Thomam Reidum	lib. I.
Praeparationes Medicamentorum	lib. I.

Vivit adhuc Londini, quam longe potest ab aulico tumultu Musis vacans, quas serio sane et bona fide colit.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

LIBER VI.

S. FAILBEUS. 503.

S. FAILBEUS, abbas in Trioit, mirabili prophetiae spiritu claruit, et multa eventura vaticinatus, Scotus memoratur a S. Adamanno Scoto lib. I. de Vita S. Columbae cap. III. suum decessorem vocat, et ex eo mutuatum pleraque eorum fatetur quae de sancto illo tribus libris scripserat. Scripsit

De futuro Scotiae Statu	lib. I.
Acta S. Columbae	lib. I.

Claruit anno DCXL. nec plura de eo. Colitur XXV. Januarii, depositus III. Junii, VI. Octob.

S. FAUSTUS. 504.

S. FAUSTUS, qui Latinis dicebatur *Faustinus*, Baron. tom. VI. Annalium, *Congellus* apud nostrates est. Notkerus Balbulus in Martyrolog. " Columba cum plurimos discipulos, vel socios sanctitatis suae suppares habuisset, unum tamen Congellum, scilicet Fausti nomine illustrem, praeceptorem beatissimi Columbani, magistri, patris, et domini nostri Galli, virtutum ac meritorum quasi unicum, exemplo Isaac, reliquit haeredem." Hunc MS. codex monasterii S. Galli in Helvetiis *Faustum* perperam vocavit. Idem hic S. Columbae socius, S. Columbani magister, Regiensis in Galliis fuit episcopus, et Lirinensis abbas in Insula Eremitica, concionator facundus. Ad eum scribit Sidon. Apollinaris lib. IX. epist. III. Gennad. de Vir. illustrib. cap. LXXXIV. Male *Reiensem* episcopum pro *Regiensi* habet epigraphe carminis XVI. apud Sidonium. Multis Christophorus Browerus ad Venantium Fortunatum lib. V. pag. CXXXII. Anonymus auctor in Vita S. Fulgentii: " Fuit tum temporis

episcopus quidam laudabiliter praedicandus nomine Faustus, qui pro fide Catholica longe a cathedra sua jussus fuerat relegari." Et postea idem, paucis interjectis: "Supplicanti consensum praebuit S. Faustus." Episcopus Germanus Lerinensis in epistola ad Arnoldum Belgam, et tabulae Lerinensis monasterii. Celebre nomen hujus erat ob sanctitatem per Gallias; qua causa, et basilica ei erecta, et Martyrologio ascriptus ipse: a Joanne Molano in Additionibus expunctus injuriose fuerat, quod et Caesar Baronius tom. VI. Annal. confirmaverat, in appendice tamen ad tom. X. sententiam illam retractat, eumque inter sanctos collocandum putat et censet. Ejus sunt:

Admonitio, tom. V. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii, lib. I.
Epistolae ad Ruricium lib. I. Ibidem loci.
Alia in Bibliotheca SS. Patrum tom. III. et tom. IV.
Sermo ad Monachos lib. I.
Exhortatio ad bonam Vitam lib. I.
Professio Fidei ad Leontium lib. I.
Homilia de Maximo lib. I.
De libero Arbitrio lib. II.

Floruit anno [DXC.] incertum quando sanctorum numero ascriptus; esse tamen in sanctorum album relatum, praeter ea quae supra, docet membrana vetustissima S. Galli, in qua Admonitio S. Fausti, et colitur XVII. Januarii. Vide Henrici Canisii varias lectiones in Epistolas S. Fausti in laudato tomo V.

S. FARO. 505.

S. FARO, Meldensium in Gallia episcopus, etsi non Scotus ortu habeatur, sed Burgundus, tamen, quia Laurentius Surius tom. V. pag. CCCXLIV. S. Chillenum Scotum a plerisque S. Faronis fratrem censeri prodidit, ego admonere volui, ut, si fratres illi sint, vel Faro sit Scotus, vel Chillenus Burgundus: viderint alii. Ejus sunt

Epistolae ad Theodebertum Regem lib. I.

Episcopus consecratus est anno DCXX. Sigebert. Chron. eo anno. Pe-

trus in Catalogo lib. IX. cap. CXVII. Trith. de illust. Vir. Ordin. S. Benedicti cap. LXXIV. et lib. IV. cap. CXXXIX. Vincent. Bellovacen. lib. XXIV. Specul. Histor. cap. XVII. XVIII. XIX. Obiit anno DCLXXXVI. nam sedit episcopus in magna sanctitatis opinione annis LXVI.

S. FINNANUS. 506.

S. FINNANUS, sive Sinnanus, aut etiam Sinanus, ut habet Antonius Possevinus Apparat. Sacr. pag. CCCCXLIV. ex Demochare lib. de Sacrificio Missae III. cap. XV. et cap. XXXIX. astipulante Arnoldo Uvione. Monastici fuit instituti, Nennii primum, mox Segenii abbatis discipulus; Huense coenobium, quod caput omnium habebatur, rexit, tum S. Aidano in episcopatu Lindisfarnensi successit. Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CLX. Ea certe aetate episcopi a Scotis ordinabantur, ac in Angliam ecclesias recturi mittebantur. Docet auctor Anglicus Florentius Wigorniensis: " Post occisionem regis Osvini, Aidanus antistes II. calend. Septemb. ad coelorum regna migravit, cujus animam puer bonae indolis Cuthbertus vidit in coelum ferri ab angelis, quo defuncto Finanus pro illo gradum episcopatus, a Scotis ordinatus ac missus, accepit." Eadem verbatim ante illum Beda, qui insuper addit, " In insula Lindisfarnensi fecit ecclesiam episcopali sedi congruam, quam tamen more Scotorum, non de lapide, sed de robore secto totam composuit, atque arundine texit, quam tempore sequenti reverendissimus archiepiscopus in honorem B. Petri apostoli dedicavit: sed episcopus loci illius Eadbertus, ablata arundine, plumbi laminis eam totam, hoc est, tectum et ipsos quoque parietes ejus, cooperiri curavit." Acris ei et diutina contentio cum quodam, Romano nomine, de quo infra hoc opere. Sanctissima ipsius ad Ferquhardum regem monita habes apud H. Boethium lib. IX. Histor. Scot. pag. CLXXVII. Henricus Huntindoniensis lib. III. pag. CXCI. Reliquiae ipsius et memoriae magna solennitate frequentabantur, priusquam haeretica rabies patrum memoria Christianam pietatem e regno illo eliminasset. Hujus tamen nulla in Martyrologio Romano mentio. Scripsit

Pro veteri Paschatis Ritu lib. I.

Monita salutaria ad Ferquhardum Regem lib. I.

Episcopatum est adeptus Lindisfarnensem anno DCLI. cum tamen Matthaeus Westmonasteriensis anno DCL. eum episcopum dicat, regem Northumbrorum Oswium baptizasse, et nihilominus sibi contradicens anno DCLI. haec habet: " Aidanus episcopus, ab hoc seculo sublatus, perpetua laborum suorum praemia recepit; successit ei in episcopatum Lindisfarnensem Finanus, natione Scotus, sed parvo tempore in episcopatu permansit." Obiit anno DCLXI. quid vero post depositum episcopatum gesserit, ego non deprehendi. Colitur die XVI. Februar. Breviar. Scot.

S. FINTANUS. 507.

S. FINTANUS a quibusdam presbyter, ab aliis confessor, a nonnullis episcopus, Breviario Scotico prior perhibetur. Martyrolog. Roman. die XVII. Febr. " In Scotia S. Fintani presbyteri, et confessoris." Petrus Gelasinius in Martyrologio eodem die: " In Scotia S. Fintani presbyteri, et confessoris, singulari pietate, et magna virtute clari." Franc. Maurolycus abbas item in Martyrologio eo die: " In Scotia S. Fintani episcopi, magnae virtutis viri." Eadem Usuardus, qui non ad manum, et Martyrologia MSS. non exstant.

Floruit anno DCCCXXI. vel DCCCCLXXIII. Breviar. Scotic.

S. FINTENUS. 508.

S. FINTENUS, aut Fintanus, collega peregrinationis, ac socius sanctitatis D. Columbae. S. Adamannus Scotus in Vita ejus lib. I. cap. II. " S. Fintenus, qui postea per universas Scotorum ecclesias valde noscibilis habitus est, a puerili aetate integritatem carnis et animae, Deo adjuvante, custodiens, studiis dialecticalis sophiae deditus, hoc propositum in annis juventutis conversatus in corde habuit, ut nostrum S. Columbam, Hiberniam deserens, peregrinaturus adiret;" nam Fintenus, gente Scotus, ut annales nostri habent, Columbae in Scotiam venienti se junxit. Recolitur ejus memoria XVI. Februarii. Martyrolog. Usuardi: " In Scotia S. Finani presbyteri, et confessoris, magnae virtutis viri," nisi hic alius sit, ut supra est dictum.

Scripsit hic

Epistolas ad Baithenum Abbatem lib. I.
Acta Columbae lib. I.

Claruit anno DLXXXII.

S. FINDOCHA. 508.

S. FINDOCHA virgo magna sanctitatis fama sub rege Conrano dicitur floruisse, ac nescio an non una ea ex S. Donevaldi filiabus, si vera est quorundam supputatio. Ejus est

De Vita Contemplativa Commentariolus lib. I.

Vivebat anno DXXVI. Recolitur ejus sacra memoria die XIII. Octobris. Kalend. Adami Regii.

S. FLORENTINUS. 509.

S. FLORENTINUS, regis Scotorum filius, vir incredibili sanctitate in Galliis colitur, templo ei in nemore densissimo dedicato in Campania non longe Lingonibus: cujus vita, ab incerto auctore scripta, XIX. capitibus continetur. " I. Rex Scotiae filio suo Florentino coronam offert, et quid de ea videatur, quaerit, sed sub noctem intempestam angelus ei discessum nunciat. II. Florentinus itineris sui comites triginta optimatum filios elegit, quibus coronam ostendit. III. Orat Deum, possit mare trajicere, et angelus e coelo crucem defert, qua trajicit. IV. Ipse cum sociis cruci insidens enavigat. V. Mari trajecto, oportet, inquit, sigillatim separari, ut Deo serviamus. VI. Bonettam urbem accedens, porcorum custodiae se locat XXXII. annos. VII. In quo subulcus fuit, fons est, et baculus. VIII. Porcos ad nundinas Lingonenses duxit. IX. Caecos, claudos, mutos sanat. X. Cacodaemon in forma puellae formosissimae ei annulum pronubum offert, dicens illum esse Scotorum regis filium. XI. Cum cacodaemone tribus diebus et totidem noctibus sine missione pugnat. XII. Cacodaemon conatur sensum ei eripere. XIII. Baculum humi defixit dormiturus, qui fonte orto radices egit. XIV. Incidit in morbum, et angelus transitum nunciat, quis sit, pastori revelat. XV. Obit, praescribens ut eo loci humaretur, quo duo tauri currui impositum deferrent. XVI. In den-

sam silvam delatus est, advenienti arbores cacumina inclinarunt. XVII. Terrae mandarunt in opacissima ea silva. XVIII. Fundatur ecclesia, et ingentia fiunt quotidie miracula. XIX. Miraculorum progressus."

Floruit anno MCC. et quod excurrit. Colitur die XXIV. Januarii. Acta loci.

S. FLORENTIUS. 510.

" S. FLORENTIUS, Scotorum indigena, in flore juventae patriam parentesque deseruit," ait Arnoldus Uvion lib. III. Ligni Vitae pag. CCCLXIII. Wolfg. Laz. lib. IIX. Migrat. Gent. pag. CCCCIX. " Florentius, natione Scotus." Petrus Cratepolius. Franc. Irenic. German. Exeges. lib. II. cap. XLVI. Anton. Demochar. tom. II. de Sacrif. Miss. cap. XXXV. Episcopus Argentinensis IV. ut Democharis habet in tabulis, nobilissima ortus familia, summa sanctitatis opinione claruit. Anonymus auctor apud Surium tom. VI. die VII. Novembr. " Cum Dagobertus rex ad regni Francorum gubernacula sederet, S. Florentius, cum Beato Argobasto, Theodato, et Hildulpho, e Scotia venit in Alsatiam; ubi cum S. Argobastus datus esset Argentinensi ecclesiae antistes, Beatus Florentius, et in silva, quam *Hassile* vocant, ubi Bruscha fluvius e monte Vosago dimanat, manibus suis coepit terram colere, ut victui necessaria pararet." Constan. Ghin. pag. XXCVI. " S. Florentii, episcopi quarti, qui genere Scotus." Subdit eadem quae Surius. Vide historiae seriem, quam in epitomen redegit Franc. Haraeus, cujus summa est: Dagoberti regis filiae Rathildi, caecae et mutae, visum et vocem restituit; mox excedenti Rothario, ut Balaeus ait, aut verius S. Argobasto, successit in episcopatu Argentinensi; corpus vero divinitus admonitus Rhaeto transtulit. Gaspar Bruschius, et Sebastianus Munsterus, qui licet male de fide sentiat, quippe jamdudum proscriptus, nihilominus de hoc sancto pie loquitur. Chron. Chronic. pag. DCCXCII. " S. Florentius Scotus nobili familia:" et pag. DCCCXXVII. " cum ad eum peregrinarentur multi Scoti, pii et docti homines, aedificavit ipsis praeclarum coenobium ad amnem Bruschium;" hic quaeso quid mendicent Hirlandi? Quartus antistes Argentinensis fuit; male aliter nonnulli sentiunt, et in his Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CLXIII. Ejus

plurima opera perierunt; exstat tamen apud Petrum Petavium, Parisiensem senatorem, MS. eleganti manu,

Ordinatio suae Ecclesiae lib. I.

Martyrologium Roman. meminit VII. Novembris, sed tacita gente, ut et Petrus Gelasinius: omittit omnino Maurolycus. Episcopus consecratus anno DCLXIII. obiit anno DCLXXV. conditus in monasterio Scotorum, quod ipse aedificarat, vel " in ecclesia quam gubernarat," ait anonymus scriptor laudatus.

S. FIACRIUS. 511.

S. FIACRIUS incredibili sanctitate, Eugenii IV. regis filius, monasticam vitam regno praetulit; nam a Conano sanctissimo Sodorensi episcopo institutus, in Galliam profectus a S. Farone Meldensium episcopo agellum accepit, in quo vitam religiosissimam egit, precibus a Deo lepra obtenta, ne cum legatis, in Galliam missis, ad regnum subeundum in Scotiam redire cogeretur. Surius tom. VII. et compendiose Franc. Haraeus. Mosander ex MS. ecclesiae Trajectensis. Belforest. lib. I. Annal. cap. XXXVI. Joan. Molanus in Addition. ad Usuardum. Hect. Boethius lib. IX. Histor. Scot. pag. CLXXIII. Fusissime Martyrologium Roman. XXX. Augusti: " In territorio Meldensi S. Fiacrii confessoris." Petrus Gelasinius eodem die: " In finibus Meldensium S. Fiacrii confessoris," admiranda sanctitate viri. Religiosissime hodie Galli Meldenses ejus conservant memoriam, et cultu incredibili frequentant. Acta Meldensis ecclesiae. Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CL. Discipulus S. Faronis in coenobio Brodolii nemoris. Arnold. Uvion lib. III. Ligni Vitae pag. CCLXXXVII. Scripsit

Ad S. Syram Sororem de Monasticae Vitae Laude lib. I.
MS. Meldis.

Meditationes lib. I.

Claruit anno DCXXXII.

S. FINCANA. 512.

S. FINCANA, virgo Scota, S. Donevaldi filia, et S. Mazotae soror, quae parentibus orbata, sanctissimo vivendi proposito cum soro-

ribus suis VIII. secessit, religiosissimeque hujus vitae fragilis peracto cursu, et divorum numero ascripta, et miraculis gloriosam sui memoriam reliquit. Vide lib. IV. in *Donevaldo*, et lib. XII. in *Mazota* hoc opere.

Floruit anno DCCXVI. Sanctissimae reliquiae Abernethi erant.

S. FINTANA. 513.

S. FINTANA virgo, sub Conrano rege ab eodem antistite sanctimonialem induta, eodem in coenobio cum S. Otha continentissime vixit, eodemque die, communi etiam aede sacra, commemorationem meruit. Acta perierunt.

Claruit anno DXXVI. Colitur die XIII. Octobris. Breviar. Scotic.

S. FOILLANUS. 514.

S. FOILLANUS frater SS. Fursaei et Ultani, filius Fhiltani regis Hiberniae, ut voluit Sigebertus Gemblacensis in Chronico, nepos Brendini regis Scotorum, Gelgethe filia Adelfii fratris ejus genitus; at falsam et erroneam esse opinionem convincunt multa. Auctoritas primum Trithemii lib. III. de Vir. illust. Ordin. S. Benedicti cap. LXXXVI. " S. Fursaeus, natione Scotus, abbas monasterii Chaobhesburg." et cap. LXXXIX. " S. Follanus, natione Scotus, frater S. Fursaei." Tum verba antiquissimi auctoris anonymi, quem Laurent. Surius tom. V. inseruit die Octob. XVIII. communicatum a Joanne Charlier, praeposito ecclesiae S. Mononis collegiatae in Leodiensi territorio: " Oriundus ex Scotia, quae multos sanctorum, velut stellas lucifluas, ad diversas mundi transmisit partes, ut fuit pretiosus confessor Fursaeus, quem Parrona retinet laeta cum suo fratre Ultano; et Foillanus eorum frater, magni meriti vir, cujus praesentia Castrum congaudet Fossense; S. quoque Bertuinus, S. Fredegandus, necnon S. Eloquius, confessor magnificus, quem Walciodorum veneratur coenobium, aliique complures sancti, quorum numerum et nomina sancta praedestinationis continet liber." Magnificum hoc monasterium dono et liberalitate Gertrudis virginis exstruxit, ac martyrio tandem coronatus. Meminit Beda lib. III. Ecclesiast. Histor.

Gent. Anglor. cap. XIX. " Erat vir iste de nobilissimo Scotorum genere, sed longe animo nobilior quam carne." De S. Fursaeo, cujus hunc nostrum fuisse fratrem postea ostendit, sed *Fullanum* vocat: " cui animarum curam et monasterii sancto admodum viro reliquit," ut loquitur anonymi auctoris scriptum recitatum a Surio tom. I. Vit. SS. XVI. Januarii. Martyrologium Romanum non meminit. Scripsit vero

Regulam Monachorum lib. I.

Vixit anno DCL. ut quidam volunt; alii priorem contendunt, collocantes eum in anno DXCIII. ut Sigebertus.

S. FRIDELINUS SIVE WINFREDUS. 515.

S. FRIDELINUS, Sequanorum apostolus, Wolfgangus Lazius praefat. de Migrat. Gent. seu, ut alii vocant, " Fridolinus, Scotorum regis filius:" male Anton. Possevin. tom. I. Appar. Sacr. pag. DXVI. " Scotorum regis filium" appellat: ob religiosum peregrinandi studium cognomen ei fecerunt *Viator;* nisi fallor, Dongardi XLII. filius, vel Conrani XLV. regis. Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CXLIII. Petrus Cratepolius in Episc. Germaniae pag. LXI. ait illum Augustanis evangelium praedicasse, ac deinde Glaronensem populum religione Christiana instituit. Mortuus, etiam miraculorum gloria illustris; vivus autem bonas artes diu in Galliis docuit, ut Gaspar Bruschius centur. I. Germanicorum Monasteriorum; a Clodovaeo rege magnifice adjutus coenobium unum erexit Pictaviae, inde enim a D. Hilario apostolus destinatus, ut loco laudato pag. VI. testis est Lazius, II. in Belgio ad Mosellam, III. in altis Vosagi cacuminibus, IV. Argentinae, quod longe celebratissimum incolatu SS. Argobasti et Florentii, atque etiam Scotorum monachorum domicilium fuit usque ad subversionem pietatis a Luthero; V. Curiae Rhaetiorum, VI. in Burgundia, VII. ad Rhenum a posteris *Augia dives* dictum, VIII. monasterium, et urbem aedificavit Seckingensem, ubi obiit, et gloriose requiescit. Vitam ejus scripsit Notkerus Balbulus, et ipse SS. numero ascriptus, et Baltherus Seckingensis monachus, scriptumque suum Notkero dedicavit, ut habetur apud Henricum Canisium tom. V. Antiquar. Lection. pag. DCCXVI.

ɛ Jodoco Metzlero, monacho S. Galli: *Noggerus* male a Molano vo-ıtur in Addition. ad Usuardi Martyrolog. pridie nonas Martias, quo ie sancti hujus memoria recolitur. Aegidius Tscudus in Descrip-one Rhaetiae Alpinae cap. XII. Hic noster, etsi SS. numero scriptus, tot miraculis inclytus, tot monasteriorum et monachorum ıater, atque etiam celeberrimae gentis apostolus, tamen a martyro-ɔgiis omnibus, quod sciam, abest antiquis. Meminere inter recen-iores Petr. Galesinius, et Felic. in Ephemeridibus VI. die Martii. ɔcripsit

Exhortationes quasdam	lib. I.
Praecepta ad Monachos	lib. I.
Ad Augustanos	lib. I.
Acta D. Hilarii	lib. I.

Vivebat anno CCCCXCV. aut DLX. Arnold. lib. III. Lig. Vitae pag. LXIX.

S. FRIDEGANDIS. 515.

S. FRIDEGANDEM Scotum non tam omissum a Martyrologii Romani collectore demiror, quam ab annalium nostratium scriptoribus, apud quos altum de illo est silentium. Fuit hic S. Fursaei collega, et socius peregrinationis in Scotia; cum illo educatus, in Hiberniam cum illo trajecit, inde eodem comite in Gallias transivit. Anonymus auctor in S. Mononis Vita a Surio relatus die XXII. Octob. tom. V. Vide supra in S. Foillano a me relata. J. B. Grammay in Antverpia lib. II. cap. II. " Cum D. Foillano ex Scotia profectus B. Fridegandus, apud Ambinaritos evangelium promulgavit." In illo tractu coenobium Hadscot, oppidum Scotenum, familia nobilis Malscot, ut vir doctus voluit, Scoticam originem habent. Aubert. Miraeus de Canonicorum Collegiis XVII. " Locus in quo S. Fridegandis quiescit, est monasterium ad Sabim fluvium, hodie Sambram, a B. Amando, episcopo Trajectensi, in honorem B. Petri constructum, duobus milliaribus a Namurco, ubi antiquitus fuisse congregationem monastice viventem ipsum nomen indicat, sed nunc est Collegium Canonissarum. Est autem celebris S. viri memoria in Turvino, vulgo *Dorne*, apud Antverpiam: ibi enim quievit, ferturque is locus muris cinctus fuisse, cum iis adhuc Antverpia careret. Qua autem de causa inde

fuerit translatum corpus sanctum, pulchre explicatur in B. Gummari translatione his verbis: 'Normani per fluvium, qui dicitur Scinpa, ad villam Turvinum devenerunt, ubi erat monasterium S. Fredegandis confessoris; sed Deus, propter habitantium iniquitatem exosus locum, reliquias jussit ipsius alte transportari, ut nullum esset obstaculum contra desolationem; quibus sublatis, velut muro et turribus civitatis destructis, irruit gens inimica, et incendio perdidit omnia aedificia, ipsumque monasterium consumpsit, homines partim trucidavit, partim captivos abduxit.'" Colitur ejus memoria die XVII. Julii. Jo. Molanus in Addition. ad Usuardum. Arnold. Uvion lib. III. Lig. Vitae pag. CCXXVII. Argentonae depositum vult certius Moraeus in epitaphio:

Dormio prope Sabin, sed me ad Scaldim vigilasse,
Antverpum dicet, voci quod praebuit aurem.

Ejus sunt Homiliae de Sanctis lib. I.

Vixit anno DC. aut circiter, MS. collegiatae ecclesiae monasteriensis, aut anno DCL. Uvion ibidem loci.

S. FRIDERICUS. 516.

S. FRIDERICUS, episcopus Trajecti, Germaniarum apostolus, vir plane divinus, et martyr. Scotum assero, auctoritate Gulielmi Malmesburiensis lib. I. Gest. Pontif. pag. CXII. " Eum sanctitatis Bonifacii nectar spirantem, utpote nepotem et discipulum, Ludovicus Pius, F. Caroli Magni, promovit." S. Bonifacium novem rationibus probavi Scotum esse, idque bullis pontificum, ut ipsius de se verba, et S. Mariani Scoti, omittam; itaque oportet hunc, quia nepotem, ejusdem esse patriae: et quia Caesarem impulerat ut Juditham uxorem nimis vicino gradu illicitam dimitteret, et in monasterium detruderet, faceta de capite piscis prius edendo interrogatione id evincens, illa muliebri dolore exarsit, et viro Dei per sicarios mortem paravit; quam cum praescisset, sacro celebrato, intro eos vocavit, martyrii cupidus renitentes accendit, percussus de fuga sollicitanda monuit, elapsisque iis clerum advocavit, qui ipsum adhuc vivum, sed morti propinquum, in paratum tumulum inferret, qui crebris miraculis merita loquitur. Scripsit

Prophetiam de Regno Franciae	lib. I.	Cratep.
Sermones ad Clerum suum	lib. I.	Surius.
Multa utilia Ecclesiae. Malmes.		

Claruit anno DCCLXIV. Colitur XVIII. Julii. Molan. apud Baronium in Martyrologio Rom. Surius tom. IV. Annum ei assignant alii DCCCXXXIIX. quod fieri vix potest, nam si nepos S. Bonifacii est, ut dictum, et hic passus sit anno DCCLV. erunt inter illum et avunculum anni XXCIII. et nec Bonifacius nec Fridericus multo senio depositus, ut ex actis apparet sub annum MCCCLXII. die XXIIX. Julii. Folckerus, episcopus Trajecti vicarius, caput a corpore abstulit, auro et argento inclusit. Idem anonymus Surianus, qui male Frisonem vocat.

S. FURSAEUS. 517.

S. FURSAEUS Scotus, non Hibernus, licet ex Hibernia cum sociis in patriam venisse scribatur. Vide quae fuse supra in S. Foillano dicta sunt. Camden. in Suffolk pag. CCCLXVII. " In Cnobersburge Fursaeus Scotus monasterium exstruxit." Vides haereticum interdum sanctos Dei cum reverentia compellare. Cognomentum ei *Peregrinus*, habebaturque ordinis S. Benedicti quasi novus iis in regionibus fundator, non modo restaurator. Jo. Trithem. lib. III. de Vir. illustr. Ord. S. Benedicti cap. LXXXVI. A Clodovaeo Francorum rege humanissime exceptus, coenobium Latiniacum, vulgo hodie *Laigny*, exstruxit. Aymon. monach. lib. I. Hist. Francor. cap. XVIII. Vitam ejus et sociorum promittit Beda lib. III. Ecclesiast. Hist. Anglor. cap. XIX. sed ea vel non prodiit, vel interiit. Alia est, quam recitat Surius tom. I. die XVI. Januar. In epitomen redegit Francisc. Haraeus, quo die ecclesia ejus memoriam recolit. Martyrolog. Roman. " In monasterio Peronae S. Fursaei." Petrus Galesinius protonotarius in Martyrologio suo: " In Parona monasterio SS. Fursaei confessoris, Floriani, et Ultani, fratrum ejus, quorum sancte gesta apud Bedam sunt." Monasterium hoc Parrona, Perrona, Parona, et Perona, hodie urbs Galliae munitissima in Morinis ad Belgii confinium, cum insigni collegiata ecclesia, in qua hodie illustres nonnulli Scoti, Gallovidius, Chrestius, Finlasonus,

Duglassus, et alii morum suavitate ac doctrina insignes. Florianus porro est D. Foillanus de quo supra. Errat in Martyrologio suo Rabanus : " In pago Mandinse in Perona monasterio depositio Sancti Fursaei confessoris, qui in Hibernia natus et nutritus, patriam parentesque relinquens sacrae Scripturae studiis aliquot vacabat annis ; unde monasterium in quodam construxit loco ; sed dum patriam parentesque visitare properaret, ut inter illos sacri verbi semina spiritualibus seminaret eloquiis, quadam die corporis aegrotantis molestia corripitur, ac subito post in extasim raptus, jacuit quasi exanimis a vespertina hora usque ad galli cantum ; sed dum ad se rediret agnovit angelicam esse visionem, et sumpto corpore et sanguine Christi jacuit infirmus ipso die et altero, tertia vero nocte iterum ab angelis sublatus mirabiles vidit visiones, sicut liber vitae ipsius testatur; sed postquam ad se rediit, XII. annos in praedicatione verbi Dei, et miraculorum clarescebat signis : novissime vero in Gallia monasteriis constructis, ipse bonis auctus meritis inde migravit ad Christum, corpus vero ejus ab Ercanwallo duce, et caeteris fidelibus, in Perona monasterio in ecclesia S. Petri apostoli, et caeterorum apostolorum, juxta altare honorifice conditum est." Notkerus Balbulus, et ipse Martyrologii auctor, cum eo etiam in gente lapsus : " In pago Mandense in Perona monasterio S. Fursaei Hiberniensis, qui de hoc seculo raptus multa mirabilia conspexit, et reversus mortalibus admiranda narravit, ac postmodum in austera destrictione demigravit." Vincent. Specul. lib. XXIII. cap. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. Petri venerabilis error tollendus, qui lib. XI. cap. CXXX. *Fuscum* depravate vocat. Exstant hymni II. in ejus sancti laudem, quos Petrus Peronensis Benedictinus communicavit cum Arnoldo Uvione lib. III. Lig. Vitae pag. XXVI. Verba etiam Francisci Maurolyci apponam, quod Foillanum appellet *Folianum*, et uno die trium fratrum in Martyrologio suo mentionem faciat, cum constet diversis diebus colendos : ita ille : " Parona monasterio Fursaei abbatis, et fratris S. Foliani martyris, qui raptus in extasim multa vitae alterius mirabilia vidisse, atque in Hibernia, Scotia, et aliis Oceani Glacialis insulis, item in Saxonia praedicasse, et in Gallia quievisse perhibetur." Ita bonus ille Siculus Scotiam et Hiberniam Glacialis Oceani insulas existimavit. Est et mentio in Addition. Molani ad Usuardi

Martyrologium, " S. Fursaei abbatis, et inventionis corporis S. Foillani martyris," licet depositio ejus alio die celebretur; de Ultano vero nihil. Scripsit Fursaeus

De Vita monastica lib. I.

Excessit anno DCL. ut voluit Caesar Baronius, vel anno DXCVII. Natum contendit Sigebertus Gemblacensis anno DXCIII.

S. FATHNA. 518.

S. FATHNA, episcopus Scotus, diu ecclesiam Sodorensem rexit, insularium pater; inde remotus Lismorensem cathedram est moderatus, in Hibernia an in Scotia, haudquaquam dixerim, nec densiores alias in ullo antistite tenebrae; quia tamen Scotia egressum accepi, nolui hic silere: auctor Alexander Millus.

Annus incertus. Colitur XXIV. Augusti. Martyrol. Carthusian.

S. FIDELIS. 519.

S. FIDELIS Scotus, eremita in territorio Argentinensi, patria egressus cum sanctis viris Scotis Arbogasto, Florentio, Hildulpho, et Adeodato, ut in eorum historiis apparet, conjunctior tamen Florentio, nam eo ad episcopatum assumpto, hic ejusdem ecclesiae archidiaconus, ut Henricus Canisius, post Petrum Bugianum, affirmat ex Vita S. Florentii. Errat vero toto coelo Henricus Fitzsimon Hirlandus, qui cum ineptissimum et frigidissimum catalogum contexuisset, hunc cum S. Fidolo confudit, qui aetate, officio, loco, et cultu longe differunt; consulat ille ergo caecus suum oculatissimum Witum, qui cornicum oculos configat.

Claruit anno DCLXXIX. Colitur XXIII. Maii. Tabulae ecclesiae Argentinensis, apud Bruschum.

S. FIDOLUS. 520.

" S. FIDOLUS, S. Brandani confrater," ait Uvion lib. III. Lig. Vitae pag. CLXV. quod si Brandanus Scotus fuerit, ut proculdubio fuerit, erit itidem eadem oriundus gente Fidolus. Porro non in Germania

hic vixit, ut praecedens, sed in Gallia, et Trecis quidem; nec eremita aut archidiaconus, sed abbas, aut, ut male Galesinius, episcopus, ut contra eum sentit Baronius ad Martyrologium Romanum: habet in Burgundia ecclesiam suo nomini dicatam, ubi corpus requiescit, et aliam in ea parte Argathaliae in Scotia, quae dicitur Knapdalia.

Claruit anno DCXVII. Colitur XXI. Maii. Praeter laudatos, Beda et Ado, cum Molano.

S. FINIANUS. 521.

S. FINIANUS Scotus abbas, diversus ab aliis qui eodem nomine supra censentur; nec rarum est in nostra gente sanctos plerosque uno nomine et eodem deprehendere, ut in Colmannis, Columbanis, Brigidis, Donatis, et aliis liquet: porro hic omnibus aliis prior, nam ex Keldeorum genere ortum scribit Veremundus apud Joannem Sinclarum. Scripsit

De Vita S. Eusebii lib. I. et alia.

Floruit anno CCCCII. Colitur XXII. Febr. Martyrolog. Carthusian.

S. FIRMINUS. 522.

S. FIRMINUS Scotus, in patria ab S. Honesto presbytero educatus, ad S. Honoratum, Tolosanum episcopum, missus, multos in Aquitania ad fidem convertit, ut in re illius gentis apostolus habeatur, et Andegavi spatio XL. dierum tria millia hominum ab errore retraxit, et baptismate perfudit, ut late narrat Petrus lib. VIII. capite CXIX. demum Ambianum appulit, et primus illius in Morinis celeberrimae civitatis episcopus, ut Democharis et tabulae; tum a Rictionaro praeside, ne plebs tumultum concitaret, in carcere decollari jussus, martyrii palmam gloriosis operibus percepit. " In Hiberniae partibus ortus" hagiologis dicitur, quia scilicet priori aevo a scriptoribus Hibernia sumitur pro Scotia, ut in Martyrologio Romano, quia scilicet Scotia duplex, plana seu campestris, Hibernia seu montana, ut notum, et alibi hoc opere fuse; ut omittam auctoritatem Scotichronici lib. IV. cap. IX. " Hoc tempore Firminus in Gal-

lia docebat, Ambianorum primus episcopus." Certe ea aetate nullus Hibernus fidem Christi perceperat, aut evangelii lumen persenserat, ut vel ipsis fatentibus Hirlandis evincam; nam neque S. Patricius Scotus, imo nec ancilla illa Pictica nata erat, quae prima religionis verae in eam insulam mentionem intulit, ut R. Edmundus Campianus, ex eo itidem Anton. Maginus, Camdenus, et alii, testati: superest igitur in Scotia ut natus sit. Scripsit

Homilias ad Populum	lib. I.
Epistolas ad diversos	lib. I.
De incarnato Verbo	lib. I.

Floruit anno CCXCVIII. familiaris SS. Guthagono et Macrae, cum quibus videtur Scotia excessisse; nam sub eodem praeside Rictionaro et illa et iste passi, et quidem eodem anno CCC. sed vario die; haec VI. Januarii, ut in Martyrologio Romano, iste XXV. Septemb. Molan. ad Usuardum. Ghin. Acta ecclesiae Ambianensis, quae olim Ambitui, et Legio XXIII.

S. FORANNANUS. 523.

" S. FORANNANUS, archiepiscopus Scotorum," ait Molanus Indiculo Sanctorum Belgii pag. XXV. hoc est, ut illo aevo loquebantur, maximus Scotorum episcopus. Boethius et alii. Eodem modo SS. Livinus et Rumoldus Scotorum archiepiscopi dicuntur, non quod ea aetate dignitas ea instituta, aut pallium concessum, sed quia isti omnibus aliis episcopis imperabant, ut metropolitae suis suffraganeis; et quid juris hic Hirlandis? qui nec tempore S. Forannani nec CCC. post annis archiepiscopos ullos receperunt, ut ex illustrissimo Baronio et Flateburiensi probavi lib. II. Apparat. cap. XVIII. Sed ad S. redeo, de quo Constantinus Ghinius pag. XXIIX. " Walsiodori depositio B. Forannani episcopi, qui in Scotia nobili prosapia oriundus, optimis moribus, et literis imbutus, in clerum ascitus, fuit etiam ibidem consecratus episcopus; inde nutu et auxilio divino in Gallias venit, et primus abbas electus est Vallis Decorae." Miror quid hic Hirlandus mendicet, cum omnes ex tabulis Valvidorensibus Scotum asserant. Scripsit

Sermones in Passionem	lib. I.

Pro Monasterio suo lib. I. cui privilegia et confirmationem a Benedicto VII. impetravit.

Depositus est anno DCCCXXCII. vel centum annis serius, ut alii scribunt. Colitur XXX. Aprilis.

S. FRITHWALDUS. 524.

S. FRITHWALDUS Scotus, episcopus Candidae Casae, quae et S. Niniani, seu S. Nimae, et a Ptolomaeo Λευκοπιδεία dicta. Vixit autem florido illo et sanctorum ferace seculo, centum scilicet annis ante excidium Pictorum, de quo delendo multa vaticinatus, quae postea evenerunt. Reperio eum ab Ethfino rege ad Pictos oratorem missum, qui rara ea aetate facundia, et gratis ad Deum precibus, ferventique jejunio, et crebra corporis maceratione, bellum atrox, quod parabatur, distulit. Scripsit

Ad Unnust, Pictorum Regem, lib. I. Hunc a nostris *Hungum* dici existimo.

Laudes Virginis Deiparae lib. I.

Depositus est anno DCCLXIV. Tabulae Gallovidienses, et Hovedenus cum Francisco Godwino.

FENTRIAE DOMINUS. 525.

MARTYR Graimus, Fentriae toparcha, cum ardentissimo zelo Catholicam fidem promoveret, a Sathanae ministris criminationes subditae, quibus vir nobilis et innocens, alieni criminis insimulatus, pro Christo cervices dedit, ac laetus in coelum evolavit, glandibus plumbeis trajectus, et mari demersus. Gilbertus Brunus in Analectis pag. I.

Nec annum nec diem reperi, sed conjicio anno MDXCIII. id factum.

FORBASSUS. 526.

N. FORBASSUS, vicecomitis apud aquilonares in Buchania Scotos potentissimi filius ac haeres, in haeresi educatus, a patre quodam Franciscano, medicum simulante, et ad aegrotum admis-

), conversus, mundi pompam ac generis sui splendorem negligens, ı Belgium navigavit: at in sanctum Capucinorum cucullum se ab-ens, brevi fratrem, opinione sanctitatis, ad se tamen ab haereticis issum ut inde extraheret, ut eundem habitum indueret, induxit, et terque incredibili fervore Deo servierunt; et senior quidem hic oster a patribus suis, et a tota ecclesia beatus habitus, diem Insu-s in Flandria in Domino clausit. Vita ejus nuper edita sub nomine *lter Alexis* prostat, sed ego non vidi. Atque ab eo sane Thomas empsterus subsidium coelitus et petit et expectat, fuit enim ei er Bolquhamiae Leslaeos consobrinus; utinam et in coelis inter-ssor! Aiunt illum brevi a Romano pontifice sanctorum albo aggre-andum.

Decessit circa annum MDXCVII.

FRANCISCUS. 527.

ARTYR Franciscus, monachus SS. Trinitatis pro Redemptione aptivorum: cum haeretici Aberdonenses in monasterium suum rioso incendio debaccharentur, cum vellet salutis admonere, pri-o visceribus transfixis, deinde per gradus corpore praecipitato, ad ltimum in ignem multis confossum vulneribus injecerunt; et sic nocens vir sanctus, eversae eliminataeque pietatis testis verius uam vindex, vitam veritati reddidit, meliorem cum ea commutatu-is. Gilbertus Brunus.

Passus est anno MDLIX.

DUNCANUS FERNE. 528.

UNCANUS Ferne Scotus, diu Parisiis bonas artes professus, maxime hilosophiam, et ditior factus, scholas nationis, impetrato a rege certo ensu, primus reparavit. Rober. Conglettus in Compendio Privilegi-rum Academiae. Postea doctor Sorbonae creatus, summa eruditionis pinione vixit. Ejus sunt:

Ad Regem pro Academia lib. I.

In Epistolas D. Pauli omnes libri multi MSS. in bibliotheca S. Victoris ibidem, ut in indice.

Vivebat anno MCCCCIX. Acta nationis Germanicae ad DD. Cosmae et Damiani.

ELIAS FORBASSUS. 529.

ELIAS Forbassus, vir nobilis, diu in Germaniis, Italia, Galliisque studiis dedit operam, et cum Pisis doctoratus apicem percepisset, in Scotiam rediit, quo tempore Gulielmus Turnebulus, archiepiscopus Glascoensis, a Nicolao V. jus academiae impetrabat, collegiumque pecunia sua magnificum erigebat; atque hic quidem illius academiae primus in philosophia lector, in quo munere cum decem annos explevisset, et non sibi modo, verum etiam omnibus eruditis satisfecisset, ordinem S. Francisci ingressus, in bona senecta decessit. Scripsit

Lecturas Philosophicas	lib. I.	
Orationes Academicas	lib. I.	
Super Aristotelem	lib. I.	

Docebat Glascoae anno MCCCCLV.

S. FASTIDIUS. 530.

S. FASTIDIUS antiquissima memoria doctissimus habebatur, e montibus Scotiae Occidentalis, qua parte Hiberniam despectant, oriundus. " Britanorum episcopus," ait Honorius Augustodunensis libro de Lumin. Ecclesiast. et Trithem. de Script. Eccles. pag. CCXXV. Scripserat, ut in Indiculo cujusdam docti et patriae studiosi habetur,

Chronicon Scotorum	lib. I.	
De Vita Christiana	lib. I.	Ad Fotalem.
De Viduitate servanda	lib. I.	Iidem qui supra auctores, nisi quod Trithemius habet
De Doctrina Christiana	lib. I.	Alii,
De Fide Christiana	lib. I.	

Vivebat anno CCCCXL.

FERGUSIUS. 531.

FERGUSIUS, Illustris cognomento, Ferquhardi Hiberniae regis filius, fundator Scoticae monarchiae, ex Hibernia in Albionem trajecit cum copiis ingentibus, pulsisque aut in fidem acceptis indigenis regnum stabilivit, omnium totius Europae antiquissimum, nobilissimum, in quo non interrupto ordine sederunt in hunc diem CVIII. reges, qua successione, si S. Petri apostolorum principis successores seponas, nullae magnificentiores. Hic Coilum Britonum regem bello superatum necavit in loco cui posteri Koili nomen fecerunt, vernacule *Kyl;* tum, quo firmum esset, et successoribus validum imperium, edidit

Leges Politicas lib.

Regnavit annis XXV. Periit naufragio in Oceano Deucaledonio, scopulo nomine a casu illo imposito, vulgo *Cragfergus,* quasi scopulum dicas Fergusii, anno ante Christi assertoris in carnem adventum CCCXVIII. Regnum Ferithari reliquit fratri, optimo principi, a fratris sui nepote Ferlego occiso.

FERGUSIUS. 532.

SCOTI, post Eugenii I. regis in acie exstincti casum, XLIV. annis dispalantes rege caruerunt; quos in unum corpus collegit ac varia fortuna solo patrio Fergusius II. rex redonavit. Interfuit hic cum suis Romae direptioni, Alarico Gothorum regi auxiliatus; quod, praeter annales nostrates, Claudianus cultissime expressit lib. de Bello Getico:

> Venit et extremis legio praetenta Britannis,
> Quae Scoto dat fraena suo, ferroque notatas
> Perlegit exanimes Picto moriente figuras.

Ex tantae civitatis spoliis ac praeda, ipse nihil domum retulit, praeter arcas quasdam libris MSS. plenas, quos etiam suo aevo Hect. Boethius viderat. Hic in Moraviam delatus, foedus cum Pictis, quos Romani concitaverant, pepigit, iisque sociis cum Cassio ad Caronam amnem pugnavit, aequo Marte, sed redintegrato certamine, uterque rex a Maximiano legato interimitur in acie. Ejus sunt

Epistolae ad Scotos dispersos lib. I.

Exularunt Scoti edicto Maximi, instantibus Pictis, a regno condito anno DCCX. anno salutis CCCLXXIX. imperante Juliano, sedente in Petri cathedra Damaso; duravitque exilium toto pene tempore Siricii, Anastasii I. et Innocentii I. Augustorum vero Joviniani, Valentiniani, Theodosii I. Restituti vero iidem, Fergusio ducente, anno sal. CDXXX. sedentibus Romae Innocentio I. Scoto, Sozimo, Bonifacio I. Coelestino I. Sixto III. Leone I. Tum Pharamundus regnum Francorum fundavit, trajecto Rheno. Fergusius regnavit annis IX. regno Eugenio II. filio relicto. Annales Scotici.

FERGUSTUS. *533.*

FERGUSTUS, sive Pergustus, socius Sedulii junioris, de quo vide hoc opere infra. Constat episcopum Pictorum fuisse, sed cujus loci aut ecclesiae, haud facile divinaverim. Interfuit sane episcopali auctoritate concilio Romae celebrato anno DCCXIV. sub Gregorio II. ut ex actis concilii patet, cui ille cum multis aliis subscribit. Tom. III. Concilior. pag. CDXVI. Ejus est

In Evangelium D. Matthaei Commentarius doctissimus lib. I. quem MS. Parisiis servat vir religiosus Jacobus Sirmondus, Societatis Jesu presbyter, bono rei literariae natus.

Claruit sub Mordaco rege, anno salutis humanae DCCXXIII.

S. FERRANUS. *534.*

S. FERRANUS, cognomento Culdeus, hoc est, Dei Cultor, sic enim nostratum prisca lingua sacerdotes appellati, qui claritudine summa ingenii, et maxima pietate emicuerunt; quos recenset H. Boeth. lib. VI. Hist. Scot. pag. XCIX. Amphibalum, Priscum, Calanum, Ferranum, Ambianum, et Carnocum. Hic edidit

Sermones pios lib. I.

Floruit anno DCCLVIII. Joannes Leslaeus lib. III. pag. CXXII.

FLACCUS ALBINUS. *535.*

FLACCUS Albinus, sive Alcuinus, Caroli Magni, ut supra exposui, praeceptor, et academiae Parisiensis fundator, praeter ea quae su-

perius enumerata sunt opera, scripsit

Vitam Sancti Willibrordi, prosa, lib. I. Apud Surium tom. VI.

Vitam ejusdem, versu, MS. lib. I. In biblioth. S. Galli.

In Evangelium S. Joannis Commentarios lib. I. Argentinae excusus anno MDXXVII. Gesner. in Bibliotheca. MS. S. Galli.

In septem Psalmos poenitentiales lib. I. Prodiit Parisiis anno MDL.

Disputatio cum Carolo Magno de Rhetorica et Virtutibus lib. I. prodiit anno MDXXXIX. Titulus ei operi in MS. S. Galli, " Disputatio de Rhetorica, et de Virtutibus sapientissimi regis Caroli, et Albini magistri :" cui hoc epigramma praefixum, incerto auctore :

Qui rogo civiles cupiat cognoscere mores,
Haec praecepta legat, quae liber iste tenet.
Scripserat haec inter curas rex Carolus aulae,
Albinusque simul ; hic dedit, ille probat :
Unum opus amborum ; dispar si causa duorum,
Ille pater mundi, hic habitator inops.
Non temnas modico, lector, pro corpore librum,
Corpore praemodico mel tibi portat apis.

Adultera quaedam ei attribuuntur, quae Calvini haeretici esse annotavit Henricus Canisius tom. V. Antiquar. Lection. pag. DCCCCLVII.

S. FETHUO. 535.

DISCIPULOS S. Columbae enumerans Hect. Boeth. lib. IX. Hist. Scot. pag. CLXVI. " Domitius, Ruthius, et Fethuo, haud parum natalium amplitudine, sed magis longe religione honestati." Abbatem fuisse constat, et puto inter Sodorenses illos Scotos montanos. Scripsit

Epistolas ad Patres in Iona lib. I.

Vivebat anno DCVI. Joannes Leslaeus, lib. IV. pag. CLII.

FOILANUS. 536.

FOILANUS, Scotorum Coloniae peregrinorum abbas, vir pius, et nobili eruditione insignis, laudatus a Langaeo, Sorbonicae facultatis decano, et in Angusia natus est ex familia Ketha, ut Godefridus Tillot in epistola ad Apocalypsin ejus testis. Scripsit

In Apocalypsin lib. I.
Fundationis chartas, et privilegia monasterii sui collegit, et ab Alexandro papa confirmari fecit, lib. I.
Epistolas ad Scotos peregrinos in Germaniis agentes lib. I.
Servantur Coloniae, ut idem affirmat.

Electus est anno MLXI. Florent. Wigornien. eo anno : quando obierit, aut quamdiu praefuerit, haud certo dixerim.

WILHELMUS FRASERIUS. 537.

WILHELMUS Fraserius, S. Andreae episcopus, regni cancellarius, et unus e tribus septentrionalium partium administratoribus, cum post exitum Alexandri III. tota successio in unica filiola, regi Norvegiae ex Margareta filia Alexandri suscepta, restasset, eaque etiam obiisset, ac sic nulli Scotorum certum esset quis deberet haeres designari. Scripsit

De Jure Successionis Regni Scotiae lib. I.
Concordantias in Evangelia lib. I.

Florebat anno MCCLXXXVI. Hector Boeth. lib. XVI. in principio.

S. FOILLANUS. 538.

S. FOILLANUS iste, diversus ab iis de quibus hoc libro actum, cum Helia et Kiliano S. Livinum ex Scotia peregrinaturum secutus, omnium illius laborum comes, virtutum admirator, martyrii spectator. Vita S. Livini, quam in epitomen redegit Franciscus Haraeus die XII. Novemb. Martyris sanctissimum corpus in pagum Hantem detulit, atque cum sociis pie sepelivit ibidem loci. Scripsit

Acta Livini Magistri lib. I.

Florebat anno DCXXXIII. Colitur XXXI. Octobris.

ROGERUS DE FEDIC. 539.

"ROGERUS de Fedic, amicus et clericus Jo. Dunkeldensis episcopi," ut est in epistola Urbani III. pontificis ad regem Wilhelmum, apud Rogerum de Hoveden lib. II. Annalium, et, ut apparet, in eadem causa cum episcopo Dunkeldensi ab Hugone Sanctandreano antistite vexatus. Scripsit

Super Causa Dunkeldensis Episcopi ad Papam lib. I.

Claruit MCLXXXII.

ROBERTUS DE FEDIC. 540.

ROBERTUS de Fedic, in literis Clementis III. papae ad Jocelinum Glascuensem episcopum Veronae datis, apud eundem Hoveden pag. CCCLXI. videtur idem esse cum superiore, nam "et clericus et amicus Joannis Dunkeldensis" dicitur, ut videri possit librarii error. Scripsit

De Causa Dunkeldensis Episcopi ad Papam lib. I.

Floruit anno MCLXXXII.

ANDREAS FORMAN. 541.

ANDREAS Forman, archiepiscopus primum in patria S. Andreae XL. superatis Joanne Hepburno, priore S. Andreae, et Gavino Duglassio, cui episcopatum Murraviensem, quem prius possederat, concessit; tum Bituricensis in Gallia sedit numero XCI. Antonius Monchiacenus. Demochar. tom. II. cap. XXV. Regni regens creatus, cum duce Albaniae in Franciam profectus foedus antiquum renovavit. Ei Gulielmus Manderston opera sua dedicavit. Scripsit

Contra Lutherum	lib. I.	Meminit Eckius.
De Stoica Philosophia	lib. I.	
Collectanea Decretalium	lib. I.	

Obiit anno MDXXI. cum regni regens creatus fuisset anno MDXVI.

Porro in Decreto Gratiani praesul Biturigum patriarcha vocatur.

FLORENTIUS VOLUSENUS.

Hic locum suum habebit infra hoc opere, ubi de illo vide.

JOANNES FOGUS. 542.

Joannes Fogus, monach. Cisterciensis, S. theologiae doctor, Paulum Crau, Bohemum genere, haeresim Wiclefianam ac Hussitanam sceleste in Scotia seminare incipientem, eruditione ac vitae continentia repressit; quare, illo flammis consumpto, hic Mailrosensi coenobio donatus a Jacobo D. Andreae episcopo. Scripsit

Pauli Crau Bohemi Examen lib. I.
De Erroribus Wiclefitarum atque Hussitarum lib. I.
De Confessione auriculari lib. I.

Floruit anno MCDL. Boeth. lib. XVII. Histor. Scot. pag. CCCLII.

JOANNES FORDUNUS. 543.

Joannes Fordunus cujus fuerit vitae conditionis, non deprehendi; suspicantur nonnulli monachum fuisse: utcunque vir fuit diligens in perquirenda gentis nostrae antiquitate, et in scribendo valde eloquens. Ejus est

Historia Scotiae lib. [V.] Ingens volumen MS. in bibliotheca Collegii S. Benedicti Cantabrigiae in Anglia, quam diligentissime, sociis juratis, cancellis clathrisque custodiunt: ejus ego lectione multum adjutus optavi, sed incassum, luce donaretur.

Vixit anno [MCCCLXXX.] De ejus continuatore dixi in Auctario.

THOMAS FORBASSUS. 544.

Thomas Forbassus, nobilissima ortus familia, in Hispaniis clarissimum nomen adeptus, in variis academiis bonas literas professus. Ejus sunt permulta, sed ego tantum vidi

De Antiquis Hispaniae Habitatoribus lib. I. Viderat Joannes Camers; prodiit Lugduni.

Claruit anno MDII.

JACOBUS FORBASSUS.

JACOBUS Forbassus, adolescens nobilis, Scotia relicta, Parisios venit, inde Romam: amoenitate ingenii claruit, apices juris in academia Perusina adeptus. Edidit lib. . . .

Vivit adhuc Romae.

S. FOTHADUS. 545.

" S. FOTHADUS, ingeniosus, doctus, eloquens," ait Balaeus, ab Alphero Merciorum comite in Angliam missus ad Elfritham reginam, in synodo Calvensi Dunstanum Cantuariae archiepiscopum argumentis ita superavit, ut ille senium excusaret, nec se posse hujusmodi dissertationibus vacare, eosque, eversa domo in qua disputatio instituta, interfici curarit; ita vir ingenii gloria invincibilis, fraude nefaria exstinctus. Auctores sic tradiderunt Vincent. Bellovacensis, Antonius archiepiscopus Florentinus, Joannes Capgravius, et Fabianus in Chronicis. Errat Gaspar Bruschius lib. II. de Archiepiscopis Patavinis, qui ad Stokeronium sexto supra Viennam milliari necatum prodit; ibi enim non Fothadus hic noster, sed Sanctus Colmannus peremptus, ut superius hoc opere ostensum. Scripta omnia temporis injuria perierunt; extat tantum

Pro Conjugio sacro, adversus Dunstanum, lib. I.

Florebat anno DCCCCLXXXI.

FRIDERICUS. 546.

FRIDERICUS, vulgo in Germaniis Scotus appellatus, magna claritudine vixit, et tam philosophicis quam humanioribus literis eruditus, multa scripsit: ego tantum vidi

De occultis Rerum Causis lib. III. admirabile opus ex Aristotele, Plinio, et Aeliano, ut plerumque collectum.

De Germaniae Antiquitate Dissertatio lib. I.

Scribebat anno MDI. quando obierit, aut ubi potissimum floruerit in Germaniis, aut quo vitae genere usus, quia ipse in scriptis suis non meminit, ego non deprehendi.

FULGENTIUS. 547.

FULGENTIUS, cognomento Audax, sub Donaldo I. rege magna ingenii fama vigebat, siquidem rex ille, Septimio Severo Augusto, qui Eboraci in Anglia obiit, contempto, et religionem pietatemque amplexus, Christianum aes, aurum, atque argentum primus signavit, usus fideli Fulgentii opera, qui scripserat

De Fide Christi lib. I. quod opus utinam hodie extaret; haberet certe Scotia quo fervorem et antiquitatem fidei receptae ostentaret, paucis Europae regnis cessura, permulta vero superatura. Meminit Indiculus anonymi.

De Romanorum Injuriis lib. I.

De vindicanda Libertate lib. I.

Orationes lib. I.

Epistolas lib. I. susceperat enim causam Britonum contra libidinem Romanorum defendendam, et suppetias non modo scriptis sed gladio ei genti tulit, missus a Donaldo I. Scotiae rege.

Ad Donaldum Scotiae, et Thelargum Pictorum regem, et proceres Britonum, lib. I.

Obiit in acie, graviter vulneratus a Septimio Severo imperatore anno CCXI. Hunc stupidissimus bipedum, nullo auctore adducto, Joannes Pitsaeus Anglum non erubescit facere, cum Scotus suppetias a rege suo destinatas in Angliam duxerit, ut suo sanguine eam a servitutis contumelia vindicaret. Annales nostri. Scotichronicon lib. III. cap. XIV. Praeclara sane ab ingratissima bellua Scotis gratia relata.

FUGETIUS. 548.

FUGETIUS solo nomine mihi cognitus, nec quippiam illius ad me pervenit, praeter

De Peregrinatione ad Loca sancta lib. I. Erant enim Scoti huic vitae generi valde addicti, ut est in Apparatu ad Historiam Scoticam cap. IX. a me probatum, ac zelo quodam pietatis supra alias gentes accensi: unus est qui vituperat, Theodoricus Aniem, ipse ab Hirlandis deceptus, qui se Scotos, dum mendicantes orbem pererrant, mentiri solent.

Vivebat anno MCLXII. quando obiit, aut quo vitae genere vixerit, non reperi. Sunt tamen qui existimant monachum fuisse Benedictinum in Scotorum coenobio Ratisbonae, sed haud temere affirmarim. Liber prodiit Venetiis ex Junctarum prelo; stylus est barbarus, ut aetati par.

JOANNES FRASERIUS. 549.

JOANNES Fraserius, ex nobilissima familia Philorthia, rari amoenique ingenii, Parisiis diu philosophiam professus cum gloria, Harcuriani moderator, abbas Novioduni aut Compendii, in pio literatoque otio consenuit. Ejus sunt:

In universam Aristotelis Philosophiam Commentarii doctissimi lib. I.

Controversiae Fidei lib. I. vernacule.

Epistola ad nobilem Calvinistam, qua illa singula controversiarum capita mira brevitate et doctrina incomparabili retractat, ac offert se in partes illius transiturum nisi vera sint et solida Catholicorum fundamenta, erroneae vero, et sacrae Scripturae contrariae haereticorum Scotorum imposturae ac doctrinae. Lutetiae prodiit, lib. I.

Poemata, vario carmine, lib. I.

Orationes eloquentissimae lib. I.

Obiit Lutetiae ipso Paschatis die, cum ipse mense toto antea languens

optasset, eo die resurgentem assertorem humani generis corporis vinculo liber venerari, anno MDCV. sepultus ad D. Francisci.

JACOBUS FLAMINIUS. 550.

JACOBUS Flaminius, nobilissima familia oriundus, cujus auctor Robertus Flemein, ob detectum Cumeinii crimen majestatis, a Roberto Brusio rege agris *Cummirnald* donatus est circa annum MCCCXX. Hector Boeth. lib. XIII. pag. CCCIV. In Galliis Lescaae optimas artes felicissimo ingenio docuit, Graece ac Latine eruditissimus. Scripsit

Observationes in Theophrastum	lib. I.
Poemata elegantissima	lib. I.
Orationes Graeco-Latinas	lib. I.

Obiit ibidem loci anno MDCXII.

GULIELMUS FOULAR. 551.

GULIELMUS Foular nobilitatem generis incomparabili virtute vel commendavit vel superavit; in Galliis transmarinisque aliis partibus diu versatus, Graecae ac Latinae elegantiae nobiliorum aliarum linguarum peritiam addidit. In patriam redux, Annae reginae a secretis non minorem in aula prudentiam quam in studiis solertiam ostendit; sed subirata, incertum quam ob causam, regina, officio dejectus nudum nomen usque ad vitae exitum retinuit. Orator gravis, historicus omniscius, poeta suavissimi styli, ac ingeniosissimus, scripsit multa; in his

De Memoria artificiali Commentarius accuratissimus lib. I.

Anagrammata lib. I. mira facilitate, ac rara inventione. Quaedam succurrunt, quae ascribam. HENRICUS IV. GALLIARUM REX; ex quo, IN HERUM EXURGIS RAVALLAC. Aliud aequali felicitate, MARIA STEUARDA, REGINA SCOTORUM; unde ille, TRUSAVI REGNIS, MORTE AMARA CADO. Ex officio sancto Romae dimissus, abjurata haeresi, cellae suae custodiae superscripsit ALMA RO-

MA, inversis elementis, MALA MORA. Anagrammatis, etiam gentium fere omnium mores expresserat: ut GALLIA reddiderat ALLIGA, sic SCOTIA, SOCIAT, vertitur tum in fine chartae. Ut implacabilem sibi reginam irritaret, ex DANISMERCA fecerat CANIS MERDA.

Poemata varii generis lib. I.

Epigrammata lib. I. et multa alia, quae habet edenda ornatissimis moribus adolescens Ludovicus filius, tantarum virtutum, non tantum sanguinis haeres.

PATRICIUS FORBASSUS. 552.

PATRICIUS Forbassus, Corsi dominus ad Donam, et nunc, ut audio, episcopus Aberdonensis; vir candidis moribus, varia literatura, utriusque linguae peritus; sed has laudes educatio inter sectarios suffocat. Scripsit varia, sed ad me pauculorum notitia pervenit: in his

Commentarius in Apocalypsin lib. I. vernacule. Laudant multi; ego non legi.

Vivit adhuc Aberdoniae, et opera caute legenda.

JOANNES FORBASSUS. 553.

JOANNES Forbassus, superioris filius, adolescens bonae frugis ac praeclarae indolis, sub patre educatus, scripsit

Latinam versionem Commentarii patris in Apocalypsin lib. I.

Vivit adhuc Aberdoniae, et theologiam profitetur, ingenti spiritu vir, si educatio non obesset.

JOANNES FERRERIUS. 554.

JOANNES Ferrerius, etsi Pedemontanus in Insubria natus, tamen, quia res nostrates attigit, hic locum habebit. Scripsit

Appendicem Historiae Scotiae ad Hectoris Boethii Historiam lib. I.

Librum XVIII. et XIX. ejusdem Historiae Hectoris Boethii pu-

blicavit, et dedicavit Jacobo Betonio, Scotiae primati, postea cardinali.

Continuationem Pauli Aemilii Historiae Gallicae, et alia.

Claruit anno MDXXX.

S. FULCO. 555.

" S. FULCO, Fulchus, aut Fulchius, qui ex gente Scota oriundus," inquit Constantinus Ghinius pag. LXXIX. " Placentiae literis operam dans," canonicorum Lateranensium, ad S. Euphemiae, habitum induit; Parisios missus studiorum ergo theologicorum, ac Placentiam reversus, praepositus coenobii sui factus; tum archipresbyter cathedralis ecclesiae, et mortuo Grimerio episcopus creatus, sed post sex annos, literis Honorii III. ad Ticinensem sedem vocatus, singulari, ut prius, sanctitate praesedit, ut miracula fidem faciunt. Haec ex Spelta in Vita Episcoporum Papiensium, et Breuent. in Historia, atque etiam Jacobo Gualla in Sanctuario Papiae, insuper officia utriusque ecclesiae, ex quibus eadem Philip. Ferrarius, iterum ordinis Servorum generalis, de Sanctis Italiae pag. DCLXXIV. qui sic narrat: " Fulcus, seu Fulco, natione Scotus:" unde oritur dubium in historia, sitne hic vir sanctissimus gente Scotus, ut loquitur Ghinius, hoc est, ex familia Scotorum Placentina, an natione Scotus, ut habet Ferrarius. Vir ornatissimus, idemque historiae ecclesiasticae callentissimus, Petrus Maria Campus, canonicus Placentinus, censet eum non in Scotia natum, sed ex illustrissima Scotorum Placentiae gente; et ex multis actis, atque adeo testimonio ipsius Fulchii, probat eum anno aetatis suae tertio Placentiae fuisse, ut vel illic natum oporteat, vel infantem Scotia efferri. Hinc patet quam stupide Henricus Fitz-Simon Hirlandus Hibernum hunc sanctum fecerit, nec alia ratione quam quia gente Scota natus. Bulla Honorii III. de quo dicebam, in tabulario Ticinensi asservata, sic loquitur: " S. Fulconi, episcopo Papiensi." Ego in Menologio pag. XXVII. perperam putavi a Ticinensi sede ad Placentinam translatum, cum e contra a Placentina ad Ticinensem migrarit. Spiritu prophetiae nobilitatur; nam cum paupertate parentum suaque coactus cibum peteret, ancilla mercatoris manum

porrigens, " En do panem," inquit, " ut nunquam episcopus fias," manum retraxit puer, ne ea lege panem acciperet, quod in sanctitatis omen acceptum, nam ancillae dominus ei quotidianum domi suae, et perpetuum victum suppeditavit: et hoc sane videtur Hirlandos induxisse, ut, quia eum mendicasse compererant, suum facerent; quasi quia omnes Hirlandi mendicant, omnes qui mendicent, Hirlandi sint: et velim a v. cl. Campo scire, cum tam paupertina conditione eum fuisse constet, quomodo gente Scotorum Placentina ortus sit, quae semper primo, non nobilitatis solum sed et opum, gradu habita. Sed haec ex Campi Historia brevi edenda facile discam. Ad scripta venio, quae per ornatissimum virum et longe piissimum Placentia accepi, R. P. Bassanum Gattum, Hieronymianae Eremi monachum, qui suavitate morum, et omnigena literatura, et familiam suam nobilitat, et Thomam Dempsterum devincit. Sunt autem ea:

Sermones ad Populum dicti lib. I. MS. ad Dominicanos Placentinos, sed aiunt deperditos; librum tamen describit v. cl. Campus; in quarto, inquit, erant scripti, membrana columnatim divisa, ad magnitudinem dimidiati Breviarii.

Homiliae ad Clerum Placentinum diversis occasione et tempore recitatae lib. I. partim dum esset praepositus S. Euphemiae, partim dum canonicus.

Ad Socios Parisiis in die Paschatis lib. I.

Ad Fratres suos cum rediisset e Schola lib. I.

Anno MCCX. creatus est episcopus Placentiae: viderit Fitz-Simon Hirlandus, qua ignavia eum primum Placentiae episcopum faciat, aut quia mendicasse legitur, Hibernum cur facit. Translatus ad cathedram Ticinensem anno MCCXVII. depositus est anno MCCXXX. Colitur die XXVI. Octob. Martyrologium Romanum, et laudati auctores. Sacrum corpus est Ticini.

Nec immerito Gulielmus Duglasius Scotia egressus in Italiam venit, ut dictum superius, suumque Placentiae, ex antiquiss. Italiae urbibus, domicilium fortunarumque suarum sedem fixit, eamque posteris patriam destinavit; qua ex urbe ortae sunt tot tamque illustres Scotorum familiae, ut circiter decem et amplius nunc numerare libeat; quae innumeris prope et egregiis coelitus aucta privilegiis efflo-

rescit, fluviorum regi Eridano quam proxima, qui navigationi aptissimus maximo est urbi emolumento; cujus situs ad amoenitatem et fecunditatem natus, aeris temperies, coelique clementia, effusa planities, collium frugibus refertorum multitudo non parum accolas reficit. Ad meridiem umbrifero Apenninorum aliorumque montium jugo recreatur: hic Ceres, hic Bacchus, hic Pomona luxuriant; quorum fructibus, et ut pullis, ovis, ceterisque gustatu idoneis frui, utique gestiunt urbes quam plurimae, caseo praesertim, longe omnium praestantissimo, quem per diversas Europae plagas mittit humanissime; in ea varii aquae salsae putei, unde non solum ad usum sibi necessarium salem hauriunt, quin et Parmensi et Palavicinorum dominiis abundantissime suppeditat; ejus in montibus, et ferri et aeris, huc et illuc efferendi, fodinae: collium fructus copiosissimi, olivae inter ceteros, quarum oleum ad annum prope accolis satis sit. Ad occidentem Trebia amne alluitur, cui nomen peperit immortale caedes Romanorum ab Annibale accepta, qui varie divisus per praedia molliter labitur, et laetiora pascua gregibus et armentis non ingrata producit, quo fit ut carnibus non insipidis vescantur accolae. Ceterum, quae urbium laus est non ultima, et antiquitate familiarum et nobilitate cum plerisque Italiae urbibus de principatu contendit; ex qua quam plurimi sancti homines, ut Gregorius X. de Vicecomitibus, vir sanctissimus, de cujus canonizatione nunc apud sedem apostolicam, rogatu Placentinorum et Aretinorum, agitur, innumerique heroes, ad omnem omnino virtutum Christianarum politiam nati, non mediocriter Italiam ornant et illustrant. Magnificus aedificiorum ornatus: quod publico sumptu pro sereniss. principibus constructum visitur palatium, omnibus suis absolutum numeris, sapientum judicio in Italia forisve pauca paria vix habuerit. Hic amplissima religionum monasteria, ac praecipue D. Augustini inter cetera memorabile: medio in foro amplissimi ac immortali dignissimi memoria principes Alexander et Ranutius Farnesii aeneis insident equis, quorum ars et structura ad miraculum prope est opera Francisci Mochii Florentini, adeo ut vix universus terrarum ambitus magnificentius umquam quid viderit. Urbis circuitus, ad quinque milliaria extensus, fortissimis cingitur moenibus et aggeribus: ad austrum arx

munitissima urbem tuetur reliquam. At ne longior quam par sit videar, infinitis, quae supersunt, hujus urbis laudibus supersedeo, siquidem eas in Itinerario Italiae retulit Capug. Franciscus Scotus, Antverpiensis doctor, Frater Leander Alberti in Descriptione Italiae, et F. Jacob. Philippus in Additionib. ad Doglionum in Amphitheatro Europae, Locatus in Historia laudatae civitatis; quae Straboni lib. v. urbs fama celebris dicitur, Plutarcho in Othone illustris et florens ad quarumvis urbium collationem; apud Cornelium Tacitum audit urbs potens opibus et armis, cujus et D. Ambrosius epist. VIII. ad Faustum nobilitatem arguit, et antiquitatem ejusdem a nomine. Omnia tamen superat encomia, quo Greg. X. supra laudatus, patriam suam compellat; ille enim in ea, quam ad Placentinos cives a consecratione sua scripsit, bulla data Later. IV. cal. Apr. pont. sui anno I. sal. vero hum. MCCLXXII. ut, positis odiis et contentionibus, unanimes viverent, vocat illam civitatem dudum virorum praeditorum virtutibus, et divitiarum fecunditate praeclaram, claritate conspicuam, et ipsorum abundantia in conspectu omnium gloriosam. Narniae itidem in Umbria celebratur nobilissima et antiquissima Scotorum familia comitum Sancti Viti, quae traxisse se originem a gente Scotica immediate asseverat et gloriatur. Nunc vero maxime hanc familiam illustrat splendore, et auget decore, vir nunquam satis commendatus, Eques Frater Sylvester Scotus, qui, haeres avitarum virtutum, ad amplissima honorum culmina apud illustrissimum ac reverendissimum Uduardum Card. Farnesium est evectus. Ex hac stirpe prodiit magnus ille quondam vir Bernardinus Scotus, e Castro Maliani dioecesis Sabinensis, qui ex clerico Theatinorum Regularium a Paulo IV. primum archiepiscopus Tranensis factus, postea ab eodem inter purpuratos patres ascriptus, tum demum ad regendam decessoris sui Fulconis Placentiae ecclesiam fuit missus; cujus virtutes in vita quantae fuerint, Roma, Placentia, et totus orbis veneratur et depraedicat.

FINIS LIBRI SEXTI.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS SCOTORUM

LIBER VII.

S. GALLANUS. 556.

S. COLUMBAE discipuli aliis eminentiores XII. fuisse perhibentur; ex his " Scandalaus, Eoglodius, Totaneus, Moteferus, et Gallanus, eo in Hiberniam transmittente," ait Hect. Boeth. lib. IX. Hist. Scot. pag. CLXVII. Joan. Leslaeus lib. IV. pag. CLII. Sedem statuentes in Iona insula, Scotorum Pictorumque regiones piis lustrando sudoribus, docendo, disserendo, scribendo, utrumque populum optimis moribus ac religione imbuerunt. Fuit ergo in Iona insula Scotorum hic abbas, cujus frequens apud S. Adamannum mentio in Vita S. Columbae, licet nomine semper corrupto, ut pro Iona legatur Ioua. Lib. I. cap. XII. " Inter Iouam et Ethicam;" et cap. XV. " Ipse in Ioua insula commanens, fratribus, qui ad praesens inerant, per omnia enarravit;" et cap. XXIII. " Sanctus in Ioua conversans insula;" capite XXX. " Cum sanctus in Ioua habitaret insula, unum ex fratribus advocans;" lib. II. cap. V. " Cum sanctus in Ioua demoraretur insula;" cap. XIII. " Baitheneus a portu Iouae enavigans;" et lib. ejusdem operis III. " Vir sanctus in Ioua conversans insula, remotiorem ab hominibus locum, aptumque ad orationem, in salicibus quaesivit;" cap. XV. " Dum vir venerandus in Ioua conversaretur insula;" et cap. XXVII. " In occidua insula Ioua laborantes:" quibus omnibus locis corrigendum est, *Iona insula.* Est enim ad occidentem Scotiae, in Oceano Deucaledonio posita, sanctitate D. Columbae, et monasteriis ab eo multis inibi erectis, celebratissima, regum etiam Scotorum sepultura nobilitata, qui honor a Fergusio II. rege collatus, qui et abbatiam ibidem magnificam exstruxit circa annum CCCCXXX. salutis human. Boeth. lib. VII. Histor. Scot. pag. CXIX. Postea Sconam sepultura regum translata, sed serius uti et Pertham, cum medio tempore in monasterio Dumfermelinae ab Edgaro I. omnes reges con-

derentur. Scripsit vero hic Gallanus

Acta magistri Columbae lib. I.
Exhortationem ad Monachos lib. I.

Floruit anno DCVI. Depositus est anno DCXXIII. Colitur die XI. Septembris.

S. GALLUS. 557.

S. COLUMBANI Scoti socii peregrinationis, sive sanctitatis discipuli, a Gilberto Genebrardo in Chronico pag. CCCCXLII. enumerantur sancti, Gallus, Jonas, Romarichus, Leodegarius, Argobastus, Amandus, et S. Walerius, abbas, ut ex anonymi auctoris scripto constat apud Surium tom. II. die I. Aprilis. Ex his Gallus Scotus, Anton. Democh. lib. II. cap. XXXV. Joan. Gualter. Chron. Chronicor. tom. III. pag. DCCXCII. " S. Galli Scoti, et eremitae, concionatoris ad lacum Acronianum." S. Jonas Vita S. Columbani cap. XXX. Bibliothec. Minorum Patrum pag. " Gallus, ex Scotia presbyter." Magistro suo a Brunechilde Galliis excedere jusso, ipse ibidem remansit. Rhegino abbas Chron. Marian. lib. III. Chronic. anno DCCCCXXXVII. " Monasteria sanctorum Scotorum, Sancti Galli et Sancti Bonifacii, igne consumuntur." Vita ejus luculenter scripta a Walafrido Strabone, abbate Augiensi, apud Surium est tom. V. die XVI. Octob. quo die ejus memoriam recolit ecclesia. Franc. Maurolycus: " In Alemania S. Galli abbatis, natione Scoti, et Sancti Columbani discipuli, in Suevia quiescentis." Plura Joan. Trithem. lib. III. de illust. Vir. Ordin. S. Benedicti cap. LXXVI. Martyrol. Rom. " Apud Arbonam in Germania S. Galli abbatis, discipuli Beati Columbani." Monasterium splendidum aedificavit ad Lidiniacum flumen, seu Acronianum lacum, ut Bruschio placet, " contra idola strenue concionatus." Cornelius Corvipolitanus lib. de Temporib. " S. Gallus, e Scotia veniens, apud Helvetios monasterium aedificabat." Raphael Maphaeus Volaterranus lib. XVI. de hoc coenobio et oppido. Notkerus Balbulus in Martyrolog. XVI. calend. Novembr. " Translatio corporis Sancti Galli, et dedicatio opiparae et decentissimae basilicae ipsius, quae inter duos montes Cirrium et Waltrammesberch constructa est, a meridie habens fluvium Steinaha, ab aquilone fluvium Nigraha, qui locus ex ipsius beati nomine Sancti Galli

monasterium cognominatur." Pergit deinde miracula, ab eo perpetrata quotidie, enumerare; quae tu vide. Jodocus Metzlerus apud H. Canisium tom. v. Antiquarum Lection. pag. DCCXXXVIII. "S. Gallus, electus Dei famulus sub obedientia et regula S. Columbani, e Scotia veniens, spretis nobilibus parentibus, mundique pompis, vitam pauperum elegit." Constantiensem episcopatum recusavit; Latine, Scotice, Germanice, et Gallice edoctus, humanioribus juxta et divinis literis instructissimus; unico verbo concludit ille, "quem merito Alemanni suum apostolum vocant." Plura autem anonymus in Vita S. Burchardi, Marcellinus in Vita S. Suniberti, Jonas in Vita Columbani, Theodorus, monachus S. Galli, in Vita S. Magni, Rapertus Scotus, et Ekerhardus junior ex eodem coenobio in lib. Benedictorum, Joan. Leslaeus lib. IV. Hist. Scot. Hartmanni versus pene praeterieram eodem tom. v. Antiquar. Lection. pag. DCCL.

Hic domus, hac est patria creatus
Fautor OTHMARUS BENEDICTUS abba;
GALLUS a SCOTIS veniens beavit
Omnia nostra.

Praeter eos quos laudavi, Scotum facit Anton. Possev. App. Sac. pag. DXXV. Georg. Garnefelt. Vit. Eremit. pag. CC. "S. Gallus Scotus, abbas apud Arbonam." Vide in *Columbanus* lib. III. et lib. XII. in *Macarius*. Scripsit multa, ex quibus haec feruntur:

Super Evangelium, "Ecce nos reliquimus omnia," &c. Sermo gravissimus lib. I. Metzlerus loco laudato.
Conciones lib. I. Ekerhardus junior.
Oratio de Electione Joannis Discipuli sui et Diaconi in Episcopatum Constantiensem. Extat tom. VI. par. II. Bibliothecae SS. Patrum pag. DCCXIII.
Gubernandi Ecclesiam Forma lib. I.
Monita salutaria ad Walmarum Presbyterum lib. I.

Obiit Arbonae in festo S. Michaelis, febre statim a concione correptus, anno aetatis XCV. In Germaniis haesit, abeunte in Italiam magistro suo anno DXVI. ut Rheginoni abbati placet in Chronico, manifesto sane errore numeri. Melius Marianus Scotus anno DXC. Claruit in Alemannia anno DCXXII. ait Sigeber. Gemblacensis; cellam suam ibi exstruxit anno DCXXXI. ut loquitur

Hermannus Contractus in Chronico ad eum annum; obiit denique anno DCXL. Caesar Baronius et alii, post adventum suum in Germaniam anno XXXVI. Denique versiculus ille elegans non est praetermittendus in Martyrologio Usuardi, die jam saepe dicto:

Qui Scotus natus, cum Suevis collocat artus.

S. GERMANUS. 558.

S. GIBRIANI fratres septem eum non ex Hibernia, ut male Flodoardus Hist. Rhemen. lib. IV. cap. IX. vult, sed ex Scotia, ut infra hoc opere probabitur, secuti, religiosam vitam in Rhemensi tractu duxerunt, Tesanus, Tresanus, Germanus, Veranus, Abranus, Petranus, omnes sanctorum albo ascripti Molan. in Natal. SS. Belgii die III. Decemb. observat Georgius Colvenerius theologus. Nec de S. Germano quicquam comperi, ac nescio an aliquid scripserit. Claruit anno DIX. Vide infra de Gibirino.

S. GERVADIUS. 559.

" S. GERVADIUS, episcopus insignis, Christi dogmatis in Moravia concionator," ait Hect. Boeth. lib. X. Hist. Scot. pag. CXCI. S. habitus. Joan. Leslaeus lib. V. Uvion lib. III. Lig. Vitae pag. CCCCXVI. Ejus sunt:

Enarrationes sacrae Scripturae	lib. I.
Conciones piae	lib. I.

Florebat sub Achato rege, tempore Caroli Magni imperatoris, anno DCCCXVIII. aut circiter. Alius a S. Gervadio, Murraviensi episcopo, de quo infra; nam hic licet eodem tempore cum alio, diversus tamen, et Brechinensem rexit ecclesiam.

S. GIBIRINUS. 560.

" S. GIBIRINUS, qui aliis Gibrianus Scotus, Rhemis in coenobio Beati Remigii multis claret virtutibus, et multo populi concursu frequentatur," ait anonymus monachus in Auctario Gemblacensi ad annum MCXLV. Rhemensem episcopatum pie administrasse

ait Joan. Leslaeus lib. IV. Hist. Scot. pag. CXLIV. at Democharès tom. II. Sacrif. Miss. cap. XIV. antistites Rhemenses enumerat, omisso illo. Hect. Boeth. lib. IX. Histor. Scot. pag. CLVIII. " Gibirinus nostras, vir insigni pietate, qui ethnicorum in Albione injuriam declinans cum fratribus, ac etiam sororibus, quas eadem in Christo moverat charitas, transmisit in Galliam, ubi Rhemensem civitatem vitae sanctimonia, et miraculis ornavit." Flodoard. Presbyter lib. IV. Histor. Eccles. Rhemen. cap. IX. " Delata sunt ad ecclesiam S. Remigii membra S. Gibriani a pago Catalaunensi, ubi peregrinatus noscitur, et humatus; advenerant siquidem ab Hibernia in hanc provinciam septem fratres peregrinationis ob amorem, Christi gratia; hic scilicet Gibrianus, Tesanus, Tresanus, Germanus, Veranus, Abranus, Petranus, cum tribus sororibus suis, Franda, Promptia, et Possenna, eligentes sibi super fluvium nomine Matronam opportuna degendi loca, quorum hic Gibrianus, sanctus sacerdos, quendam vicum elegit ad habitandum, Colla vocatum, ubi pluribus annorum curriculis sobrie, juste, pieque vivens, usque ad exitum vitae, bonum studuit certamen certare; cujus corpus primum dicitur juxta aggerem publicum sepultum." Vide quae sequuntur. Injurius est Flodoardus genti nostrae, dum sanctum hunc nobis ademptum Hibernis donat; falso sane, nam praeter laudatos Sigebertus Gemblacensis: " Gibrianus Scotus, cum fratribus et sororibus in Galliam peregrinatus, urbem Rhemensem vita et morte sua illustrat." Tam celebris sancti nullam in Martyrologio Romano fieri mentionem, mirum videri poterat, nisi et alii essent praetermissi. Meminit tamen Molanus in Addition. ad Usuard. Martyrologium, Molan. die VIII. Maii, quo corpus sancti translatum. Ejus erant multa scripta, sed extat tantum

Epistola de Peregrinationis Bono lib. I.

Florebat anno DIX. ut Sigeberto visum, vel anno DXXII. ut Boethio placet.

S. GLACIANUS. 561.

" S. GLACIANUS, et ipse antistes egregius, non sine sanctitatis nomine et opinione doctor," ait H. Boethius lib. X. pag. CXCI. Hunc in SS. album relatum prodit Fordunus, sed quia non est ad ma-

num ejus Historia, non succurrit a quo pontifice, nec quo seculo. Ejus est

Historia Scotiae lib. I. Catalogus Maiae apud Jac. Cheynaeum.

Foedus inter Reges Scotiae et Franciae lib. I. laudat idem Fordunus.

De Episcopi Officio lib. I.

Florebat anno DCCCXXX.

S. GILBERTUS. 562.

SUB Alexandro III. rege vixere viri, et vitae sanctitate, et eruditione insignes, ait H. Boeth. lib. XIII. Hist. Scotor. pag. CCLXXXV. et in his " Gilbertus Cathanensis episcopus, postea in divorum relatus numerum." Et pergit porro ibidem loci: " Tradunt aliqui Duthacum episcopum sanctissimum regnante Alexandro II. vixisse, asserentes eum Divi Gilberti, Cathanensis episcopi, fuisse praeceptorem, sed alii ipsum longe haec tempora praecessisse scribunt." Scripserat Gilbertus

Exhortationes ad Ecclesiam suam lib. I.

De Libertate Scotiae lib. I.

Claruit anno MCCXLIX. vel anno verius MCLXXVIII. Polydor. Virg. lib. XIII. Hist. Angl. pag. CCXXXIV. Indignor nullam hujus in martyrologiis mentionem fieri, cum tamen nemo aeternitate dignior, ut qui libertatem ecclesiae Scoticae, tenera adhuc aetate, contra impotentiam praesulum Anglorum egregie tutatus est coram Hugone cardinale, qui Eboracum conventum praesulum indixerat corrigendae apostolica auctoritate ecclesiae Anglicanae; finis porro certaminis fuit, ut Scoti archiepiscopis suis subessent. H. Boeth. lib. XIII. Hist. Scot. pag. CCLXXIII. Colitur die I. Aprilis. Kalendar. Adami Regii.

S. GERMANUS. 563.

S. GERMANUS, alius ab eo quem supradiximus Gibirini fratrem, et diu post illum ad evangelicum opus accessit: socius et co-

mes S. Eloquii, cum eo vixit, et cum eo praemium laboris aeternam felicitatem sortitus. Molanus in Natalibus, et ex eo Ghinius III. Decemb. pag. XCIX. " Eloquius ad Galliarum littora venit cum sanctis Fursaeo, Foillano, Ultano, Boethio, Mombolo, Adalgiso, Hottone, Helano, Tresano, Germano, Verano, et Columbano;" deinde per Saxoniam et Galliam multas Deo animas lucrati, coenobium Latiniacum condiderunt. Nec de Germano exploro amplius, et conjectura est ipsum post sanctissimam peregrinationem domum rediisse, ibique migrasse; nam duobus sanctis Germanis Scotis, oppidum, ecclesia, monasterium in Scotia non longe Edimburgo, uno milliari a Setonia, dicantur; huic scilicet, et synonymo Gibirini fratri: hic imago Virginis Deiparae Lauretanae et Bethlemitae cladem Anglicam adhuc spirat.

Claruit anno CCLI. Colitur IX. Julii.

S. GAILBALDUS. 564.

S. GAILBALDUS seu Gowibaldus. Arnol. Uvion lib. II. Lig. Vitae cap. LII. " Monachus, et discipulus S. Bonifacii, martyris Moguntini, et Ratisbonensis primus episcopus, doctor, et praedicator insignis, tam honestate morum quam scientia scripturarum praeclarus, ad Christum multos sua praedicatione convertit." Ita Trith. lib. IV. Vir. illust. Ordin. S. Benedicti cap. CCXX. Addit Joannes Fordunus, ex " coenobio Mailrosensi eum a Bonifacio evocatum incubuisse in evangelii enunciationem." Scripsit

De Constitutione suae Ecclesiae	lib. I.
Epistolas ad Bonifacium magistrum	lib. I.
Homilias	lib. I.

Floruit anno DCCLXXX.

S. GOBBANUS. 565.

" S. FURSAEUS, cupiens se ab omnibus seculi hujus, et ipsius quoque monasterii negotiis alienare, reliquit monasterii et animarum curam fratri suo Fullano, et presbyteris Gobbano et Dicullo, et ipse ab omnibus mundi rebus liber in anachoretica conversatione vitam finire dis-

posuit." Verba sunt Bedae lib. III. Histor. Eccles. Anglor. cap. XIX. Hujus sane commemoratio fit ab ecclesia Peronensi, sed nescio quo die, nec martyrologia meminere. Scripserat ille

Acta Fursaei magistri lib. I.

Epistolam ad eundem (quae Peronae diligenti veneratione, ut audio, custoditur, et plura in tabulis ejusdem ecclesiae) lib. I.

Vivebat anno DCL.

S. GAIUS. 566.

S. GAIUS a Gadano Danorum rege, Pictorum injurias ulciscente, cum numeroso exercitu Scotiam depopulante ob fidei Christianae professionem, cum in insulam Maiam fugisset, sacro loco incenso extractus, et diris pro Christi causa poenis cruciatus, temporariam hanc vitam aeterna quiete permutavit, cultus religiosissima deveneratione in insula eadem, ac miraculorum gloria celebratus. H. Boeth. lib. X. Histor. Scot. pag. CCVI. Scripsit

Conciones lib. I. quae everso sacro illo in Maia insula coenobio ab haereticis supererant, nunc autem cum multis aliis piorum ingeniorum monumentis ferali Knoxio incendente exustae.

Passus est anno DCCCLXXIV. Vide lib. I. supra hoc opere in *S. Adriano*, erat enim ei comes martyrii.

S. GLODIANUS. 567.

S. GLODIANUS, ejusdem professionis, fugae, meriti, martyriique socius. Vide lib. I. in *Adriano* verba H. Boethii. Communi etiam devotione a vicinis gentibus frequentabatur. Auctor anonymus de Antiquitate Ecclesiae Scoticae. Ejus refertur scriptum,

Pictorum Chronicon lib. I. quod Veremundus laudat.

Floruit anno DCCCLXXIV.

S. GUALTERUS. 568.

S. GUALTERUS, Davidis regis filius, contempto episcopatu, D. Andreae monachum induit, et abbas Melrosensis factus, SS.

albo ascriptus est. Colitur die III. Maii. Molan. Addition. Usuar. Uvion lib. III. pag. CLVI. et lib. VI. cap. XXIV. ex Leslaeo, quem vide lib. VI. pag. CCXXIII. Scripsit

Commentarium in Regulam Ecclesiasticam lib. . .

Floruit anno MCLXX.

S. GUINOTHUS. 569.

S. GUINOTHUS, abbas Deiranus, Alexandro III. regi a sacello et sacris conscientiae fuit, eruditionis mundanae quidem callens, sed divinae sapientiae cupidus magis observator. Cum legatione ad Florentium Hollandiae comitem fungeretur, magno regis dolore, sed longe majore, ob incommoda quae postea evenerunt, regni totius dispendio, vita functus, ac in patriam relatus, ingenti signorum gloria inclaruit, ab episcopo Aberdonensi elevatus, S. sede apostolica jubente. Extat officium IX. lectionum, et templa aliquot ei dicata.

Depositus anno MCCXXCVII. colitur die XXXI. Martii. Jacobus Cheynaeus.

S. GUINOTHUS. 570.

S. GUINOTHUS episcopus, regi Etho a sacris, cujus perditos mores cum ferre non posset, secessit ab aula, sed eo in carcere exstincto, a Gregorio rege revocatus, ei fuit a sacris confessionibus. Scripsit

Speculum Vitae humanae lib. I. Laudat Fordunus, sed non extat.

Florebat anno CCCCLXXVII. Colitur die XVII. Aprilis. Breviar. Scotica. Templa illi pleraque in Scotia dicata.

S. GODRICUS. 571.

S. GODRICUS, cognomento Eremita, patrem habuit Awillardo, matrem Radwennam: in adolescentia mercaturam exercuit, postea peregrinationem ad S. Andreae reliquias in Scotia, tum ad limina Petri et Pauli apostolorum Romam suscepit. Postea to-

tum se divinis consecrans, prope Dunelmum, quae tunc civitas Scoticae ditionis erat, eremiticam vitam animose praesumpsit, gloriose sustinuit. Exinde Terram Sanctam peregrinus lustravit, domumque in Scotiam rediens, S. Jacobum in Galitia adoravit, et in austeritate vitae perseverans, monitus a S. Cudberto Scoto, secundum in Palestinam iter ferventissimo pietatis affectu direxit. Haec Matth. Paris in Richardo II. et Matthaeus Westmonasteriensis ad annum MCX. Redux in Scotiam post sexaginta totos annos in eremo toleratos, S. Andreae episcopus fuit electus, et Edgarum regem, SS. Malcolmi et Margaretae filium quartum, sacro oleo unxit; et quia ante regem illum nullus in Scotia ungi solebat, Hect. Boeth. lib. XII. Joannes Leslaeus lib. VI. Joannes Major lib. III. Histor. Magnae Britanniae cap. XI. ideo insulsissime colligit Gilbertus Genebrardus in Chronologia ad annum MXCVIII. hunc Scotorum regum fuisse primum; quasi sola coronatio, clypeo impositio, elevatio, armorum traditio, acclamatio, regem apud varias gentes non faceret. Sed aliud longe mirandum, vomicam illam impuram stoliditatis, Joannem Pitsaeum, eum Anglum facere, cum constet vel Balaei magistri sui testimonio, in Scotia natum, educatum, vitam eremiticam duxisse, ad episcopatum assumptum, vitam clausisse, sepultum, denique miraculis inclaruisse. Leslaeus loco laudato pag. CCXVIII. Scotichron. lib. VI. cap. XXIV. Vitam ipsius Nicolaus Benedictinus Dunelmensis, congregationis Cluniacensis, sexaginta annis post ejus mortem conscripsit; quae etiam Scotum fuisse evincit. Scripsit

De Vita et Visione Orni lib. I. Hoc opus dedicavit vir sanctus Simeoni Dunelmensi praecentori, etiam monacho.

Meditationes in Psalterium lib. I. habuit enim semper penes se, et secum tulit in peregrinationibus, Psalterium Divi Hieronymi.

Hymnos de Sanctis lib. I.

Paraphrasim in Job lib. I.

Flores Scripturarum lib. I.

Florebat anno MCX. ut dictum.

S. GERNADUS. 572.

S. GERNADUS, alius a superiore, licet synchronos episcopus Moraviensis. Alcuino, Clemente, Rabano, et Joanne ad Carolum Magnum ab Achaio rege in Galliam destinatis, ecclesiam suam ille domi magna sollicitudine, pietate majore, rexit. Scripsit

De utroque Testamento lib. I.
De Tempore Legis et Gratiae lib. I.
De Laudibus Deiparae Mariae lib. I. et alia, quae scelestus Balaeus Anglis attribuit.

Claruit anno DCCCXII. Colitur templis Deo sub ejus invocatione ubique regni erectis, et aris dedicatis, die VIII. Novembris. Breviar. Scotica.

S. GILLENUS. 573.

S. GILLENUS abbas, peregrinationis S. Columbani socius ac discipulus indefessus per Britannias, Gallias, Germanias, et Italiam. Joannes Major lib. II. Histor. Magnae Britanniae cap. VII. Scripsit

Speculum Vitae humanae lib. I.
Epistolas ad Fratres lib. I.

Vivebat anno DXL. nec plura de eo reperi.

S. GISIBARIUS. 574.

S. GISIBARIUS presbyter, socius S. Rudberti Scoti, ac discipulus, de quo S. Eberhardi discipulus apud Canisium tom. II. Antiquar. Lection. pag. CCLII. " VIII. calend. Octobr. translatio S. Rudberti episcopi, quae facta est ab episcopo Virgilio, qui fuit VIII. ab illo, cum quo transtulit et duos presbyteros ejus S. Chunialdum et Gisibarium, quorum festivitas, quia nullo die in anno habetur, eodem die nominatim in ipsa ad quam translati ecclesia, statutum est celebrari." Scotos hos duos fuisse scribit diserte S. Hartuicus lib. de Synodalibus Decretis apud continuatorem Forduni. Meminit auctor anonymus Vitae S. Rudberti cap. XVIII. tom. VI. Antiquar.

Lection. quas H. Canisius publicavit. Scripsit
Ad Boiarios Homilias lib. I.
Claruit anno DCXXX. aut circiter.

S. GUNIFORTIS. 575.

S. GUNIFORTIS, nobilissimo loco natus, in Italia peregrinabatur, Theodosio Mediolani agente, et ab infidelibus captus, sagittisque confixus, Ticini exspiravit, ubi corpus duabus ei structis ecclesiis magna miraculorum gloria asservatur. Acta non vidi, sed publica fama Scotum facit. Colitur die XXII. Augusti. Martyrolog. Roman. Mombrit. tom. I. Scripta non extant.

Floruit anno CCCCXVII. aut circiter. Plura in fratre suo germano S. Gunibaldo, cujus mentio sequitur.

S. GUNIBALDUS. 576.

S. GUNIBALDUS, frater germanus S. Gunifortis, peregrinationis socius, sed martyrio prius honoratus, de quibus haec sunt Jacobi Gualli, J. C. verba in Sanctuario Papiae: " Gunifortus, Scotica gente natus, nobili genere, giganteoque corpore, cum apud eam Scoticam gentem magna fureret persecutio, sibique esset cordi pro Christo mori, et altum suae mentis arderet votum, potentia nobilis suae familiae impediri veritus, cum fratre suo Gunibaldo ac duabus sororibus perrexit in Germaniam, ubi Christiani variis tormentis occidebantur: unde, ut eorum votum perducerent ad effectum, Christi fidei flamma incensi magno spiritu illam praedicabant. Tunc capiuntur, et suppliciis crudeliter caeduntur, unde, Dei virtute operante, salvantur ipsi fratres, sorores vero, genere et forma speciosae, speciosiores fide et virginitatis zelo, superata feminea fragilitate, accedente etiam fratrum exhortatione, oculis ac manibus in coelum intentis, Christum confitentes, cruentissima caede martyrii palmam adipiscuntur: quibus tam impie peremptis, Gunifortus Gunibaldusque inde discedentes, superatis Alpibus, descendunt in Italiam ad Camaram usque civitatem, ubi etiam Christiani crudeliter mactabantur; tunc ibi ad populum fidem Christi alta voce tollere coeperunt, multos etiam quo

poterant spiritu ad martyrii coronam accendebant. Verum Gunibaldus captus, cruento mactatur gladio." Totam deinde seriem martyrii S. Gunifortis subjungit, ut Mediolanum venerit, ut sagittis confixus fuerit, ut Ticinum divino monitu devenerit, ut in paupertinae anus tugurio obdormierit, ut sacrae ibi reliquiae asserventur. Scripta interierunt omnia, siquae reliquit.

Passus est martyrium anno CCCCXVII. ut opinor.

B. GANFREDUS. 577.

B. GANFREDUS Scotus monasticum Cisterciensis ordinis habitum Altissiodori induit, diligens Petri Abelardi auditor, ut ex epistola ipsius didici, quae in Paracletensi in Tricassinis coenobio MS. asservatur. Sed magistro suo genitalibus misere detruncatis, et doctrina ipsius a plerisque damnata, ad D. Bernardum confugit, sub cujus sanctissima regula non mediocriter et pietatis et eruditionis famam auxit. Eidem sancto ab epistolis, sive notarius. Ejus sunt:

Praefatio in lib. III. de Vita S. Bernardi, apud Surium tom. IV. pag. CCLII. lib. I.

Contra Petrum Abelardum lib. I. Contra hunc etiam D. Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus, epistolam edidit, et volumen scripsit ad Innocentium II. D. Bernardus: errores singulos in tabula collocat Petrus de Pargamo; tandem damnata ejus haeresis anno MCXXXIV. et impugnat ubique D. Thomas Aquinas, Sebastian. Medices in Summa Haeresum pag. DLXXXII. Hunc tamen Abelardum, omnibus operibus nuper Lutetiae publicatis, ab haeresis suspicione vindicat Petrus Ambrosius, libellorum supplicum magister; viderit qua fide.

In Apocalypsin Joannis lib. I.

Epistolarum ad diversos lib. I. quarum quaedam, ut dixi, MSS. ibi extant, et apud Paulum Petavium, et laudat Arnoldus Uvion lib. I. Lig. Vitae pag. LXXIX.

Floruit anno MCLX.

S. GOLGUS. 578.

S. GOLGUS, vir religiosus, discipulus S. Columbae, ac monachus. Meminit S. Adamannus lib. III. de Vita S. Columbae pag. XXIV. et lib. I. ait se de illo mentionem fecisse; sed interierunt, ut puto, quaedam illius operis, neque enim ulla de Golgo primo libro verba in codicibus qui extant, nec alius quispiam, quod sciam, meminit. Putatur alicubi monasterium apud Pictos rexisse. Scripsit

Miracula Columbae magistri lib. I.

Vixit anno DCVI.

S. GEREBERNUS. 579.

S. GEREBERNUS Scotus, S. Asaphi Scoti discipulus in extrema senecta, ac S. Philani socius, presbyter vitae religiosissimae, ut loquitur vita S. Philani in Scotichronico, et Breviarium Dumblanense. More ei seculo usitato patriam cum magistro in Walliam relinquens, profectus inde in Hiberniam, ubi reguli illius filiam Dympnam ad fidem convertit, et ad virginitatis perpetuo conservandae votum faciendum induxit; et cum ea postmodum ad libidinem ab incestuoso patre suo carnali et idololatra invitata esset, suasit sanctissimae virgini solum verteret: illa et puritatis conscia, et furorem ethnici vitatura, in Scotiam trajecit, et ad cellam S. Philani in Argadia latuit; sed idololatra insequente, eodem suo comite ac magistro S. Gereberno in Belgium abnavigavit, ubi tandem cum eo Christo immolata per patrem illum suum, idolorum cultorem, et igne nefando prurientem. Martyrolog. Roman. XV. Maii, Petrus Cameracensis relatus a Surio tom. III. post hunc Molanus in Natalib. SS. Belgii; ex quibus omnibus liquet Hirlandiam tunc, seu Hiberniam, CC. annos post S. Patricium infidelem permansisse, adeoque regulos ipsos idolis immolasse. Sed ad Gerebernum redeo, qui cum discipula sua in Brabantia martyrium perpessus, cum eadem meruit praemium coeleste. Scripsit

Ad Dympnam Institutionem lib. I.

Pro vero Dei Cultu lib. I.

Caesus gladio anno DCC. colitur XV. Maii.

S. GERESINA. 580.

S. GERESINA, matrona ac Siciliae regina, natione Scota, soror S. Dariae, matertera S. Ursulae, mater vero S. Adriani, principis et martyris, atque filiarum Babilae, Aureae, Juliae, et Victoriae, soror itidem S. Macririi episcopi, ut narrat Petri Catalogus lib. IX. cap. XXCVII. Audita sanctarum undecim millium virginum peregrinatione, ex Sicilia in Germanias advolavit, ubi cum iis passa, nunc Treviris cubat in coenobio S. Matthiae. Annales Archiepiscop. Treviren. apud Joan. Gualterium pag. MCDXXIX. Venisse autem eam cum reliquis Coloniam, Acta Archiepiscopat. Coloniensis loquuntur apud eundem Gualterium Chronico Chronic. pag. MCCLIX. nec ullae aliae de illa apud me memoriae.

Passa est anno CDLIV. Colitur cum aliis die communi, XXI. Novembris.

S. GERO. 581.

S. GERO, si non Scotus, certe Scotici S. Pantaleonis coenobii Coloniae abbas, quod quidem coenobium Wilhelmus, Achaii regis Scotiae frater, post expeditionem Longobardicam, sub signis Caroli Magni feliciter terminatam, in gratiam gentis suae excitavit; cui Gero tanta continentia praefuit, ut maxima et sanctitatis et boni regiminis argumenta reliquerit. Meminit ejus Historia Inventionis S. Maurini cap. VII. ut recitat Surius tom. III. plenius Gualterius V. CL. in Actis Archiepiscopatus Coloniensis. Pet. Bugianus: "S. Gerion, abbas Scotus, confessor:" error levis, quasi idem esset cum eo cujus memoriam recolit ecclesia X. Octobris, qui cum trecentis decem et octo sociis Coloniae passus, cum paene inter ipsos sexcenti anni currant. Hic noster vero monasterium reparavit, ecclesiam ornavit, claustrum magnifice decoravit, ut acta loci testantur. Scripta perierunt.

Florebat anno DCCCCXC. Colitur XIX. Martii. Jacob. Cheyn.

S. GISVALDUS. 582.

S. GISVALDUS confessor, socius ac discipulus S. Disybodii, et cum eo ex patria egressus in Belgio substitit ad Montem Divi Petri, ut supra lib. IV. dictum, et vita apud Surium testatur. Errat vero Joannes Leslaeus, qui in Fulda eos vixisse scribit lib. IV. pag. CLXI. nam diu post hos Dei viros depositos Fulda a Scotis condita; ut in SS. Bonifacii et Rabani actis, hoc opere. Scripta interciderunt. Claruit anno DCLXIV.

S. GONORA. 583.

S. GONORA, seu Guanora, Arthuri illius celebris Angliae regis uxor, et vivens et deposita Deo accepta, capta in praelio a Scotis Pictisque, qui ad Humbrum Arthurum fuderant, in Scotia sepulta Megylae duodecimo ab Alecto milliari, ubi etiamnum hodie tumulus visitur, miraculis assiduis, sectariis ipsis fatentibus, celebratus; nam quaecunque mulieres locum calcant, sterilescunt, quare ante paucos annos, cum frequentes eo feminae incontinentes confluerent, ut impune libidinari possent, nec uterum gestare, quasi bidental, cippus muro inclusus. Hector Boethius lib. IX. cap. XII. in versione vulgari Jacobi Ballantini, theologi Sorbonensis, ubi sic: "Guanorae tumulus tam religiose aditur, ut mulieres illum calcare vereantur, putant enim calcantes reddi steriles, ut ipsa fuit." Meminit Joannes Leslaeus lib. IV. pag. CXLVI. Hic est ille Arthurus, de quo Gaufridus Monumetensis tanta ac tam prodigiosa commentus, ut merito ironice Arthurius dicatur: ille, si nugae placent, non finitimos modo Scotos, Pictos, et Hibernos sibi subdidit, sed et Islandos, Pomeranos, Lituanos, Russios, Danos, Fin-Marchios, Zelandos, Livonos, Gothos, Armoricos, Flandros, Hollandos, Brabantos, Morinos, Orcadianos, Britannos, universasque Gallias sui juris fecit; insuper Graecorum, Persarum, Medorum reges vectigales fecit; denique, ne quid solidae gloriae deesset, Lucium Romanorum imperatorem sub jugum misit. Et quis haec Autumni somnia, et Milesias fascinationes ferat, cum a Scotis ille Pi-

ctisque in regno suo fusus, caesus, ac in profluentem abjectus, ne cenotaphium quidem apud suos habet? Scio confictum fuisse sub Henrico II. ruderetum ad Glastoniam erutum, hujus regis nomen praeferens, ut in Belgis sectarius observat:

HIC JACET SEP-
ULTUS INCLYTUS
REX ARTURIUS
IN INSULA AVA-
LONIA.

Cui hoc oppono, ut alia omittam, nunquam fuit moris apud Graecos Latinosque nomen loci sepulchrali cippo incidere, quasi id ipse lapis non indicaret; in hoc enim vitae ordinem, nomen, cognomen, familiam, patriam, conditionem, aetatem, mortis causam, interdum haeredum substitutionem, cum aliis formulis comperimus expressa, nomen loci nunquam. Recte Iscanus poeta:

Sic Britonum ridenda fides per secula multa
Arthurum expectat.

Migravit ex hac vita Gonora in captivitate anno DXL. Non est relata in sanctos, sed pie colitur. Nomen sonat quippiam Northmannicum; nam Gonora, uxor Richardi I. ducis Normaniae, in gentis historia celebratur. Festivitas die VIII. Januar. Consuetudo loci.

S. GUTHAGONUS. 584.

S. GUTHAGONUS, unus ex apostolicis primitivae Scotorum ecclesiae concionatoribus, Findochi XXXI. regis filius, frater Donaldi II. et Crathlinti, nepos Athirconis, regum, fervore evangelii tactus, patriam reliquit cum S. Macra sorore, et in Belgium trajiciens, Romam concionabundus progressus, reduxque " aliquando apud Brugas in Knocke est conversatus, et in Oestkirka sepultus." Ex lectionibus in Oestkirka Joan. Molanus Natalib. pag. XXXVII. tum de cultu idem theologus subdit: " B. Guthagoni corpus, Domino per eum multa miracula faciente, de humiliore loco in capsam transtulit Gerardus Tornacensis episcopus, anno MCLIX. nonis Julii; eandem capsam reverenter ac devote aperuit et visitavit Nicolaus, episcopi Tornacensis suffraganeus, die I. Octobris MCDXLIV. invenitque

in ea testimoniales Gerardi literas, pontificali ipsius sigillo munitas: reliquiae conspiciuntur in muro per ferreos cancellos." Historia Scotica MS. apud Gilbertum Brunum pag. XCVI. vult illum, " relegatum a rege patre propter fidei Catholicae professionem, in Flandria migrasse ad dominum ;" quod credibile non est, quod aevo illo omnes Scotiae reges ferventes verae pietatis cultores essent: potius inducor ut credam a Donaldo III. tyranno ad mortem petitum, solum vertisse, hic enim hujus successioni hostis. Nihil operum extat, nec quippiam scripsisse compertum.

Natus anno CCXLVIII. depositus CCXCIX. dies incertus; translatus III. Julii; visitatae reliquiae I. Octobris, ut supra ex actis probatum.

S. GHILLO. 585.

S. GHILLO, famulus S. Guthagoni principis, aut Guidulphus, ut Locrius, et Meyerus lib. v. Annal. et ipse Scotus, cum domino Scotia egressus, cum eodem amore Christi peregrinus, cum eodem in Oestkirka depositus, " et qui eidem sancto adhuc viventi," verba sunt Molani loco laudato, " familiarius adhaeserat, ab eo jam defuncto avelli non potuit, qui etiam creditur post mortem miraculis claruisse; nam tempore Gregorii, curati dictae ecclesiae, qui postea in ordine praedicatorum sancte vixit, manum aridam cuidam ejus misericordiam imploranti restituit: unde dictus Gregorius metricum scripsit,

Contracto Ghillo scit opem conferre pugillo.

Et ipsius corpus in terra mansit." Huc usque ille. Simile omnino contigit in translatione Margaretae reginae, ut alibi dictum, nam S. Malcolmus maritus ab eo avelli non potuit.

Depositus anno CCXCIX. colitur visitatio die cum alio communi I. Octob. Ex his apertum reor, non sine maximae improbitatis nota quosdam mendicitati innatos, hos duos Scotos sanctos suae ascribere patriae, cum nullus in Hirlandia Catholicus aut Christianus, bonus aut malus, haereticus aut schismaticus, mas aut femina, puer aut senex, qui veram pietatem profiteretur; denique cum tunc quidem ne nomen Christi ea in insula auditum, imo ne multos post horum martyrum depositionem annos ulla penitus sit evangelii mentio: siquidem, S. Patricius Scotus cum Hirlandiam in-

travit, exploratum est altas idololatriae tenebras sanctos conatus senis impediisse; et quod Hirlandorum traditio habet, ancillam Picticam evangelium enunciasse in Hirlandia primam, id non nisi post Guthagoni migrationem annis XXXVI. scilicet anno salutis CCCXXXV. ut Camdenus, Campianus ante eum, et utroque posterior, Joan. Antonius Maginus; sed ista amentia Boiis numellis et ergastulo relinquitur.

S. GRATA. 586.

S. GRATA virgo, Ursulanarum una, cum aliis passa, cum aliis coronata, jacet Coloniae, ut Ado Trevirensis auctor.

Passa anno CDLIV. colitur die XXI. Octobris.

S. GREGORIA. 587.

S. GREGORIA, socia S. Ursulae, Scota Scotae, e patria, in turma undecim millium virginum, egressa, Coloniae martyrium meruit, ibique jacet. Adonis Martyrologium.

Passa iisdem anno et die.

S. GOLVENEUS. 588.

S. GOLVENEUS, eremita Scotus, patriam deserens, in Aremoricam, quae postea Britannia Minor, recessit, seseque totum vitae contemplativae tradidit; sed diu virtus tanta latere non potuit, nam S. Paulo, episcopo Leonensi, deposito, totius cleri et populi concursu ad ecclesiae regimen vocatus, ei successit: ita, praeter nostrates, scripsit Renatus Benedictus in Vitis SS. Galliae, tabulae illius sedis, Robertus Coenalis de Re Gallica lib. II. perioch. VI. Scripsit

Laudes multorum Sanctorum lib. I.
Rituale Ecclesiae lib. I.

Creatus episcopus anno DC. colitur XXIII. Junii. Uvion.

S. GULIELMUS. 589.

S. GULIELMUS, regis S. Duffi filius, pertaesus rerum humanarum, ut facilius Deo deserviret, eremiticam vitam elegit; quam cum ali-

quamdiu in Craufurdiae Ericeto exercuisset, creber ad eum concursus omnis aetatis hominum ferventem meditationem interrumpere visus est; ideo cum in Hiberniam contenderet, vento renitente in Hispaniam rejectus, et quasi Dei voluntate eo delatus, sic enim interpretabatur, ad Carpetanos in Tarraconensi angeli monitu vocatus, seipsum orationibus, vigiliis, aliisque corporis macerationibus oblectans, coelestia est assecutus. Extat officium novem lectionum, e quibus ista desumpsi: ostenditur cella non longe urbe regia Mantua, vulgo Madrito; et saepe eremitae ibi Scoti, ut retulit R. P. Pantonus, sacerdos Catholicus, qui diu eo in regno moratus, saepe eam eremum visitabat. Scripsit

Exercitia spiritualia lib. I.

Obiit anno DCCCCXXCI. Dies cultus incertus apud me.

S. GUALAFERUS. 590.

S. GUALAFERUS, confessor et episcopus, hoc est, episcopali titulo usus, ad liberiorem evangelii praedicationem, S. Rumoldi Scoti comes et discipulus, cum eo ex patria in Belgium appulit, omnium laborum, usque ad martyrium, particeps. Joannes Domius in Vita illius sancti. Nec plura de eo mihi comperta. Scotum eum fuisse, ut et magistrum, praeter ea quae lib. XVI. infra habes, adde hic locum Arnoldi Mirmanni Theatro Conversionis Gentium pag. XIII. ubi scribit, " Rumoldo autore, Davidis Scotiae regis filio, Machlinienses insertos Christo:" et hic David non rex Scotiae, sed frater regis Ethfini, ut in Veremundo, et aetate illa omnes regiae stirpis reges vocati, ut lib. II. Apparat. Scot. cap. I. ostensum: adde elegantem locum Rogeri Hovedeni part. II. Annal. pag. CCCCXXV. et res clara est.

Claruit anno DCCLXXIX. Dies incertus.

S. GRUNDIBERTUS. 591.

S. GRUNDIBERTUS Scotus, episcopus, peregrinus in Gallia martyrium consummavit, et pretiosum corpus Rhemis honoratur, ut habet historia monastica; cetera apud me penitus ignota.

Tempus et aetas incerta, dies cultus XXIX. Maii. Tabulae Rhemenses.

GALDUS REX. 592.

GALDUS, rex Scotiae XXI. Dardano successit. Semel Romana castra, quae trans Bodotriam Julius Agricola duxerat, noctu adortus, suo malo repulsus, deinde ab eodem Agricola stataria pugna fractus, Cn. Trebellium, eidem cum summa legati potestate succedentem, triplici acie collata superatum, totis Caledoniae finibus exegit. Haec recentiores juxta ac veteres rerum Scoticarum scripsere annales: quae ergo amentia est ignobilis Pitsaei, qui pag. LXXI. illum suis annumerat, ac in id Tacitum laudat? Tu lector tecum reputa, ego Taciti verba in Agricolae Vita affero: " Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi, magno paratu, majore fama." Post pauca, ferocientis militis alacritas fremebat penetrandam Caledoniam: quam vere haec de tuis, Pitsaee, Britannis? Ipse Galdus seu Galgacus haec ibi: " Nam et universi servitutis expertes;" Britanni vero vestri, Pitsaee, jam a Claudio Caesare jugum ferebant. Pergit Galdus: " Nobilissimi totius Britanniae, eoque in ipsis penetralibus siti, nec servientium littora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus." Ecce Galdus ne tuae Britanniae, Pitsaee, littora viderat. Tum idem: "Nos integri, et indomiti." At tua Britannia lacera, Pitsaee, et domita; sed haec audi ab eodem ipso Galdo: "Ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit." Vere ad rem, licet verbo contumeliosus Agricola, cui Pitsaeus, ut puto, fidem habebit: " Ii caeterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tam diu superstites." Paulo post idem dux: " Imponite quinquaginta annis magnum diem." Ergo tui, Pitsaee, Britanni L. annis servitutis jugum tulerant, Caledonii cum Galdo intacti. Sed quia tu nec militi Romano, nec Agricolae praefecto, nec ipsi Galdo credendum, Pitsaee, existimas, fidem saltem Tacito, tam veraci scriptori, haudquaquam abrogabis: " Quia exacta aestate bellum spargi nequibat, in Horestorum fines ducit." Ubi illi? Scoti te docebunt esse Marniam et Angusiam. Ex his pauculis fides Anglorum hodiernorum in aperto est, nec Scotiae non suum decus constat. Scripsit Galdus

Conciones militares lib. I. Tacitus.

Epistolas ad alios Britannos lib. I.

Claruit hic rex anno XXCIV. Quam verax sit Pitsaeus, Dio loquitur, et ex eo Xiphilinus pag. CDXXII. " Hujus insulae Britanniae paulo minus quam dimidia nostra est, quam Severus cum vellet in suam potestatem redigere, ingressus est in Caledoniam." En, Pitsaee, diu post Domitianum tui Britanni Romanis parebant, major insulae pars Caledoniis patebat, et eos aspernabatur: imo ad hos missi Bassianus et Geta fratres, Caesaris filii, ut cum nostris foedus ferirent. Ibidem, et Herodianus lib. III. in fine. Haec refellite, si potestis, Angli.

NICOLAUS GORDONUS. 593.

NICOLAUS Gordonus, vir clarissimus, aetate adulta Praemonstratensem habitum sumpsit in monasterio *Saulset*, seu Sede Animarum; et cum in monastica virtute multum profecisset, abbas Tunglandiae creatus, sancte et pie praefuit; sed Gulielmo Bell ad ecclesiam S. Andreae assumpto, qui decanus Dunkeldensis fuerat, hic noster monasterio suo extractus, vicarius episcopi Dunkeldensis factus, in ea cura obiit. Maximus vero omnium paene praesulum conventus Dunkelden habitus, totoque regno clerus ascitus. Hic scripsit

Synodalia decreta lib. I.

Collectionem Constitutionum lib. I.

Vicarius erat anno MCCCXXXIV. de obitu ignotum.

DONATUS GRANTUS. 594.

" DONATUS Grantus Bethleemita," inquit Adam Wodesham apud Brunum, " in Scotia recte sensit, vir bene sensatus in re doctrinali." Fuit hic eremita ordinis S. Hieronymi ad fanum S. Germani in Scotia professus; et illi patres apud nostrates Bethleemitae audiunt ab ea urbe, quam humani generis assertor ortu suo temporali sanctificavit, et postea S. Hieronymus, ecclesiae doctor, incoluit. Ad eum illic sanctissime agentem maximus toto orbe concursus monachorum, ut ipse prooemio ad lib. VII. in Ezechielem, et ad Paulinum epist. XIII. diserte scribit; et de Scotis nostris idem epist. XV. ad

Marcellam: " Flos quidam, et pretiosissimus lapis inter ecclesiastica ornamenta monachorum et virginum chorus est, quicunque fuerit in Gallia primus: huc properat divisus ab orbe nostro Britannus, si in religione processerit; occiduo sole dimisso, quaerit locum fama sibi tantum et scripturarum relatione cognitum." Ut de se haec dicta aut majoribus suis Britannis, Angli contendant, ego non video cur excludi debeat Scotia. Sed de tota hac Hieronymiani monachismi praestantia, institutione, confirmatione ad sanctum sepulchrum, late vir eruditissimus Pius Rubeus Placentinus, ejusdem familiae pater, S. Carpophori prior, in Commentariis in Res gestas S. Hieronymi, quos Comi editos lego dono et munificentia v. CL. Bassiani Gatti Placentini, itidem Hieronymiani monachi ad S. Barbatiani Bononiae, cui, ut toti illi domui, plurima me debere, haec attestatio loquetur. Sed ad Grantum redeo, qui ordinis sui per Scotiam provincialis memoratur, ac multarum utilium rerum scriptor commendatur; et vero de Bethleemitis dolendum, qui, cum sint antiquissimi ab ipso S. doctore instituti, ut videtur, incredibili damno paene in tenebris delituerunt; nec ullum in Scotia coenobium eorum, praeter hoc unum, mihi notum, nec ex isto, per tot secula, quispiam alius celebretur. Scripsit

De Wiclefitarum Perfidia lib. I.
Contra Begardos lib. I.

Floruit anno MCCCLIV.

PATRICIUS GORDONUS. 595.

PATRICIUS Gordonus, regiis agens in rebus apud Polonos, scripsit

Lachrymas in Funere Henrici lib. I.

Vivit adhuc, ut existimo.

GULIELMUS GUILDUS. 596.

GULIELMUS Guildus Aberdonensis, theologicis studiis non leviter tinctus, ut nuper Roma admonet adolescens doctissimus, civis meus Robertus Bodius, postquam honestis studiis per Gallias animum oblectasset, domum rediit, ac scripsit quaedam, sed ego non vidi: in his,

De Asino Balaam lib. I.
Rediit Parisios, ut asserunt.

GREGORIUS. 597.

GREGORIUS, coenobiarcha IV. Scotorum qui sunt ad D. Jacobi majoris in suburbio Herbipolensi, scripsit, ut audio,

Excerpta ex sanctis Patribus lib. I.

Praefuit annis X. vir pius et doctus. Obiit anno MCCVII. Chronicon dicti monasterii, editum a Trithemio.

GERARDUS. 598.

GERARDUS, et ipse monasterii illius Scotorum abbas IX. scripsit, ut accepi,

Collectionem Canonum lib. I.

Obiit anno MCCXLII. sedit annis VII. Chronicon dicti monasterii.

GILDAS ALDANUS. 599.

GILDAS Aldanus, Candidae Casae episcopus inauguratus a Thurstino, Eboracensi archiepiscopo. Meminit Polydorus Virgilius, mendaciorum loquacissimus, lib. XI. Histor. Anglicanae. Scripsit

De Ecclesiae Scoticae Privilegiis lib. I. Eo opere impotentem praesulum Anglorum insolentiam represserat, non confirmaverat auctoritatem, ut ille vult.

Floruit anno MCX.

ALEXANDER GALLOVIDIANUS. 600.

ALEXANDER Gallovidianus, Kilkeldensis ecclesiae pastor, vir, praeter insignem probitatem, rerum admirandarum studio incomparabili, scripsit

De Hebridum Insularum Natura, et Arboribus anseriferis lib. I. Hoc sane genus avium arboribus in Scotia produci, praeter nostrates, docuerit Ptolomaeus, Mun-

sterus, Aeneas Sylvius negat, mirantur alii: vulgo *clakis* dicuntur.

Florebat anno MDXII.

S. GILDAS QUARTUS. 601.

S. GILDAS Quartus, ad discrimen ab aliis, ut puto, nominatus, egregiam patriae operam navavit, eoque nomine ab Anglis ignominiose laceratur. Polydorus Virgilius alicubi impostorem vocat, et plaustra convitiorum apud scurrilis ingenii et summae ignaviae Lelandum: " splendidissimis mendaciis, anilibus fabulis, prodigiosa barbarie hist. eum foedasse," impudenti ore objicit; et talis semper vobis, Angli, est, quisquis patriae suae decus et ornamentum quaerit, et monstruosas vestras ineptias ingenii solertia refutat; et Carodocus Camber edito opere eum vindicat sub annum MCL. Pitsaeus, et alii. Scripsit hic nostras Gildas

Historiam Britanniae	lib. I. Polydor.
Breviarium Gildae	lib. I.
De Mirabilibus Britanniae	lib. I.
De primis Habitatoribus Britanniae	lib. I.
De Rege Arthuro	lib. I.
De Sepulchro ejus incognito	lib. I. et alia.

Vixisse putatur anno salut. humanae DCCCXXIX. licet alii in aliud seculum rejiciant; sed parum interest qua aetate vixerit, modo bonum constet fuisse civem, et patriae suae amantem. Sanctorum albo ascriptus, colitur die XXIX. Januarii. Uvion in Adjunct.

GOSFRIDUS. 602.

" GOSFRIDUS, vir eximiae religionis, rege Scotorum David petente, et archiepiscopo Gulielmo annuente, abbas eligitur ad locum in Scotia, qui Dunfermelin dicitur," ait anonymus Wigorniensis in continuatione ad Florentium pag. DCLXIII. Scripsit

Historiam Apostolicam lib. I. quae, ut puto, interiit. Meminit Indiculus Scriptorum Scotorum anonymi: forte idem erit opus, quod Abdiae, Babyloniae episco-

po, falso attribuitur.

Floruit anno MCXXVIII.

S. GELASIUS. 603.

S. GELASIUS Diaconus, sanctitate morum, et eruditione clarus, strenue verbum Domini popularibus suis praedicabat, cum reliquiae S. Andreae apostoli in Scotiam, tum Pictlandiam, ab S. Regulo delatae sunt. Scripta non extant, praeter

Homiliam de Nativitate Christi lib. I. cujus meminit Fordun. lib. II. Hist. Scot.

Florebat anno CCCLXIX. Hect. Boethius lib. VI. Histor. Scot. pag. CV.

GILBERTUS. 604.

GILBERTUS, cognomento Chartophylax, Cathanesiae episcopus, successor Adami, quem, lib. I. hoc opere supra, impie crudeliterque necatum a civibus ingratis ostendimus; vir magna apud regem et clerum universum auctoritate, ob singulares animi dotes, morum continentiam, et non vulgarem in rebus sacris eruditionem. Scripsit

Collectionem Privilegiorum Regni Scotiae lib. I. quae Alexandro II. regi concesserant piissimi Romani pontifices Coelestinus IV. et Innocentius IV. quae hodie si extarent, non usque adeo in perquirenda patriae antiquitate caecutiremus.

Canones omnium Scotiae Regni Ecclesiarum lib. I.

Successit interfecto Adae, seu Adamo antistiti, anno MCCLV. H. Boeth. lib. XIII. Hist. Scot. pag. CCLXXXIII. Nomen ei ab officio videtur inditum Curapalates: sed Georgius Codinus lib. de Officiis Aulae Constantinopolitanae adeatur.

GULIELMUS GREGORIUS. 605.

GULIELMUS Gregorius, cum bonas artes Lutetiae didicisset adolescens, e Collegio Montisacuti cum collegis viginti uno per Lu-

dovicum de Ambasia, episcopum Albiensem, Carmelitanum habitum induit; in quo sancto vitae instituto Mariam reginam, Ludovici XII. uxorem, studiorum fautricem invenit, cujus liberalitate ingenium ostentavit, doctor Sorbonicus ingenti fama renunciatus, Tolosae Carmelitarum coenobiarcha, ac Francisco I. regi a sacris confessionum secretis. Edidit

De duplici Potestate	lib. I.
Elucidatiònes Sententiarum	lib. IV.
Quaestiones Vesperales	lib. I.
Collectiones Sorbonicas	lib. I.
In Politica Aristotelis	lib. VIII.
De Animae Potentia triplici	lib. I.
De aeterno Christi Regno	lib. I.
Summam Theologiae sacrae	lib. I. Multa alia Balaeus enumerat, qui in praesens non est ad manum.
Scholasticos in Davidem Commentarios	lib. I. Sixt. Senens. lib. IV. Bibliothecae Sanctae.

Claruit anno MD. aut praeter propter, magnum genti ac ordini suo ornamentum; ubi obierit, non comperi.

THOMAS GRAIUS. 606.

THOMAS Graius Aberdonensis, matre Elisa Dempstera ex familia Mureskia, nobili loco natus, vir sacris literis et philosophicis instructissimus, ab ineunte aetate D. Francisci familiam ingressus, Aberdonensi coenobio praefuit, tum cum religio Catholica, proh nefas! e Scotia eliminaretur, et haereticorum furori viriliter restitit scribendo, docendo, disputando, egregiam causae piae navaturus operam. Scripsit

Admonitiones ad Novatores	lib. I.
In universam Aristotelis Philosophiam	lib. I.
Concordiam D. Thomae et Scoti	lib. I.
Epistolas ad Cives suos	lib. I. Quae audio omnia in lucem emitti: ipse certe sedulo ante obitum correxit singula, ac disposuit.
In Libros Sententiarum	lib. IV.

Obiit Rothomagi anno MDCXVI. aetatis suae an. CXXXVII. vivace adhuc memoria, ac stomacho habili, nec visu inefficaci, nulla corporis parte, nisi pedibus, in tanto senio debilitatus.

JOANNES GRAIUS. 607.

MARTYR Joannes Graius, Franciscanae familiae socius, praevalentibus domi haereticorum viribus, armata factione omnia possidente, cessit furori, et in Belgium profectus, cum jam septuagenarius esset, ab haereticis nefariis Geuziis ad ipsum altare majus, ante sacram eucharistiam, martyrio est affectus. Franc. Gonzaga p. I. pag. CIV. de Origine Religionis Seraphicae. Scripsit, ante egressum e patria,

Theologica quaedam lib. I. sed non vidi.
Epistolas post excessum e patria lib. I.

Excessit martyr Bruxellis, in ipso coenobio suo, anno MDLXIX. Meminit Henricus Sedulius in Coroll. Histor. Seraph. pag. DCXCIII. Vitae ejus martyriique acta et modum fusius ex Latina Historia Martyrum Franciscanorum Italice transtulit Daniel Perusinus, et a theologis illius sancti ordinis probata, Cardinali Justiniano inscripta. Errat tamen, qui illum e Scotorum familia oriundum putavit, qui Graiorum erat, cap. XLI. infinitum populi Bruxellensis gemitum sequenti deinde capite XLII. exsequitur, addens, " infirmo cuidam, et gravi morbo laboranti, attactu ejus sanguinis sanitatem restitutam :" cap. XLIII. fusissime Scotiam Scotosque auctor ille extollit, hanc tanquam parentem altricemque doctorum et sanctorum, istos pietate et literis patria sua dignissimos, totique orbi celebratos, et meritis suis notos.

S. GODELBERTUS. 608.

S. GODELBERTUS Presbyter, rhetor disertissimus, philosophus Platonicae sectae subtilissimus, theologus memorabilis, nec Anglo-Saxo nec Britannus, sed Scotus, ut discere potuisset, non ab annalibus modo nostris, sed a magistro suo Balaeo, singularis impudentiae Joannes Pitsaeus. Praeceptorem habuit S. Sedulium, ad cujus imitationem heroicum suum poema, a mundo creato usque ad

Christum natum, summa majestate perduxit, uti meminere Joan. Trithem. Sixt. Senens. in Bibliotheca Sancta, et Lilius Gyraldus Ferrariensis lib. v. de Poetis Latinis, licet gente non expressa. Scripsit

Allegoriarum sacrae Scripturae	lib. I.
Homiliarum	lib. I.
Epistolarum	lib. V.
Poematum Latinorum variorum	lib. I.

Qua aetate vixerit, incertum: putat Sixtus Senensis floruisse anno D. sub Anastasio.

GUILLAMUS. 609.

GUILLAMUS, carcere mancipato Davide Betono, S. Andreae archiepiscopo, S. R. E. cardinale, a factiosis proceribus, et comite Arraniae, regni gubernatore, seu sponte, seu invitus, quod potius crediderim, vicarius Romani pontificis per universum regnum Scotiae renunciatus, sumpta Apostolici Legati persona, concionibus acerbissimis plurimum rei Christianae nocuisse censebatur. Joan. Leslaeus lib. X. pag. CDLXV. Scripsit

Sermones ad Proceres et Plebem lib. I.

Decreta Ecclesiastica lib. I. a quibus vim et robur haeresis, perniciem fides Catholica accepit; sive ipse ita voluit, seu sectarii id illi imposuerunt, ne quicquam sine auctoritate innovare viderentur, eo tamen vulnere lethali religio apud nostrates afflicta nunquam denuo convaluit, o majorum pietas! Id actum inauspicato et funesto die XXVII. Februarii anno MDXLIII.

De Bibliis vernacula Lingua habendis lib. I. damnatum indubie opus, et a quo fonte mirum quantum incrementi in omnes haereses derivatum.

Floruit anno MDXLIII. ut monui; quem exitum honor ille importunus habuerit, non inveni.

B. GOSCELINUS. 610.

B. GOSCELINUS, Gocelinus, Jocelinus, Glascuensis episcopus, a Wilhelmo rege Romam orator missus, excommunicationis

1 eum ab Eboracen. archiepiscopo Rogero latae absolutionem im-
etravit a Lucio III. Extat epistola ejusdem pontificis apud Hove-
en Annal. part. II. pag. CCCLI. Eidem deinde Urbanus III. con-
roversiam inter episcopos S. Andreae Hugonem et Dunkeldensem
oannem committit, ut ex literis constat, quas habet Hoveden
ag. CCCLX. sed et Clemens III. eandem ei causam denuo commen-
avit. Hoveden literas producit pag. CCCLXXX. Ejus studio, inter-
ectis aliquot annis, Richardus I. Angliae rex, comitatum Northum-
riae regi Scotiae Wilhelmo in perpetuum possidendum tradidit.
Ioveden pag. CDXIX. Idem S. Alexandrum regem, S. Wilhelmo
x Ermingarda susceptum, sacro fonte abluit. Hoveden pag. CDXLIV.
dem vero auctor corruptus est in eodem, CDL. die S. Patricii, vide-
icet, " XVI. calend. Aprilis feria IV. Jocelinus venerabilis, Glastonen-
is ecclesiae antistes, obiit apud Melgos, ubi ipse extiterat venerandus
bbas, et ibidem in choro monachorum ex boreali parte ecclesiae
epultus est." Sed legendum est, " Glascoensis ecclesiae," et post,
' obiit apud Melros." Scripsit

De Translatione Augustini, Anglorum Apostoli, lib. I. ut memorat Malmesburiensis lib. IV. cap. I. nisi alius sit.

Roma rediit MCLXXXI. regem baptismo abluit anno MCXCVIII.
)biit anno sequenti. Nostrates de eo tacent, praeter Scotichronicon
ib. IIX. cap. XXIV. XXXX. LX. qui officii ejus meminit.

B. GAUFRIDUS. 611.

B. GAUFRIDUS, abbas Dunfermelini, ecclesiam Scoticam sui juris
acere totis viribus incubuit, quod et consecutus non obscure nar-
ratur a Rog. de Hoveden Annal. part. II. pag. CCCXI. Scripsit

Pro Exemptione Ecclesiae Scoticae lib. I.

Floruit anno MCLXXV.

GREGORIUS. 612.

GREGORIUS, episcopus Rossensis, memoratur a Rogero Hove-
den Annal. part. II. pag. CCCCXXVIII. An scripserit ali-

quid, non reperi; certe nihil extat.

Floruit anno MCXCV.

GULIELMUS. 613.

GULIELMUS Scotus, tertius sanctissimae Trinitatis ordinis generalis minister, monachis suis Atrebati in S. Vincentii suburbio coenobium obtinuit, cujus templum ab Hugone Viennensi, Bisuntino archiepiscopo, consecratum, praesentibus Neapolitano et Claromontano cardinalibus. Ferreol. Locrius Chronico Belgii pag. CCCLXXXII. Scripsisse fertur

Super Ordinis sui Dignitate lib. I.

Florebat anno MCCIX. aut forte serius anno MCCCXLVI.

SIMON GRAIMUS. 614.

SIMON Graimus, honesto loco natus Edimburgi, taedio vitae solutioris, cui se diu mancipaverat, vocanti tandem Spiritui Sancto paruit, et religiosum S. Francisci de Paula habitum induit, diemque extremum magna pietatis opinione, dum patriae suae prodesse vult, finivit. Scripsit plurima amoenissimo ingenio, nec vulgari eloquentia: in his,

Vale Foeminis lib. I.
De Contemptu Mundi lib. I.
Anatomia Humorum lib. I.

Obiit Carpentoracti, in itinere Scotico, anno MDCXIV.

ROBERTUS GRAIMUS. 615.

ROBERTUS Graimus, monachus S. Benedicti, habitum in Mailrosiensi coenobio induit, sed tyrannide Eduardi Anglicani, Scotiam tum dissidio regum expositam ei praedam lacerantis, exulare jussus, ut de plerisque aliis hoc opere diximus, in Bardeneiensi monasterio Anglicano diu vixit, et, ut puto, obiit. Scripsit

Super Scotiae Statu lib. I. versu. "Deflemus patriam." Scotichronic. lib. XV. cap. LI.

In quatuor Evangelia lib. IV.
Conciones varias lib. I.

Florebat anno MCCCXX. Hunc falso Angli suum civem faciunt, et Grimmum ridicule vocant: in his est ignavissimus Pitsaeus.

BERNARDUS GORDONUS. 616.

BERNARDUS Gordonus, doctor medicinae, ac clarissimus Monpelii professor, quo nec doctiorem academia ea unquam, nec feliciorem in facienda medicina, ut loquitur Paschalis Gallus, ea aetas tulit. Scripsit plurima: in his,

Lilium Medicinae lib. I.
Antidotarium lib. I.
Vulnerum Curatio lib. I.
Rarae in Chirurgiam Observationes lib. I.
Praxis medicinalis lib. V. opus eruditis laudatissimum.

Vivebat anno MCDXCII.

GILBERTUS. 617.

GILBERTUS, monachus Benedictinus Mailrosiensis, et abbas in *Holy Ilande*, seu Insulae Sacrae, in qua nulli unquam abbates nisi Scoti, nec monachi, pertinent enim ad antistitem Sanctandreanum, et est Scoticae ditionis, fuitque semper, ut nonnulli, apostatam Balaeum secuti, Anglum fecerint. Fuit D. Bernardi vitae sanctitate morumque probitate imitator, et admirator eximius, eloquentiae etiam assiduus sectator. Scripsit

In tria Canticorum capita suavissimos et elegantissimos sermones octo lib. I.

Obiit anno MCC. Arnold. Uvion lib. I. Lig. Vitae pag. XLVIII.

DAVID GUTHRAEUS. 618.

DAVID Guthraeus, insigni vir doctrina, Caesarei pontificiique juris in nascente academia Aberdonensi professor, reliquit

Lecturas in Jus Pontificium lib. I.

Singularia ex Jure Caesareo lib. I.
Florebat anno MDXX. Boethio aequalis.

JOANNES GRYSONIUS. 619.

JOANNES Grysonius, Dominicani instituti socius, in Aberdonensi academia praeclarum nomen a bonis artibus meruit, triginta deinde totos annos ordinis sui provincialis. Scripsit

De Miseria Religionem Catholicam in Scotia profitentium lib. I.

De Casu Ordinis sui, et Paupertate, lib. I. Literae sunt penes R. P. Plodium Bononiensem, et extant in historia ab eo scripta.

Pervenit usque ad annum MDLXIV. Meminit Hector Boethius in vita Gulielmi Elphinstoni lib. de Episcopis Aberdonensibus.

B. GUIDO. 620.

B. GUIDO, S. Benedicti monachus, e congregatione Turonensi, de qua multa in Apparatu ad Historiam Scoticam, vir fuit illius aetatis dignissimus; de quo audiendus auctor Scotichronici lib. IX. cap. XXVII. " Guido, primus abbas de Londoris, cum ipsum locum a fundamentis extruxisset, et officinas magna ex parte perfecisset, et fere per viginti octo annos monasterium strenue rexisset, monachos superstites relinquens ordine, et religione plenarie informatos, omnes fratres de charitate mutua exhortans, et a transgressionibus absolvens, et ab iis absolutus et osculatus, inter verba collocutionis caput in manu fratris sibi assidentis reclinans, quasi dormiens, hilari vultu quievit in Domino." Scripsit

Ad Davidem Fundatorem lib. I. Fuit hic comes Huntintoniae, regis Wilhelmi frater, qui bello Palaestino feliciter confecto redux in patriam, locum illum fundavit. Boethius lib. XIII.

Exhortationes ad Fratres.

Creatus abbas anno MCLXXVI. obiit anno MCCXIX. die S. Botulphi, Scotichronicon loco laudato: quo die ecclesia illa memoriam recolit.

PETRUS GRYNAEUS. 621.

PETRUS Grynaeus adolescens Societati Jesu nomen dedit, in qua cum pietatem eruditioni conjunxisset, clarissimum ab ingenio nomen est adeptus. Edere, ut audio, parat

De Scotis sanctis	lib. I.
De Scotis Scriptoribus	lib. I.
De Scotis bello illustribus	lib. I.

Vivit adhuc in Polonia, ut puto, aut Germania, ingens patriae suae decus tam claris scriptis allaturus; faxit Deus quam citissime speratam famam edito opere consequatur. Ego lubens in hoc agone superari optem, cui in votis hoc unum semper erit patriam ornari, et vitam merentibus, longa temporum injuria sepultis, redonari; quod non ab alio magis sperandum, quam a Grynaeo.

JACOBUS GORDONIUS. 622.

JACOBUS Gordonius, marchionis Huntlaei patruus, in Societate Jesu annis L. vixit, magna ab ingenio parta fama; qui nihil publice privatimque omisit, quo hydram haereseos pestiferam in patria nascentem alter Hercules conficeret; hoc ille unicum a Deo tot laborum praemium exoptavit, ut fidem Catholicam vigentem in eo regno videret, huc immensam scribendi docendique sollicitudinem retulit, ut populares suos a tenebris impietatis in apertam evangelii lucem pertraheret. Incredibilem illius pietatem et eruditionem in Scotia, praesente rege, exhibitam cum haereseos confusione, habet Jo. Boterus Relat. part. III. lib. I. pag. LVIII. Incidit ea Sathanae profligatio in annum MDXCIV. Henrici IV. Galliarum regis causam Romae animose egit, multaque de ecclesiae Gallicanae privilegiis disseruit. Scripsit vero summa eruditione multa opera, sed ego tantum vidi

Summam Casuum Conscientiae	lib. I.
Theologiam positivam	lib. I.
Controversiarum nostri Seculi	tom. I.
Controversiarum	tom. II.

In universam Aristotelis Philosophiam Commentarios lib. I.

Vivit adhuc ultima senecta, studiorum labores quotidie passurus; et anno superiori patres societatis, cum Lutetiae Lyceum ex edicto regis aperuissent, magnique penderet de doctoribus illorum expectatio, neminem eo aptiorem theologicis studiis invenerunt; quale ille iterum juvenile studium ingressurus, omnibus admirationem sui reliquit.

JACOBUS GORDONIUS ALTER. 623.

JACOBUS Gordonius alter, ex familia Lesmorea, ejusdem societatis presbyter, pius et doctus, non tamen aequali in patriam affectu; nam cum in Chronologia sua saepe de Scoticis rebus vere loqui potuisset et splendide, tacere maluit, neque enim ullum de regni nostratis exordio verbum apud illum; fuit tamen magnus vir, seu philosophica seu theologica spectemus studia. Tolosanum societatis collegium et rexit prudenter, et censu auxit feliciter; ac postea Pictaviense semel, Burdegalense iterum, eodem successu pie administravit. Edidit multa, sed ad me tantum venerunt

Chronologiae volumen I.
Chronologiae volumen II.
In omnia D. Thomae Opera theologica Commentar. MSS.
In universam Aristotelis Philosophiam Commentar. MSS.

Vivit adhuc in Galliis, et plura aeternitati consecranda procudit.

JOANNES GORDONUS. 624.

JOANNES Gordonus bonas artes studiose in Galliis didicit, maxime linguas, Latinam, Graecam, et Orientales, in quibus cuilibet mortali Europaeo certare credebatur; humaniores etiam literas Lutetiae attigit, sed non pari, meo judicio quidem, successu. In Britanniam mox trajicens aulae fastidia sequi voluit. Ejus nihil vidi, sed tamen

Historiae Baronianae supplementum audio meditari; sed frustra, cum grandi illo eruditionis ac famae oceano rivuli concurrent.

Vivit adhuc, et de pravo in fidem Catholicam affectu mihi suspectus, et nollem tantas dotes tam vili contagio supprimi.

JOANNES GRAIUS. 625.

JOANNES Graius Haddintoniensis, Parisiensis theologus, et, ut puto, D. Francisci frater. Scripsit multa : in his,

De Figuris Bibliorum lib. I.
Super Sacramentis lib. I.
Carmina varia lib. I. Extat epigramma apud Henricum Villot Belgam Athenis Orthodoxis pag. CCXXXIX. quod praefixum Thesauro Theologorum Joannis Picardi Franciscani, dignum est quod apponatur :

Quis rogo, tam nitidus, superas tam cultus in oras,
Summaque doctorum venit in ora liber,
Hesperius, Gallus, Germanus, et Italus, Anglus,
Armenius, Scotus, Persicus, Indus, Arabs ?
Cui tam multigenam soli licet esse, Joannis
Picardi hoc virtus ingeniumque facit.

Floruit anno MDIII.

ROBERTUS GRIMUS. 626.

ROBERTUS Grimus quis fuerit, aut ubi vixerit, qua vitae conditione, non deprehendi. Hoc tantum certo constat, scripsisse

In omnia Evangelia lib. I. Auctor Bibliothecae Classicae pag. CCLXXIV.

Vivit adhuc in Germaniis.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

